

9a 8104

Digitized by Google

BH
FCC
18.652

~~B—C~~

~~30—8 mo 8 to 1~~

Digitized by Google

Digitized by Google

18652
082
Ac 8

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXII

publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c.&c.&c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
FACULTAD DE FILOSOFIA

LIPSIÆ,
Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEITSCHIUM.
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.
Anno M DC LXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. JOHANNIS GEORGII III,

Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, S.R.Imperii ArchiMarſchalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Superioris item ac inferioris Luſatiæ, Burggravii Magdeburgici, Comitis Principalis Hennebergici, Comitis Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Pignoribus ſacratiſſimis,

Digitized by Google

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Miſniæ, Superioris item ac inferioris Luſatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergii, & Barbiæ, Dynaſtis in Ravenſtein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

Digitized by Google

QUæ per mensium hactenus intervalla, eoque non nisi particulatim oblata, gratiosissime excepistis, DOMINI CLEMENTISSIMI, Eruditorum Acta, ea uno nunc, post absolutum primum annum, volumine comprehensa, Serenissimo Vestro conspectui animo obsequentissimo sistimus. Sanctissimis enim Vestris, Literatæ juventutis PRINCIPES, Nominibus sacra hæc esse Acta voluimus, quod concinnandis iis non alio instituto, quam Vobis ut serviremus pro virili, manum admovimus. Etenim sic reputabamus animo, cum literarum studiis incumbendum strenue, nec alia re ulla magis, quam disciplina hanc ætatem vestram excolendam esse statuatis, non ingratum esse nos aut inutile quid præstituros Vobis, si quæ toto hodie orbe ornandis literis perficiendisque pulcherrimarum rerum scientiis geruntur, in tabella velut Celsissimis oculis vestris sisteremus, & quam late quod Eruditionē vocamus pateat, quamque varium sit, vel unius alterius ve anni, qui tot præclara diversissimorum monumenta ingeniorum atque studiorum nobis peperit, specimine ostenderemus. Itaque licebit Vobis jam, FRATRES SERENISSIMI, velut Literati Orbis Academiam ingredi, omniūque Facultatū viros, Theologos, JCtos, Medicos, Physicos, Mathematicos, Criticos, Historicos, Politicos, nec otiosos eos, sed diversis quidem, honestissimis tamen omnes studiis occupa-

cupatos contueri, ſimulque attendere animo, quænam ex tanta literarum optimarum copia, genio veſtro arrideant maxime, quibusque excolendis deinceps impendatis operam. Nam licet in omni illo humanioris doctrinæ genere nihil ſit, cujus pudere Principem debeat, aut quod illo faſtigio atque culmine, in quod Celſitudo generis Vos collocavit, parum videri dignum queat: Vobis inſuper, PRINCIPES SERENISSIMI, ingenium obtigerit Divinum plane, quodq; complecti ambitum illum omnem politioris doctrinæ valeat: perſuaſum tamen habemus, non requiri a Vobis, ut totum hoc literarum æquor, quod vaſtum ſatis vel hæc Acta produnt, peraretis, ſed ſeligenda ex tanto rerum eſſe cumulo, quæ aut uſum Vobis in gubernanda aliquando Republica certum ſolidumque præbeant, aut in quæ naturali quadam propenſione feramini, & nunc paſtura ſuaviſſime ingenii vim, & olim inter graviſſimas imperandi curas, oblectationi Vobis atque recreationi futura. Iſtum modo, SERENISSIMI PRINCIPES, ſervate Muſis animum, quo complexi earundem Sacra ab ineunte ætate eſtis, & quam incredibili illo veſtro in literas amore jamdudum omnibus ingenuarum artium ſtudia profeſſis ſpem oſtendiſtis, illuſtri admodum nec laudando in omnem poſteritatem ſatis exemplo tuemini. Nam tantum abeſt, ut non conſtare amplius honorem ſuum literis queramur, aut non conſtiturum

Digitized by Google

ſtiturum aliquando metuamus, ut jam ſeculum in his ſaltem regionibus cogitatione præcipiamus Eruditum, quo profligata, quæ ſubinde movere lacertos ſuos ac ſpiritum recipere videtur, barbarie caput extollent bonæ artes, ac literarum ſtudia ad invidiam uſque efflorescent. Enimvero quid non magnificum polliceamur Muſis, quæ tantis ſumptibus, tamque provida cura POTENTISSIMI PARENTIS VESTRI, non minus quam in imis telluris recesſibus aurum, gemmæ & pretioſa quæque benigno influxu Solis, animantur, eriguntur, nutriuntur: quas principes in Aula, ſeu toga ſeu ſago, Viri toto complectuntur animo: quas, quod erat præcipuum, Vos, SERENISSIMI FRATRES, honeſtiſſima æmulatione, ac ſtudio prorſus inuſitato, heroicaque indole veſtra dignisſimo, ſub moderamine Generoſisſimi ac incomparabilis Knochii *veſtri colitis. Utique, ſi recte facere cives ſuos Princeps optimus faciendo docet, ut de Auguſto Vellejus loquitur: ſique eſt (quod Lipſio facile largimur) impoſsibile, ut Sui disſimilem formet Princeps Rempublicam, dubitandum non eſt, quin illuſtre hoc exemplum veſtrum Generoſæ Juventutis florem univerſum ad excolenda diligentius literarum ſtudia, egregie excitaturum ſit; modo ſecum ille reputet, ad gratiam tantorum Principum adſpirare poſſe neminem, aut locum aliquando in Aula Eorundem, in*

Senatu,

Digitized by Google

Senatu, in Exercitu habiturum, nisi qui virtutem æmulatus vestram literarum ante studiis ingenium probe expoliverit: quamque alienum a decoro sit futurum, si exquisitæ eruditionis Principes circumstent ministri literarum omnium expertes, & ad miscenda erudita colloquia, quibus hoc jam tempore nihil Virtuti Vestræ accidit jucundius, & quorum vicissitudine graviores olim curas solabimini, apti cum ineptissimis. Nec est, cur quisquam metuat, ne ab armorum studio avocentur Equestris ordinis ingenia studiis operata strenue, animique blandissimarum literarum consuetudine molleſcant aut imbelles reddantur: ex quo non apud exteros tantum, Gallos cumprimis, supremos cordatissimosque belli duces arte non minus quam Marte excellere, sed a POTENTISSIMO quoque GENITORE VESTRO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, exercitus florentissimi curam Viris solide doctis ac literatorum amantibus commissam vidimus. Deus vos servet, Principes Sereniſſimi, *& studiis ita vestris actionibusque cunctis moderetur, ut Amor ac Deliciæ generis humani æternum audire mereamini. Dab. Lipsiæ Calendis Decembr. Anno MDC LXXXII.*

VESTRARUM SERENITATUM

Subjectiſſimi

Actorum Collectores.

Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem!

QUemadmodum Seculo noſtro eam jure optimo gratulamur felicitatem, quod Artes omnes Scientiæque, & Literarum quarumcunque Studia, ſummum ad faſtigium enituntur, illudque indies propius attingunt: ita magno omnium, quotquot literis operantur commodo, ipſa Rei Literariæ Hiſtoria, diverſarum Gentium ſtudio, non ita pridem tradi ſic cœpit, ut multo faciliori nunc, quam olim, negotio, quid in quovis fere Europæ angulo Eruditorum ingenia moliantur atque præſtent, cognoſci cuique poſſit. Septendecim nempe jam anni ſunt, ex quo Angli atque Galli, Gentes ut armorum olim, ita literarum nunc exercitatione æmulæ, Hiſtoriam Literariam, Illi quidem *Tranſactionum Philoſophicarum*, Hi *Diarii Eruditorum* titulo, aggreſſi ſunt componere: illudque inſtitutum, præclarum ſane atque fructuoſum, curante apud illos *Hoockio*, apud Hos *Abbate Roquio*, Clariſſimis diligentiſſimisque Viris, in hunc usque diem ſtrenue proſequuntur. Eo tamen diſcrimine, quod Angli experimenta in primis & obſervata Phyſico-Mathematica publici juris faciunt; e libris vero vix alios, quam qui ad rem ſpectant Phyſicam, Medicam, aut Mathematicam, recenſent: Galli e diverſo per omnium Artium & Scientiarum ſpatia feruntur, Univerſalem magis diffuſamque Rei Literariæ Hiſtoriam adornantes. Gallorum exemplum ſecuti inde ab anno 1668 ſunt & Itali, ſtudio atque conſtantia non minori. Nam tametſi in urbe Veneta, huic rei manum qui admoverant, telam cœptam, incertum qua cauſa, abruperunt dudum; Romæ tamen Ephemerides Eruditorum *(Giornali de Letterati)* celeberrimi *Abbatis Nazari* ſtudio continuantur indefeſſo. Aſt in Germania ſimile quid tentatum hactenus fuiſſe, non meminimus. Nam Illuſtris *Societatis Naturæ Curioſorum* inſtitutum, ut laudandum omnino eſt, Gentique noſtræ haud exiguum decus etiam apud exteros conciliat; ita ut plurimum intra Naturalis Scientiæ atque Medicæ Artis pomœria ſe continet. Itaque cum in lucem nondum pro-

Digitized by Google

prodierit, qui universalius aliquod Systema, Gallorum atque Italorum ad morem, polliceretur; licuit, opinor, nobis, citra cujusquam invidiam, vacuum veluti locum occupare. Qua etiam libertate freti decrevimus, Supremo favente Numine, in concinnandis edendisque Literatorum Actis, Exterorum industriam utcunque inposterum sic imitari, ut certa Actorum pars singulis in anno mensium Calendis lucem publicam adspiciat. Quemadmodum vero laudatarum Nationum unaquæque lingua vernacula, suas secuta rationes, in hoc scribendi genere utitur: ita nos, ut latinum nunc sermonem nostro præferamus, prægnantibus utique causis adducimur. De quibus tamen, ut & tota reliqua instituti nostri ratione, consulto plura nolumus nunc præfari. Nam ex ipsis Actis cognosci eam malumus: ac interea Apellem imitati, subjiciemus nos lubenti animo Lectoris cordati candidique judicio, modum ac rationem feliciter continuandi, aut pro re nata emendandi operis vel inde collecturi; nonnullis fortasse etiam regesturi illud, *Nesutor ultra crepidam.* Nisi forte monendum adhuc verbo est, nullius hominis scripta carbone nos esse notaturos: ast nec vitio verti Nobis debere, seu styli inæqualitatem, quæ vel ex ipsa materiæ, ac ingeniorum Actis hisce manum admoventium, varietate nata est, seu minus accuratum in disponendis argumentis ordinem, in tali scilicet scriptione, qualis hæc nostra est, minime requirendum. Vale, Lector Benevole, ac quem hoc ipso die, Divini Numinis gratia, auspicamur annum, cum plurimis sequentibus, ex voto animique sententia transige, conatibusque nostris fave. Dab. Lipsiæ ipsis Calendis Januariis, Anni Salutis Reparatæ M DC LXXXII.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno M DC LXXXII.

MUSÆUM REGALIS SOCIETATIS.

Or, a Catalogue & Description, of the Natural and Artificial Rarities, belonging to the Royal Society &c. by *Nehemias Grew* Med. D. &c. vehereunto is subjoyned *the comparative Anatomy of Stomachs and Guts: by the same Author &c.*
London 1681.

Catalogus & Descriptio rariorum rerum Naturalium & Artificialium, quæ perinent ad Societatem Regalem: per *Nehemiam Grew*, Med. D. cui subjungitur Anatome Comparata Ventriculorum & Intestinorum: per eundem Autorem &c.
Londini 1681. fol.

UTi felici hactenus progressu per plures annos studia sua, pro Naturalis scientiæ ac Medicinæ, hinc & aliarum artium majori complemento, continuavit Illustris Societas Regia Anglicana, ita interea temporis insignem supellectilem plurium rerum, tam naturalium quam artificialium collegit, & in Musæum suum ceu Gazophylacium recondidit, primo hujus fundatore existente *Daniele Colwall*, Armigero. Ut vero recondita curiosa pluribus innotescerent, exactam eorum descriptionem instituit Nehemias *Grew*, Med. D. & dictæ Societatis olim, post defunctum Oldenburgium, Secretarius. Præmisit vero Naturalia, quibus subjunxit Artificialia, observando in istis quidem trium naturæ regnorum ordinem. In descriptione ipsa ita se gessit, ut incognita, vel alias non delineata, exacte

describat, recensita jam ab aliis, suis ubique scriptoribus debita allegatione tribuat, vitiose ab aliis tradita, studiose corrigat & emendet: subjungendo simul subjectorum magis curiosorum figuras convenienter æri incisas. Nec historicæ saltem enarrationi inhæsit, sed subinde succinctas etiam ac elegantes speculationes, ut & curiosas observationes inseruit, Lectori non minus jucundas quam utiles. Ex ingenti hoc Cornu Copiæ, saltem pauca quædam excerpere placuit.

Ex ANIMALI REGNO se offert *Mumia Ægyptiaca* integra p. 2. in qua non tantum molliores partes conditura balsamica undique penetravit, sed etiam ipsa ossa ita infecit, ut penitus nigra reddita, adusta quasi videantur. Unde probabiliter colligit autor, quod Ægyptii balsamanda corpora coxerint in Caldario, in certa quadam balsami liquidi specie, donec aqueæ partes corporis exhalaverint, oleosa vero & gummosa balsami substantia penitus se insinuaverit. Qua occasione simul parilem condiendi corpora rationem, per coctionem aut macerationem eorum in oleo v. g. juglandis nucis, pro usu speciatim anatomico proponit. *Integrum* porro *systema Arteriarum, Venarum & Nervorum*, artuum pariter ac viscerum, ex corpore humano, Patavii, sub anatome, extractum, & in Tabula exacte explicatum, p. 4. *Ignavus seu Pigritia*, p. 11. *Tamandua* major, p. 14. Cranium *Hippopotami* seu potius *Bupotami*, in Scriptura Sacra dicti Behemoth, ab aliorum erroneis descriptionibus vindicatum. p. 14. *Echinus Brasilienſis* seu *Tatu* aut *Armadillo* p. 17. it. *Tatu* porcinus & *Tatu* Mustelinus, nullibi descripti: p. 18. & 19. *Sciurus volans*, p. 20. idem apparenter animal, quod sub nomine felis volantis designat Scaliger. *Cutis integra Rhinocerotis junioris* p. 29. *Crocodilus*, in sacris dictus Leviathan, p. 41. ejusque *sceleton*, p. 42 exacte descriptum, ubi simul motus maxillæ superioris, tam hujus, quam aliorum quorumvis animalium, ceu fictitius redarguitur, p. 45. *Caput Hungum, seu Rhinocerotis avis*, h. e. Corvi cornuti. p. 58. it. *Corvi Coronati*. p. 59. *Caput Toucan seu Picæ Brasilienſis* p. 60. *Aviculæ Guanumbi*. p. 62. *Caput Ciconiæ Indicæ*, nullibi descriptæ, p. 64. *Penquin seu Anser Magellanicus* Clusii. p. 72. *Costa Tritonis*. p. 81. *caput Xiphiæ inferioris*, p. 87, nondum descriptæ. *Monoceros marinus minor*, nusquam alias, sed hic accurate descriptus. p. 104. *Remora piscis*, ejusque descriptio clarior, cum consideratione traditionis, de potentia ejus sistendi motum navium

Digitized by Google

navium, p. 106. *Hirundo marina* Salviani. p. 116. *Stella marina*, levior, arboreſcens, coronalis, hactenus non deſcripta. p. 122. 123. Quibus accedunt *Conchyliorum 600 differentiæ*, eodem in Muſæo aſſervatæ, p. 124, quæ inter, *Cochlea dactylata*, nondum deſcripta p. 135. it. *Cochlea turbine antico*. p. 136. it *Spondylus* echinatus & corallinus, nondum deſcripti. p. 145. quorum omnium differentias, in Tabulas ordinate diſpoſitas, pro varietatis faciliori apprehenſione, ſedulus autor ſubjunxit, p. 150. Sequuntur hæc, alia inter, *Muſcæ ſeu potius Locuſtæ ſpecies*, *Cucujus Peruvianus*, capite noctu lucente, penitus differens ab eo, quem deſcribit *Mouffetus*, adeoque ab alio haud delineatus. p. 158. it. ex ſcarabeorum genere, *Carabus Indiæ Orientalis* maximus, it. craſſus, it. longus, a nemine adhuc expoſiti. p. 165. 166.

Animale regnum excipit VEGETABILE: in quo inprimis ſe offert *Ramus arboris fœtidæ* p. 180. ita dictæ, quod fortiſſimum excrementorum humanorum fœtorem ſpiret, etiamſi aliquot annos jam aſſervata ſit; aſt dum comburitur, nullum odorem ſpargit. Hinc fructus, quos India utraque fert, plures; in ſpecie *fructus Palmæ Coccifera*, die Cocos Nuß, exacte deſcriptus, p. 197. cum explicatione multiplicis uſus arboris cocciferæ, ejusque partium. *Nuci dactylus* nullibi deſcriptus, p. 204. *Nux Cacaw*, p. 204. cum ratione parandi ex granis ejus, ſeu potius nucleis, Chacavvlatam: quodque ex amygdal. dulc. ſaccharo ac ſpeciebus aromaticis potus æque gratus, ac optima chacavvlata parari queat. *The Butter-Nut* ex nova Anglia, nuſpiam deſcripta, p. 205. *Avellana purgatrix Mexicana*, exacte explicata, p. 206. una cum obſervatione virtutis ejus laxativæ, ſimpliciter in tenui membrana, interius, intra quaſi-nucleum, commplicata reſidentis. p. 207. *Nux Metella*, & genuina *Nux Vomica*, communiter ex nominum transpoſitione confuſæ. p. 210. *Conus Cedri Magna* ex Libano. p. 212. *Maizum, ſeu frumentum Indicum*, p. 222. ubi autor ſimul varios præparandi iſtud modos, pro uſu tam alimentoſo quam medicamentoſo recenſet. *Papyrus ſeu potius Cyperus Nilotica*, p. 226. cujus medulla (cum aliorum vegetabilium vel cortex vel folia uſui ſcriptorio inſervierint) in paſtam contuſa, hinc in tenuia folia expanſa, & hæc denuo apte compoſita, papyrum ſcriptorium olim ſubminiſtravit. *Radix Ninſin*, Chinenſium quaſi panacea: p. 227. cujus planta penitus hactenus fuit incognita, pictura tamen ejus par

riter in Musæo hoc asservatur, p. 376, & ab autore delineatur, quod caulem exhibeat, triticei graminis crassitie, pedis unius altitudinis, cum foliis similibus istis leucoii lutei seu cheiri: flores dum adhuc complicati, rubescant, aperti vero conspiciantur albi, trini semper juncti, ex 6 foliolis compositi, formati fere instar moly flor. orbiculato Bauhini, non tamen adeo magni. *Rad. Ari Ægyptiaci*, p. 228. circa quam observat Autor, radicem ejus annuatim regenerari novam, pro plantæ perennitate, ex ipso ejus caule, id quod pariter in aliis plurimis plantis obtineat, minus licet a Botanographis observatum: modum regenerationis vide c. l. Sequuntur *frutices marini* plures, tam lignei, quam corneo lignei, p. 244 & sq. cum consideratione, quomodo nutriantur, ab ambiente fluido, per radices non ramosas, sed membranæ instar, super solidum quoddam corpus expansas, ob id molliusculas, & quasi spongiosas, præsertim recenter collectæ si fuerint.

Ad Regnum Minerale quæ spectant, nec non Artificialia, Februarii: *appendicem vero*, Martii *Calendæ proximæ, volente Deo, sistent.*

SACRUM ANTIOCHENUM CONCILIUM

pro Arianorum Conciliabulo passim habitum, nunc vero primum ex omni Antiquitate autoritati suæ restitutum,

opera ac studio

D. EMANUELIS a SCHELSTRATEN
S. S. Th. D. Eccl. Antverpiensis Canonici
& Cantoris.

Opus, in quo nomina Episcoporum cum Actis Synodicis ex editis & Mss. Codicibus eruuntur, tota Synodi anno 341 in Orientis Metropoli habita historia contra recentiorum opinionem illustratur, quin etiam occasione 25 Canonum ibidem constitutorum exponuntur prisca Episcoporum jura cum Metropolium Orbis notitia, antiqui Christianorum ritus cum Orientalis Ecclesiæ disciplina, præcipua demum fidei Catholicæ mysteria, & inter illa Confessio auricularis a Christo ad

sio ad hæc usque tempora per Orientis universi, Ægypti, Africæ, Italiæ & Angliæ regiones posteritati tradita. Additur pro coronide de schismatico Eusebianorum conventiculo Antiochiæ post veram ibi Synodum celebrato Dissertatio historica. Antverpiæ A. 1681. in 4to.

INtentio Autoris *generalis* fuit, imitari in Antiquitate Ecclesiastica perscrutanda Baronium, Antonium Augustinum, Perronium, Bellarminum aliosque, *præfationis p. 1. & 2.* quo studio ediderat jam A. 1678 *Antiquitatem illustratam circa Concilia Generalia & Provincialia, Decreta & Gesta Pontificum, & præcipua totius Historiæ Ecclesiasticæ capita;* Anno vero 1679, *Ecclesiam Africanam sub Primate Carthaginensi.*

Specialis; Antiocheni, de quo scribit, Concilii confirmationem impetrare a Pontifice; in quo fatetur, se secuti Ferdinandum Mendozam, qui industria sua ad confirmandum Illiberitanum Concilium contulerit multum; *sub initium Epistolæ primæ ad Innocentium XI,* quam hunc in finem exaravit totiq; tractationi præmisit. *Confer alteram ad eundem sub finem Operis, p. 699.*

Specialissima; depromere hinc præter historica, nonnulla etiam dogmatica, quæ *partim* faciant ad ritus Missæ probandos, *præfat. num. 6.* tametsi *ibid. a Patribus Antiochenis non exponi, in quibusnam consistat hoc sacrosanctum mysterium,* non difficeatur; *partim,* quæ confessionem Sacramentalem concernant, *num. 7.*

Tractatio ipsa absolvitur dissertationibus quinque. Quarum *Prima* agit de causa Athanasii & occasione ac autoritate Antiocheni Concilii. *Secunda* de Episcopis, in hoc Concilio præsentibus. *Tertia* de iis, quæ ad fidem spectant & in hoc Concilio decreta sunt. *Quarta* de Canonibus hujus Concilii 25 agit. *Quinta* continet Appendicem de Actis post Synodum Antiochenam, deque Eusebianorum Conventiculo.

Nervus totius hujus tractationis per elegantem *ἀναπλάωσιν* continetur *in epistola altera ad Pontificem p. 699 & 700.* Verbo: Inter Antecedentia *Epistolam a Solis Eusebianis ante Synodum de fide conscriptam, & formulam ab eisdem aliquot mensibus post Encænia confectam, cum occasione hæresis Arianæ edita sint, ob prætermissam vocem,* consubstantialis *suspectas habet;* & inter consequentia, *statuta & de-*

erecta a quadraginta Arii complicibus post Synodum edita, imprimis *Athanasii damnationem, posthumo Eusebianorum Conventiculo adscribendam* plane detestatur; *Canones v. XXV a nonaginta Patribus in ipso Concilio formatos* probat & commendat.

EUSTRATII JOHANNIDIS ZIALOWSKI RUTHENI Brevis Delineatio

ECCLESIÆ ORIENTALIS GRÆCÆ, nunquam antehac, nunc vero cum notis evulgata

a

VVOLFFGANGO GUNDLINGIO,

Eccles. ad D. Laurentii apud Noribergenses Ministro.

Norimbergæ, in 8. 1681.

OPusculum hoc Autor, homo religioni Græcæ addictus, Viro Clarissimo, *Johanni Vogelio* Rectori Scholæ Sebaldinæ, anno 1621 ante abitum suum mense Octobri reliquerat, occasione scribendi accepta a *Georgio Mauritio* Professore Altdorffino, cujus hospitio *Eustratius* Altdorffii degens usus fuerat. Hoc inter socci sui, modo laudati Vogelii scripta reperiens *Wolffgangus Gundlingius* publica luce dignum esse vel eo nomine censuit, quod pauca admodum de statu Ecclesiæ modernæ Græcæ ad nos pervenere: suspecta vero multa, præsertim quæ a Latinis communicantur. Idem quæ brevissime in hac delineatione continentur, notis eruditis illustravit; hac methodo servata, ut (1) in quibus Eustratius cum aliis, qui de Religione hodiernæ Græcanicæ Ecclesiæ scripserunt, conveniat, in quibus discrepet: (2) ubi Græci cum Latinis pugnent, ubi idem sentiant & loquantur: &(3) ubi eorum, quorum in hac delineatione fit mentio, vestigia in Ecclesia antiqua reperiantur, diligenti studio annotaret.

Inter alia observatione digna *Gundlingius* a p. 69, ad p. 83, *sex recitat formulas Symboli*, quod perhibetur esse *Athanasii*. *Prima* est, quam Gilbertus Genebrardus adeptus est ex MS. Lazari Baiffii a

Diony-

Dionysio Episcopo Zicnensi & Firmiensi Anno 153 oblato. *Secunda* est, quam olim evulgavit Basileæ Nicolaus Bryling, deinde in Gallia Henr. Stephanus Anno 1565. Quæ duæ formulæ septem in locis invicem dissident. *Tertia* est Philippi Labbei & Gabrielis Cossartii XL vicibus varians. *Quarta* est Ecclesiæ Constantinopolitanæ juxta Genebrardum, de qua mirum discrepante a præcedentibus, etiam quoad integras voces & constructiones, non immerito quis dubitare posset, annon sit supposititia, aut minimum corrupta, cum viderit §. 15. addi verba ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον (ἐκπορευόμενον): siquidem constet, Græcos hæc verba in Symbolo Athanasiano non legere. *Quinta* hujus Symboli editio est, prout habetur Tom. II. Opp. S. Athanasii edit. Commel. p. 38. ubi notandum, in Versione quidem Latina hujus exemplaris legi: Spiritus S. a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens: In Græco vero verba ἐκ τοῦ υἱοῦ non apparere. *Sexta* est, quam Labbeus ex Usserio, Usserius ex Patricii Junii apographo Anno 1647 publici juris fecit. Ex diversis his Symboli Athanasiani formulis, quæ sit ipsius Athanasii, difficile erit divinare. Omnes has unius esse Autoris, tot insignes mutationes non concedunt. *Voces ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον Symbolo huic a Latinis intertextas esse*, inde probabile fit, tum quod sic etiam fecerint Symbolo Nicæno, ut prolixe ostendit Autor a p. 54, ad p. 68, tum quod usque ad Seculum XIV nemo contra Græcos Symbolum Athanasianum produxerit, cum tamen controversia de Spiritus S. processione jam quingentos annos durasset.

LE PRUDENT VOYAGEUR, par le Chevalier Louis du May, a Geneve. 12.

Peregrinator prudens, autore Ludovico Majo, Equite. 1681.

Quid] observandum sit isti, qui potiores orbis partes peragrare propositum habet, insigni exemplo ac veluti specimine in hoc libro ostendit Autor, dum apud omnes gentes quid obtineat, exacte refert. Asiæ enim, Africæ & Americæ, sed eumprimis Europæ statum exponit, illustresque familias & earum ortum, genea-

genealogias, ac fata: Rerumpublicarum conditiones, provinciarum & regionum ſitus, fertilitatem, robur, magiſtratus, quidve cuivis earum conducat aut noceat, omnem denique civilem ſcientiam recenſet.

Univerſum opus in tres diſtinxit partes, quarum *prima*, veluti generalis, partium univerſi orbis ſitum & conditionem exponit, inque finibus deſignandis occupata eſt, initio ab America, Aſia, & Africa facto: quas tamen tres orbis partes levi brachio attingit, & tribus Diſcurſibus earum hiſtoriam abſolvit: inde ad Europæ, quam potiſſimum exhibere ſibi propoſuit, provincias, regna & principatus, Resque publicas progreſſus, Græciæ primum ac Thraciæ, Turcarumque gentis, inde Moſcoviæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Britanniæ, & cumprimis Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Italiæ: in eaque Regni Neapolitani, Status Mediolanenſis, Papæ, Venetorum, Ducis Sabaudiæ, Magni Ducis Hetruriæ, Ducis Mantuæ, Modenæ, Parmæ & Urbini: Rerumpublicarum, Genuæ, Luccæ, minorumque Italiæ Principum: tandem Hungariæ præſentem ſtatum exponit.

Altera Germaniæ potiſſimum ſtatum & regiminis formam exhibet, Imperiique circulos & originem ac progreſſum illuſtrium in ea familiarum, Imperatoris, Electorum ac Principum; liberorumque Statuum rationem tradit. Ducto igitur ab Imperatore initio ejusque excelſa gente, qua ratione illi innexæ & divulſæ iterum ſint illuſtres aliquot Domus, enarrat. Inde Burgundici circuli, iſtique illigatarum Belgii provinciarum, ab Imperio hodie avulſarum, Principis Arauſionenſis, aliarumque illuſtrium Belgii familiarum: circuli item Rhenani, domusque Lotharingicæ & Haſſiacæ hodiernum ſtatum exponit. Inde Electoralem dignitatem, & quæ iſthac gaudent illuſtres Familias recenſet: & poſteaquam tres Eccleſiaſticos Electoratus, Moguntinum, Colonienſem & Trevirenſem leviter attigiſſet, ſecularibus eorumq; Domibus preſſius inhæret, Palatinæ cumprimis genealogiam exhibens. Ad Franconicum dein circulum progreſſus, quæ ad iſtum pertinent illuſtres Domus & liberas Imperii civitates enumerat: eadem ratione Bavarici, Suevici (in quo prolixior eſt, dum Sereniſſimorum Würtenbergiæ Principum genealogiam recenſet & eorum provinciam deſcribit) Weſtphalici, ſuperioris & inferioris Saxonici Circulorum hiſtoriam pertexens, & hanc partem tractatione de

Vica-

Vicariatu Imperii, & regiarum Imperii Romani inde usque a Carolo Magno urbium ratione claudens.

Tertia pars tota circa Hiſpaniam occupata eſt, cujus tractationem hiſtoricam & politicam exequitur, ac cumprimis veras rationes indagat, quibus regnum iſtud ſuperiori ſeculo eam in magnitudinem ac potentiam evectum ſit, ut omnibus aliis populis formidinem inculſerit, eosque ad infringendas has vires concitarit: hodie contra hæ adeo attritæ ſint, ut pleræque gentes contrariis ſtudiis nitantur, ne alienæ potentiæ prorſus ſuccumbat. In cujus rei dum inquirit cauſas, varia, quæ ad ſtatum iſtius regni pertinent, profert in medium, Regesque, qui olim id tenuerunt, & quibus hodie illud paret, potentiam item atque alia, quæ hueſpectant, exponit: majorique cura iſthoc regnum, quam reliquos Orbis terrarum Status deſcribit.

TRAITÉ DU DROIT DE CHASSE.

A Paris. 12.

Tractatus de jure venandi. Pariſiis 1681.

AUtor hujus libelli *F. de Launay* Profeſſor Juris Gallicani, ut ſpecimen artis ederet, quam facere novo exemplo a Rege juſſus eſt, hanc juris Gallicani partem, quæ circa feras occupatur, explicandam ſibi ſumſit. Ergo quid olim legibus Salicis, & ab ipſis Merovingorum temporibus usque hac de re ſancitum ſit, quodque jam tum capitale crimen admiſerit, qui hoc majeſtatis jus involarit, docet: ejus æquitatem oſtendit: qua ratione Rex iſtud ſubditis communicarit, & utrum vi jurisdictionis competat, tradit; ad ſingularia vero juris hujus capita neutiquam deſcendit, ut ex eo, quid hodie apud Gallos obtineat, cognoſcere poſſimus.

PHOCÆNA,

Or the Anatomy of a Porpeſs, diſſected at Gresham Colledge.

i. e.

Anatome Phocænæ, diſſectæ in Collegio Greshamenſi. Londini in 4. 1680.

Digitized by Google

ANtequam autor libri *Edwardus Tyson* hujus Aquatilis, quod alias *Turſionem*, germ. Meerſchwein/ vocant, deſcriptionem anatomicam aggreditur; Anatomen in genere, hinc comparativam, commendat, ſimulque qua methodo naturalis animalium hiſtoria erui & formari debeat, docet. Inde Diſſectionem Phocænæ, methodo commendatæ conformem exhibet, animalis, quod facietenus & forma externa piſci per pleraque ſimile eſt, (niſi pinnas anteriores excipias, quæ integumentis externis detractis, brachia humana ſatis accurate repræſentant) quoad partium vero internarum ſtructuram quadrupes potius dicendum foret, imo, ſecus ac reliqui piſces, ſanguine fervente gaudet. Mox enim ſub cute per univerſum corpus, ſimili modo, ac in porco (unde germanica nomenclatura ipſi contigit) expanſam obſervavit pinguedinem, Panniculum Carnoſum craſſiorem, Muſculos valde ſanguineos, ac Omentum notabile, utut hujus contrarium *Bartholinus cent. 2. hiſt. 25. & J. D. Major, anno III. Miſcell. Acad. Nat. Cur. obſerv. 20. p. 25. & apud Blaſium in anat. animal. part. 3. c. 16. p. 286. ſqq.* aſſeruerint. Huic 10 aut 12 circiter Glandulas intertextas Lienis officio fungi, contra eundem *Majorem* docet. Ventriculum triplicem, Inteſtina Cæco & Colo deſtituta, Meſenterium cum Pancreate Aſellii, hincque ad Receptaculum lumbare derivata Lactea Vaſa teſtatur. Epar ſine Folliculo Fellis, ut in homine, integrum, minime juxta *Ray in Transact. Philoſ. Angl. No. 76.* in lobos diviſum, ac Renes ex plurimis Glandulis, communi cuidam tunicæ incluſis, coagmentatos ait. Glandulis vero renalibus, Veſica urinaria, Vaſis umbilicalibus, Organis genitalibus, & quidem diſſectum ſubjectum fœmineis; Diaphragmate reliquisq; Thoracis membris quadrupedes quam exactiſſime pariter imitari docet: niſi quod in eodem pectore corpus, glanduloſo ſimile Vaſisque ſanguiferis intertextum; lateribus Spinæ adhæreſcat, quale quid in nullo alio animalium genere deprehendatur, quod totum etiam Medullæ Spinalis tractum operiat; cujus tamen partis uſum ſibi ſatis obſcurum fatetur. Ratione dentium, quorum 96 numerat, *Jonſtonum* erroris accuſat, dum *in Hiſt. natural. piſc.* illos obtuſos & molaribus ſimiles aſſerit, qui tamen acuti magis ſint: ac quoad Oſſis Hyoidis conformationem itidem *Majorem* ſtringit. Cum aliis piſcibus cetaceis commune in hoc vidit ſpiraculum aut fiſtulam, loco narium ipſi in inſpiratione inſervientem, ſimul tamen viam

viam quoque concedentem pro aqua, quæ uberius cum præda assumpta est, nec deglutienda tamen, denuo expellenda. Porro quamvis *Rondeletius* omnibus piscium generibus Palpebras denegarit, illis tamen Phocæna non caret, in quarum superiore Ductus Lachrymales Stenonis cum glandula ejus innominata observavit noster Anatomicus, ut & in oculis præter Musculos sex humanos septimum seu suspensorium brutis proprium. Cerebrum hujus, aliorum piscium atq; quadrupedum cerebra mole longe superare, destitui tamen Nervis Olfactoriis & Processibus Mammillaribus, (licet *Rondeletius* olfactum Delphinis concedat) perhibet. Contra, licet *Ray* in hoc nates & testes non deprehenderit, vidit tamen Noster, & Testes quidem Natibus majores. Pariter, ut ut *Aristoteles* & *Plinius* Aures, ipsaque autopsia auricularum apparatum ipsi deneget, Meatus tamen Auditorii singularem structuram internam prolixe describit. Tandem Osteologiam annectit, in qua Spinæ Vertebras *Major* 54 tantum, *Tyson* 60, ac 13. cujuslibet lateris Costas numerat, & Ossium Pinnarum anteriorum cum brachio & manu humana analogiam eyincit. Cuncta vero membra in tabulis duabus delineata addit.

GERH. BLASII AMSTELODAMENSIS Anatome Animalium, figuris variis illustrata. In 4to, Amstelod. 1681.

QVam *Tyson* in Phocænæ Anatome animalium diversorum commendabat Anatomen comparativam, quamque non unius hominis, sed plurium ingeniorum atque manuum opus esse, ipsi lubentissime concedimus, hujus Specimen illustre, ex propriis partim, partim aliorum, & quidem Veterum æque ac Neotericorum observatis, cum figuris pluribus, edidit *Blasius*, cujus famam alias diversa scripta Medica atque Anatomica notissimam reddiderunt.

Dividit hoc opus in partes 5. quarum *prima* varias illorum brutorum, quæ terrestria audiunt, species exhibet, una cum sciagraphia nutritionis animalium ex *Theodori Aldes* (alias *Matth. Sladi*) tractatulo, superioribus annis edito. *Altera* pars plurium Volatilium dissectiones suggerit, cum ovi & pulli, hujusque generationis historia, ex *Aquapendente*, *Harveo* &c. congesta. *Tertia* vero Aquatilium; *Quarta* Insectorum; ac *Quinta* Serpentis anatomen continet.

VITÆ SELECTORUM ALIQUOT VIRORUM, qui doctrina, dignitate aut pietate inclaruere.

Londini in 4to. 1681.

Gulielmus Bateſius, utili ſane inſtituto, vitas præſtantium aliquot virorum, a diverſis autoribus, partim orationibus, partim narratione brevi & epiſtolis deſcriptas collegit; atque illas uno volumine Londini nuper evulgavit. Quas ſi dignitatem virorum reſpicimus, in tres claſſes commode diſpeſcere poſſumus.

Ad *primam* pertinent Principes ac viri nobiles. Quo ſpectant *Heinrici Walliæ Principis* Laudatio funebris, per Franc. Neatherſole Academ. Cantabr. Oratorem. p. 401. *Ilderici Daniæ Regis filii* laudatio funebris per Opitium p. 432. *Frederici Heinrici Arauſionenſium Principis* laudatio funebris per Fridericum Spanhemium. p. 493. *Joh. Pici Mirandulæ & Concordiæ Principis* vita per Johannem Franciſcum filium Princeipem Mirandulæ p. 90. In obitum *Thomæ Bodleji* Equitis, celeberrimæ apud Oxonienſes bibliothecæ fundatoris, Oratio funebris, a Johanne Haleſio habita p. 416. Commentarius de rebus pace belloque geſtis Domini *Fabiani* Senioris Burggravii *a Dona* per Gerhardum Voſium p. 446.

Ad *Secundam claſſem* referimus viros Eccleſiaſtica dignitate conſpicuos. Huc ſpectant *Heinrici Chichele* Archiep. Cantuarienſis vita, per Arthurum Duck p. 1. *Gul. Waynfleti*, Epiſcopi Wintonienſis & Angliæ Cancellarii, per Gul. Buddenum p. 49. *Petri Bembi* Cardinalis vita, per Joannem Caſam p. 140. Vita *Gaſp. Contareni* Cardinalis, per eundem Caſam pag. 154. Vita *Hieronymi Savanarolæ*, per Joh. Picum Mirandulæ principem p. 107. De obitu *Martini Buceri* Epiſtolæ duæ Johannis Checi, & Nicolai Carri p. 250. Vita *Bernardi Gilpini* per Georgium Carletonum Epiſcopum Ciſtrenſem p. 282. & vita *Jacobi Uſſerii* Armachani Archi Epiſcopi cum catalogo operum ab eo editorum. p. 734.

Ad *tertiam claſſem* ſpectant viri ob rem literariam maxime celebres. Quo pertinent vita *Deſiderii Eraſmi* per Rhenanum deſcripta, cum indice lucubrationum ab ipſo editarum. pag. 187. *Guil. Budæi* per Lud. Rhegium p. 215. *Chriſtoph. Longolii.* p 240. *Vincentii Pinelli*, per Gualdum p. 314. *Scævolæ Sammarthani* per Gabrielem Michaëlium Rupi-

Rupimalletum p. 379. *Jul. Cæsaris Scaligeri* vita & scripta, p. 404. Dan. Heinsii Epistola de morte *Josephi Scaligeri* ad IS. Causaubonum p. 417. *H. Grotii* vita & scripta, p. 420. *Petri Pithœi* vita p. 435. Panegyricus *Jano Grutero* scriptus a Balthasare Venatore cum catalogo Scriptorum, p. 526. *Julii Cæsaris Lagallæ* Medici & Philosophi vita per Leonem Allatium p. 575. *Gvilielmi Cambdeni* per Degorum Wheare pag. 589. vita *Antonii Walæi* p. 600. *Petri Puteani* per Nicol. Rigaltium p. 660. *Dionysii Petavii* vita per Heinr. Valesium p. 678. *Jacobi Sirmondi* per Heinric. Valesium vita, cum indiculo scriptorum editorum, p. 87. *Petri Molinæi* vita p. 697. *Heinrici Valesii* per Hadrianum Valesium pag. 729.

Inter has vitas præ cæteris lectu dignæ videntur, Hieronymi Savanarolæ, Joh. Pici Mirandulæ, P. Bembi, Desiderii Erasmi, Jul. Cæs. Scaligeri, & H. Grotii, qui nostro ævo inter eruditos principatum tenuit.

AMMIANI MARCELLINI rerum gestarum, qui de XXXI supersunt, libri XVIII.

Ope MSS. codicum emendati ab *HENRICO VALESIO*, & auctioribus adnotationibus illustrati.

Nec non *Excerpta vetera de gestis Constantini & Regum Italic.* Editio posterior, In fol. Parisiis 1681.

DE *Ammiano Marcellino*, notissimo Romanarum rerum ab exortu *Nervæ* ad *Valentis Augusti* mortem Scriptore, ac post primam editionem, quæ Romæ, ubi & opus ipsum compositum olim a Marcellino fuerat, *A. Sabini* Poëtæ laureati opera A. 1474 prodiit, plus tredecies typis descripto, non attinet dicere. Tantum quæ novæ hujus, nitidissimæque editionis fuerit occasio, quidque in ea diligentissimus curator *Hadrianus Valesius* præstiterit, monendum erit paucis.

Ediderat anno 1636 Parisiis Marcellinum *Henricus Valesius*, vir de literis egregie meritus, ex manuscriptorum codicum fide doctisque conjecturis; quantum fieri potuit, emendatissimum, notisque illustratum perquam eruditis. Ex quo tempore & familiaris magis reddi

hic Auctor eruditis cœpit, a cujus lectione antea quamplurimos tot in eo lacunæ ac menda absterruerant: & editio præcipue illa Valesianæ, distractis brevi tempore exemplaribus, summo apud doctos omnes in pretio fuit. Quo factum, ut iterari editionem, & ex *Henrici Valesii*, qui primæ editioni quadraginta annis superfuit, eoque temporis intervallo *Marcellino* suo curatius emendando aut illustrando non potuerat non subinde admovere manum, schedis perpoliri, unum omnium votum esset ac desiderium. Itaque frater Henrici *Hadrianus Valesius*, Historiographus Regius, tum ut novis in rem literariam meritis partum jamdudum augeret decus, tum quod dandum id fratris memoriæ putaret, at inprimis Illustrissimi Colberti hortatu, novæ tandem editionis curam susceperit, ac in ea sic versatus est, ut expectationi publicæ non responderit tantum, sed supergressus etiam docti orbis vota videri possit. Nam ex Colbertino inprimis codice textum *Marcellini* sæpiuscule & emendavit ipse, & fratris veteribus posthumisque observationibus suas non minus eruditas insperserit passim, & *Friderici* denique *Lindenbrogii* notas ex schedis ejus uberiores exhibuit.

Præmittitur Operi universo *Hadriani Valesii* præfatio, qua rationem primum instituti sui reddit, totiusque operis œconomiam exhibet: tum de Ammiani vita scribendique genere, & libris, qui periere partim, partim supersunt, erudite disserit: inde locorum quorundam *Ammiani* ex codice Colbertino emendationes, in notis ipsis ob Typographorum festinationem omissas inserit: denique *Lindenbrogii* errores nonnullos, quos in istius observationibus notaverat, perstringit. Sequitur vetus præfatio *Henrici Valesii*, eamque vita Ammiani Marcellini a *Claudio Chifletio* composita. Ipsi textui notæ utriusque Valesii ita subjiciuntur, ut quæ nude expressæ sunt, veteres *Henrici Valesii*; quæ duobus asteriscis inclusæ, *Henrici Valesii* novæ ac posthumæ; quæ denique duobus uncinis inclusæ sunt, *Hadriani Valesii* esse primo conspectu intelligantur. *Ammiano* subjunguntur *Excerpta veteris Auctoris ignoti de Constantio Chloro* aliisque nonnullis Imperatoribus, nec non *ex libris Chronicorum de Odoacre & Theoderico Regibus Italiæ* nonnulla; cum *Hadriani Valesii* Dissertatione de Hebdomo, & indice rerum accurato. Sub calcem operis *Frid. Lindenbrogii* notæ ad *Marcellinum* auctiores separatim exhibentur. *Marcelli Donati* Dilucidationes in Marcellinum, quas tomo VI Thesauri Critici *Janus Gruterus* inseruit, indignæ

dignæ *Hadriano Valesio* visæ sunt, quas Editioni suæ, quam omnibus numeris voluit absolutam, jungeret. Nec tulisset forte pretium operæ Ast de ipsius *Gruteri* in *Marcellinum* Observationibus, quas *Corpor. Scriptorum Historia Augustæ Anno 1611 editorum* inseruit, an non ex dignitate novæ huic editioni jungi potuissent, cogitandum aliis relinquimus. Etsi visas eas *Hadriano Valesio* non fuisse, haud obscure ex ea Præfationis parte conjicias, qua *Ammianum ope veteris codicis emendatum, sed nudum a notis & observationibus publicatum a Grutero* commemorat.

DE VERA ANTIQVORUM HERBA Britannica, ejusdemque efficacia contra Stomacacen seu Scelotyrbem.

Autore

ABRAHAMO MUNTINGIO,

Groning. Frisio, D. & Botan. Prof. Publ. Groning.

Amstelod. 4to 1681.

INdustrius hic & curiosus Botanicus, cujus jam nomen, de Plantarum Cultura edito scripto, Belgico Idiomate, anno 1672, *Tit. waare Oefening der Planten*, inclaruit, præsenti hoc Tractatu *Britannicam* herbam, ceu veteribus cognitissimam, neotericis vero penitus ignotam, ex oblivionis tenebris, in lucem denuo protrahere satagit; cui *Aloedarium*, sive specierum Aloes historiam botanicam in fine adjungit. Britannica ergo planta Frisiis olim, & vicinis regionibus, endemico scorbuti malo graviter afflictis, optima medicina extitit, adeoque & Romanis, quorum exercitus sub primis Imperatoribus, in istis regionibus ex aquarum insalubritate dicto morbo graviter laborare coepit, demonstrata, & explorato ejus auxilio, decantatissima tunc temporis, & postea pariter ab omnibus (ut ante ab ipso mundi exortu) scorbuto afflictis ultra 8. annorum centurias frequentissime usurpata fuit. Quum vero anno Christi 757, 80, & sequentibus, Gothi & Normanni in Frisiam irruissent, libertate gentis oppressa, extinctisque quibusvis disciplinis, oblivioni quoque planta hæc tradita fuit. Autor itaque 1. Veterum Britannicam veram denuo demonstrat. 2. alias pro Britannica habitas plantas expun-

expungit. 3. Britannicæ veræ faciem, vires & usus edocet. Primum quod attinet, postquam ex *Dioscoride* lib. 4. cap. 2. *Plinio* lib. 25. cap. 3. *Galeno* l. 6. simpl. cap. 98. & cæteris Græcis, quin & Arabibus ostendisset, ab omnibus Lapatho, quod latinis Rumex audit, & quidem silvestri, foliis nigrioribus & longioribus, similem Britannicam statui, universam Lapathi sive Rumicis genealogiam tradit, & 27 ejusdem differentias, adjunctis in fine singularum descriptionibus & iconibus æri incisis, recenset, & has inter *Lapa-*

TAB. I. *thum sylvestre longifolium*, *nigrum*, *palustre sive Hydrolapathum nigrum*, cujus figuram tabula nostra prima exhibet, veram Veterum Britannicam esse determinat. Huic male substitutas plantas alias, in specie Bistortam, Heptaphyllon, Tormentillam, Primulam veris, Betonicam, Cochleariam, Beccabungam aquaticam, Veronicam, Bugulam, Plantaginem aquaticam, & alias plures rejicit. Pressius postmodum Britannicam explicare aggreditur, & postquam occasione loci, in quo frequentius propullulat, plura de terris veneis, morinis, cespitibus & torfis exposuisset, ipsius Britannicæ descriptionem, p. 111. & prolixiorem explicationem pag. 113. & seq. subjungit. Etymi rationem inprimis explicat, ostendens nomen esse absolute Frisicum, compositum ex *Brit*, quod consolidare, firmare, *Tan*, quod dentem, *& ica sive kica*, quod ejectionem significat: Ab effectu ergo a Frisiis vocatam fuisse britannicam, herbam nimirum, solidarum partium, præsertim dentium, contabescentiam, aut ejectionem consolidantem, ceu symptomata scorbuto familiarissima. Pro quorum confirmatione plura sequuntur experimenta, quantum in cura scorbuti ejusque symptomatum, hujus herbæ beneficio autor præstiterit. Progreditur hinc ad qualitates plantæ, & ratione (sic dictarum) primarum, eam frigidam & siccam esse; ratione secundarum, adstringere, conglutinare; ratione tertiarum, nervorum malis, hinc venenis mederi, adeoque alexipharmacum esse: ratione virtutis specificæ, scorbuto efficacissime occurrere asserit. Usurpandi denique & cum aliis miscendi rationem, & multiplicem internum ac externum usum declarat. Interne speciatim decoctum ejus, tam compositum, quam principaliter simplex, ceu præ aliis efficax & probatum propinat, quod posterius, non scorbuticis saltem malis, sed præterea hæmorrhoidibus, hydropi, anginæ, dysenteriæ, diarrhœæ,

pleu-

Digitized by Google

TAB. I. Britannica Antiquorum vera.

ad Arbor. pag. 16.

Digitized by Google

Digitized by Google

pleuritidi mederi, exemplis ostendit: monendo simul, decoctum rad. britannicæ c. duplic. tormentillæ in sero lactis, cruentum mictum pecorum curare. Addit potiones quasdam britannicæ universales vulnerarias, item contra casum ac vitia dentium, scorbutica, dentifricium non inelegans. Sequuntur Electuaria, item triplicia extracta, & denique spiritus abstractitii, ex planta ac seminibus concinnati. Agmen claudunt Emplastra & Unguenta, ex Britannica cum aliis pro vario usu externo composita. Ex quibus omnibus tandem concludit, Britannicam eam Frisiorum non solum, sed etiam Belgarum, jure meritissimo vocari posse Panaceam.

In Aloedario, *Aloes mucronatæ folio Americanæ majoris*, aliarumque ejus specierum Historiam recenset, & iconibus illustrat, occasione modo dictæ aloes, in Viridario Autoris, inusitato, vereque stupendo more florescentis, nec a quopiam, præter *Tobiam Aldinum* in Horto Farnesiano, descriptæ; protrusit autem intra triennium 18 caules, floribus onustos, modo plane inaudito, quibus omnibus deperditis ipsa adhuc virescat, annum agens 42. Subjungit culturam, & ejus usum tam medicum, quam diæteticum ac mechanicum, apud Americanos multiplicem. Dum porro persequitur cæteras aloes species, etiam aloen veram vulgarem, ac in specie majorem, *Asiaticam* scil. quibusdam sempervivum marinum dictam, & cujus succus universæ Europæ adeo usitatus existit, describit, idque eo exactius, quod in Viridario suo eandem aluerit, (in quo tres flores protrusit,) & quod exacta ejus historia a nemine hactenus feliciter satis tradita. Florum præsertim rationem habet, qui colore luteo & gilvo intermixto conspicui sint, odore nullo. Denique concertum succum parandi modum annectit, quem speciatim ex *Garcia ab Horto* recenset.

RELATION NOUVELLE D' UN VOYAGE de Constantinople. i. e.

Itinerarium novum Constantinopolitanum, in 12. juxta exemplar Parisiense A. 1681.

Auctor libelli hujus *Grelotus* tametsi fatetur, nec primum se Orientem peragrasse, nec primum Constantinopoleos descriptionem fuisse aggressum: reliquorum tamen omnium, quos idem labor

exercuit, industriam in delineando quam exactissime locorum situ, & ichnographica ædificiorum publicorum designatione, visus sibi est superasse. Utique decore æri inciſas esse quas exhibet tabulas, inspicenti manifestum est: respondere vero eas examussim operibus ipsis, exprimenda quæ susceperit, celebrium aliquot virorum, *Marchantii*, *Blondelli*, *Bernerii*, *Covelli*, *Galandi*, qui & ipsi per orientem peregrinationes olim fecere, testimoniis præfationi subjectis confirmat. Nec diffitendum, *S. Sophiæ* inprimis *templum*, Christianorum olim sacris celeberrimum, nunc Mahumedana impietate fœdatum, cujus alioquin aditu Christianos omnes prohiberi constat, & lustratum fuisse a *Greloto* ipso diligenti anxioque studio, & operose descriptum. Etsi non minorem in designando hoc ipso templo industriam, habita tamen Antiquitatum præcipua ratione, illustris Scriptor *Carolus de Freſne*, tum *in Commentariis ad Paulum Silentiarium* cum *Cinnamo* A. 1670 editis, tum *in Conſtantinopoli Chriſtiana* A. 1680 cum egregio *de Familiis Byzantinis* opere publicata, adhibuit.

Auspicatur vero *Grelotus* Itinerarium suum ab *Helleſponto*, paucaque de *Promontorio Sigæo*, ruinis *Trojæ*, & celebratis tantopere apud veteres, etsi exilibus admodum fluviis *Xanto* & *Simoente* præfatus, latius disserit de duobus *novis caſtellis* (*Natoli-inghi-iſſar* Turcæ vocant, quod in Asia situm est, quod in adverso Europæ littore *Roumeli-inghi-iſſar*) *quæ Mahumedes IV* modernus Turcarum Imperator, ut aditus *Helleſponti*, in quo non semel classem Turcicam oppressérant Veneti, communiret, exstrui curavit; monetque non insuperabilia tamen ea esse, aut formidanda magnopere Christianis, ex ea parte Turcicum forte Imperium oppugnaturis.

Exin *Caſtella* duo *vetera* describit (*Dardanelles* nostri appellant, Turcæ *Boghaſe-iſſari*:) quorum item alterum in Asiatico, alterum in Europæo littore, eo loco, ubi quam maxime *Helleſpontus* constringitur, situm est, quæque adeo pro clausstris *Propontidis* habentur, creduntque vulgo ex ruinis *Seſti* & *Abydi* veterum surrexisse: atque sic sensim in *Propontidem* delatus recensét haud perfunctorie, tum urbes in utroque maris illius littore sitas, tum insulas *de Marmara*, quæ *Propontidi* ipsi nomen *Maris de Marmara* apud recentiores pepererunt; nec non quas nostri *Principum*, Turcæ *Papas-adaſi* vocant.

Tum ad urbem *Conſtantinopolitanam* progressus, ubi de situ ejus, origine,

gine, ac nominibus, de arce item, quam *septem turrium* dicunt, de *turri Belisarii*, *columna Arcadii*, ac palatii, quod *Serraglio* Itala dictione appellant, *porta* (nam interiora ejus, velut sibi non perlustrata, ex *Tavernerii* Relatione peti ipse cupit) quædam commemorasset, *Templum S. Sophiæ* curatissime describit, vel hoc labore solo, quo conciliare præcipuum libello suo pretium ac decus voluit, applausum Lectoris promeritus. Qua occasione & de *Græcorum* ceremoniis Ecclesiasticis, tam quæ olim, cum S. Sophiæ templum adhuc in manibus habuerunt, receptæ fuerunt, quam quæ hodienum obtinent: & de *Turcarum* religione ejusque præcipuis capitibus, & externo cultu disserit. Inde & *Turcica Templa* tria, quorum primum ab *Achmete*, alterum a *Soliman*no, tertium ab Imperatoris moderni matre conditum est, describit; finemque libello relatione de summo Turcarum tribunali, aliisque eorum institutis imponit.

JOHANNIS ADAMI SCHERZERI

Ingenui Præsulatus Misnensis ac R. Capituli S. Petri Budiss. resp. Præpositi ac Senioris, Theologi apud Lipsienses Primarii

ANTIBELLARMINUS

sive.

In IV Tomos Controversiarum Roberti Bellarmini Disputationes Academicæ.

Lipsiæ, sumptibus Jo. Fuhrmanni ac Viduæ Matth. Ritteri, in 4to. 1681.

CUm Cardinalis *Bellarminus* sit celeberrimæ famæ Scriptor, & maximæ inter Romano-Catholicos autoritatis, cujus Opus Controversiarum IV Tomis comprehensum hi adeo venerantur, ut nullum adversus hæreses præsentius antidotum isto scripto inveniri, nihilque præter apinas tricasque contra hoc ab ullo dici vel scribi posse pronuncient: causas sane gravissimas habuit Autor, cur *Dissertationes Academicas* adversus illos scripturus, hujus Cardinalis, præcæteris Polemicis, Scripta, ceu Religionis Romano-Catholicæ murum

& antemurale sibi oppugnanda deligeret. Accedebat nec inelegans *Bellarmini* nec incommoda methodus, qua tantum non omnibus suæ partis Scriptoribus in hoc genere palmam præripuit, sane dubiam reddidit. Huic vero Cardinali, ex quo tanquam Equo Trojano plerique Controversiarum Scriptores hactenus prodierunt, fundamenti loco subinde Noster adjungere non intermisit *Concilium Tridentinum*, cujus vocem Ecclesiæ Catholicæ vocem omnes salutare, & ut Magistram, in omnibus, Romano-Catholicos sequi, experientia quotidiana confirmat. Idem ubi ad Thesin ipsorum vel constituendam, vel explicandam opus erat, alia nobiliorum Autorum nomina ac testimonia in subsidium advocavit. Ex iis versis autem, per singulas Dissertationes, quarum sunt numero sedecim, *Præcipua* quæ Scripturæ autoritatem præ se ferre, aut aliquid præ reliquis in recessu habere videbantur *ἀνυπόπτοντα*, accurato studio selegit, inque gratiam Studiosorum Theologiæ (qui in præsentem Libellum alibi occurrentes aliorum objectiones, pro quotidianis Studiorum incrementis in tali negocio annotare poterunt) post statum Controversiæ per Thesin & Antithesin, ac utriusque Ecthesin, rite formatum, sine ambage aut circuitione tædiosa, brevi, ac rotunda non minus atque erudita excipiendi probandique ratione solvere instituit. In fine Libri adjecti sunt octo varia utilitate se commendantes indices.

OBSERVATIONES QUÆDAM ANATOMICÆ, Structuram Vasorum Biliariorum, & Motum Bilis spectantes.

FOlliculi fellis cervicem propagines notabiles, præter illam, cujus *Glissonius*, *Collegium Amstelodamense*, & *Blasius* mentionem faciunt, ad substantiam epatis spargere, seu potius inde recipere, imo harum quasdam cum ductu epatico communicare, persuadent mihi sequentia.

1. In Epate bubulo flatum, per ductum cysticum, ad turgescentiam usque vesiculæ, immissum & epatis caivam partem diversis tractibus transeuntem, per porum epaticum rediisse, aliquoties observavi. Bis vel ter equidem eundem nominati experimenti successum expectavi frustra, in talibus sc. subjectis, quorum epar calculis atque tartarea

rea materia refertum: in aliis tamen postmodum felicior, & idem cum pristino eventus expectationi meæ respondebat; quibus nempe epatis constitutio naturalis magis contigerat.

2. Ex virulini epatis cysti fellea omnem emulsi bilem, ligavi hujus ductum, ubi poro epatico inosculatur, ut per illius orificium nihil liquoris vesiculam subintrare posse, certus essem: hinc epatico, ope siphonis, aquam tepidam immisi, cujus tandem aliqua portio ad folliculum flaccidum divertebatur, hunc notabiliter distendebat, ac per vulnus ipsi inflictum effluebat.

3. Aperto hominis, canis, & bovis ductu cystico, illa in parte, qua is epati continnus est, plura deprehendi foramina (ab Amstelodamensibus & Blasio in bove saltem notata) tanquam totidem vasorum biliariorum oscula; ita quidem, ut hujus generis aliquando in canetria, in humano cadavere quinque, in epate bovino plura, v. g. duodecim, interdum pauciora, v. g. octo, ut in figura annexa, & nuperrime quinque tantum comparuerint. Tractus eorum, modo longiores, modo breviores, oblique satis meatus cystici tunicas utplurimum penetrant, in cane & homine stylum equidem admittentes, hincque vasorum peculiarium emanationem aut insertionem promittentes: quorum tamen ulteriorem progressum, propter exilitatem molestissimam, nec detegere hactenus, nec investigare licuit. Ast in subjecto quodam bubulo, quod commodioris magnitudinis causa eligebam, præter reliquos folliculi canalis meatus, ad epatis interiora decurrentes, duo patentiorum orificiorum vasa, ex lateribus illius oppositis prodeuntia, epatisque substantiæ saltem leviter immersa, ad sinum ductus epatici sic tendebant, ut flatui & stylo, a cervice folliculi usque ad porum epaticum, aditum liberrimum concederent. In epate alio, pariter bovino, unus saltem horum ductuum se manifestabat, cujus orificio ceram liquefactam injiciebam: quæ per sinum pori epatici rediens insertionem ductus, cystico atque epatico communis ac intermedii, aperte ostendebat. Imo leviter tantum excarnato epate, totum illius tractum & ramificationem, cum propagine notabili epaticum ad ductum tendente, conspiciendam exhibebat, prout fig. etiâ declarat. An communicatio hæc canalium biliariorum ordinaria ac universalis sit, dubium equidem ideo videri posset, quod, prout superius conquerebar, illam interdum plane non, semel duntaxat duplicem, frequentius

quentius simplicem deprehenderim: quia nihilominus semper, cadaveribus modo epar induratum exhibentibus exceptis, aliquid ejus observavi, a conformatione illam naturali dependere, probabiliter satis infero; quamvis eam alias majorem, alias minorem, modo simplicem, modo multiplicem esse, & epatis substantiam nunc profundius, nunc superficiarie tantum, jam pluribus, jam paucioribus propaginibus subire lubens concedam.

In ductu Glissoniano ad folliculi cervicem annotavi, structuram hujus atque insertionem non semper eandem esse. Cum aliquando ipsius orificio binos similes ductus adjacentes, stylumque ab intra recipientes, viderim; rarius in fundi extremitate, ut plurimum in cystici canalis principio illius insertionem deprehenderim; imo aliquoties ne vestigium ejus observare potuerim. Quod posterius quidem etsi hactenus oculorum meorum caligini existimavi tribuendum; nuperrimum tamen subjectum bubulum me docuit, lusum potius naturæ etiam in hujus canalis ramificatione atque insertione interdum contingere posse. Quamvis enim omnibus in hoc evolvendo usus fuerim enchiriisibus necessariis, minime tamen vel hujus osculum in solennioribus ipsi locis, vel ejus radices ex epate progerminantes, conspicere mihi licuit: donec tandem in ipsius ductus cystici latere hiatus manifestissimus apparuit, per quem impulsa cera, adhibita levi excarnatione, canalem, digitum fere sua longitudine, crassitie vero calamum scriptorium mediocris magnitudinis æquantem, diversisque ramulis instructum exhibebat; quem ipsum non sine omni ratione Glissoniano ductui succenturiari auguror.

Quid hæc pro officina, & motu bilis, satis alias ambiguis, determinandis facere possint, aliis, pluribus forsan experimentis instructis, judicandum nunc relinquo: ab epate tamen omnem forsan bilem, folliculo fellis non tantum per canales superius recensitos, sed epaticum quoque porum, infundi, observatio sequens testatur. Scil. canis vivi, præsentibus pluribus spectatoribus, dilaceravi vesiculam usque ad cervicem, tentaturus, an aliquid bilis per hanc versus fundum laceratum defluweret. Respondebat expectationi eventus, i. e. non tantum bilis, quasi turgescentia quadam, ex angustiore ductu cystico per latiorem cervicem copiosissime eructabatur, sed idem cysticus, post injectum

ipsi

Digitized by Google


Fig: 1
TAB. II.
ad A. 1602. pag. 27.
A
A
D
A
E
L
Fig: 2

ipsi vinculum, notabiliter sic intumescebat, ut nihil, aut parum saltem bilis per dictam cervicem amplius promanaret.

Explicatio Fig. 1. & 2. Tab. II.

TAB. II.

AA. Epatis substantia.
BBB. Epatis excarnati portio.
CC. Ductus Epaticus.
D. Ductus cholodochus seu intestinalis apertus.
EE. Ductus cysticus apertus cum Vesicula fellis aperta.
* Orificium ductus cystici & epatici intermedii.
G. Ejusdem ductus cum poro epatico communicatio.
HH. Ductus intermedius cum ramis, per epatis substantiam dispersis.
K. Hujus ramus cum epatico communicans.
a. Ductus Glissoniani insertio.
I. Ductus Glissonii canalis æmulus.
b. Hujus orificium.

DUPLATIO TRIANGULI ISOGONI,

& reliquarum figurarum rectilinearum, nova ratione ostensa.

PRoposuerat mense Septembri Anno 1679 *P. Sigismundus Hartmanni*, e Soc. Jesu olim Matheseos Professor, Pragæ Problema, *de Duplatione Trianguli Isogoni, citra adjumentum proportionum* solvendum: invitatis ad hanc rem peculiari scheda Geometris. Horum solutiones, si forte aliquæ ante Solstitium æstivum anni 1680 ad se deventuræ essent, suæ, quam publico tum dare destinaverat, non sine debito præconio juncturus erat. Cæterum invitatio dicta non ante multas hebdomadas demum, manu amici descripta, Lipsiam perlata est: incertis utique, utrum solutio a Dn. *Patre Hartmanno* promissa, quod temporis interea lapsi interstitium arguebat, lucem adspexisset. Unde, cum *Illustri* cuidam *Viro*, profundissimæ in Mathematicis scientiæ, sua indagine Problema non indignum, nec Marte suo elaborata solutio, si forte propositum Dn. *Hartmanni* interjectæ moræ hactenus tar-

tardassent, ingrata eidem futura, ex humanissima provocatione, videretur: quis eventus aut fatum solutionis Hartmanniana fuisset, percontandum nobis rati sumus. Inter utrumque autem ambiguis, literæ Pragenses, & faro functum *P. Hartmannum*, & dicto Problemati, monumentisque ejus aliis, publico bono concinnandis, occupari *R. P. Koppilum* paucis abhinc diebus nunciavere. Non dubiis ergo, re adhuc in integro, pari animo futurum successorem, ac *P. Hartmannus*, erga conatus circa hoc Problema susceptos, affectum se professus est, *Illustris Vir* ingeniosa sua, sub manu tamen nata mathemata, ut publico impertiremus, non gravate indulsit. In iis vero *1. Duplatio Trianguli Isogoni* N. I & III; *2 Æqualitas inter Triangulum Isogonum, super hypothenusa, & duo similia super crura recti anguli in Scaleno constituta*, N. II & IV; 3. 4. 7 Imi Eucl. *methodo ab Euclide, Clavio, Gregorio a S. Vincentio diversa, eaque*, quod Peletarius olim fieri posse negaverat, *sine proportionibus*, N. V; 4. *Universalis* denique *ratio figuras rectilineas quascunque duplandi* ex fig. tertia, N. V proponitur. Annexuit *Illustris Autor* duo insignia theoremata, *de potentiis laterum*, sive linearum, *Pyramidis rectangulæ, ad verticem cocuntium, junctim potentiæ Diametri Sphæræ circumscriptæ æqualibus, & inventione duarum mediarum proportionalium beneficio Sphæræ*: quæ quin suscitatura sint ad demonstrationem sui solertia Mathematicorum ingenia, nihil dubitamus.

N. I.

TAB. III. ### *DUPLATIO TRIANGULI ISOGONI.*

SUper Trianguli rectanguli (Fig. I) ABC Isoscelis, crure uno AC constructum Triangulum Isogonum (s. æquilaterum) ACQ sit duplandum.

Constitutis super AB & BC Triangulis Isogonis ABO, BCP: dico Triangulum ABO, Triangulis BCP, & ACQ æquari, & hujus posterioris duplum esse.

Ductis enim lineis AP, BQ, CO, & perpendicularibus, OI, PH, QG; item AH, BG, CI; & tandem constituta KL æquali ipsi KC, factoque triangulo KLN, simili & æquali ipsi EKC; & KLM, ipsi CKD: Anguli BAO & QAC Triangulorum Isogonorum sunt æquales, ut & communi BAC addito, anguli CAO & BAQ; lateribus autem AC,

Digitized by Google

TAB: III ad Lib. 2 p. 24.

I.



III



II.



IV.



V.



EX libris

Digitized by Google

AC, AQ, item AO, AB, circa æquales angulos æqualibus, Triangula CAO, BAQ similia sunt & æqualia.

Eadem ratione Triangula OBC, ABP, tum inter se, tum, ob æqualitatem laterum AC, BC, Triangulis CAO & BAQ sunt æqualia.

Demto jam Triangulis BAQ, CAO, in K mutuo sectis, communi Trapezio AEKF; reliqua Triangula QAE & FKB junctim æqualia sunt Triangulis AFO & EKC: & demto rursus, utrinque EKC, i.e. KLN, reliquum Trapezium BNLF, additum Triangulo QAE, æquale erit Triangulo AFO.

Pari ratione ostenditur, Trapezium AMLF, junctum Triangulo BDP, æquale esse Triangulo BFO.

Unde Triangula QAE & BDP, juncta Trapeziis BNLF & AMLF, æqualia erunt toti Triangulo ABO.

Porro: cum perpendiculares, PH, QG; item lineæ BG, AH, subjectas bases bifariam secent; erunt Triangula, BCG, ACH, singula totius ABC dimidia, adeoque inter se æqualia.

Sunt autem anguli PHC, HCG, CGQ recti, & inde lineæ PH & CA, item CB & QG parallelæ: & Triangula ACP, ACH; item BCQ, BCG super eadem basi & in iisdem parallelis, inter se æqualia: eademque ACP, BCQ (quæ & ipsa propter angulorum ACP & BCQ, laterumque circa illos æqualitatem æqualia sunt & similia, quod certa de causa obiter notamus) consequenter æqualia toti Triangulo ABC.

Demtis ergo utrinque Triangulis ACD, BCE, i.e. Triangulo ACD, BDK, & Trapezio MKLN (loco ECKD, Trianguli BCE) æqualia remanebunt Triangula QEC, CDP, duobus Trapeziis AMLF & BNLF.

Cum ergo supra ostensum sit, Triangula QAE, BDP, una cum Trapeziis BNLF, AMLF æquari Triangulo ABO; assumtis loco Trapeziorum Triangulis QEC, CDP, erunt Triangula ACQ, BCP æqualia Triangulo ABO, & hoc duplum ipsius ACQ, q. e. d.

N. II.

Ostendendum sit (Fig. II.) constitutis super Trianguli rectanguli Scaleni ABC Lateribus, Triangulis Ilogonis ABO, BCP, CAQ, primum horum æquari duobus postremis.

Demonstratio ab antecedenti nihil differt, nisi quod puncta F & I, ut in Schemate priori, non concurrant.

N. III.

DUPLATIO TRIANGULI ISOGONI.

VIA UNIVERSALI.

Constitutis (Fig. III) ut supra, super latera Trianguli rectanguli Isoscelis ABC, Triangulis æquilateris, ostendendum sit, Triangulum ABO, æquale esse duobus ACQ & BCP.

Per puncta O, P, Q, lateribus AB, AC, CB, ducantur parallelæ, OG, pD, QF; & his aliæ parallelæ, CK, GE, SG:

Eritque Triangulum { CBD / CAF } æquale Triangulo { CBP / CAQ }

Quia sub iisdem basibus & in iisdem Parallelis sunt.

Assumta vero ex AB linea BH, æquali ipsi FA; erit ob æqualitatem basium intra easdem parallelas, Triangulum HBC æquale Triangulo FAC: & consequenter Triangulum HCD, æquale duobus Triangulis BCP & ACQ. Porro: ob situm inter easdem parallelas, easdemque bases

Triangulum { ABO / BGA / CBG & consequenter CBE } æquale est Triangulo { ABG / BGC / CBE / ABO }

Jam ut ostendatur, lineas BD & EH esse æquales: in Parallelogrammo rectangulo Sp GR, lineæ Sp, GR; item BK, LH sunt æquales: sumatur GL sive RH, æqualis BS sive Kp, eruntque, demtis utrinque æqualibus pH & BG, residua HR & BS æqualia.

Et quia Triangula BSD & HRE sub æqualibus basibus HR, BS æquales (ob parallelismum linearum, quibus continentur) habent angulos; erunt etiam æquales hypothenusæ HE, BD.

Et consequenter: Triangula BDC, EHC, æqualium basium BD & EH, & sub iisdem parallelis ED, KC, erunt æqualia.

Addito jam ipsi EHC, communi Triangulo HBC, æquali ipsi FAC, sive EHC; erit Triangulum BCE, i. e. ABO, æquale Triangulo HCD, i. e. duobus Triangulis BCP, ACQ, q. e. d.

N. IV.

N. IV.

Eadem Methodo (Fig. IV) oſtenditur, ſuper Trianguli rectanguli ACB Scaleni hypothenuſa AB, conſtitutum Triangulum æquilaterum ABO, æquale eſſe Triangulis æquilateris, CBP, ACQ, ſuper crura CB, AC conſtructis, ſimul ſumtis.

Si enim per puncta O, P, Q, ſingulis lateribus Trianguli ABC parallelæ, GO, QE, PD; & his aliæ parallelæ Cq, BG, GF, ducantur: reliqua demonſtratio pene conveniet cum ſuperiori.

Notandum autem: Si loco Triangulorum ſimilia Parallelogramma, aut etiam Triangula irregularia ſimilia ſumantur, demonſtrationem parum variari; univerſalitatem vero demonſtrationis ad oculum apparere.

N. V.

Eadem methodo (Fig. V) oſtenditur: In Triangulo rectangulo quocunque ABC, quadratum hypothenuſæ ABVT, æquale eſſe duobus quadratis BC pP, ACQq, reliquorum laterum quomodocunque ſe habentium.

Ductis enim, ut antea, parallelis, CS, PO, OR: ob ſitum inter easdem parallelas, easdemque baſes

Parallelogrammum { BCSD, ACGE, CGHB } æquale eſt Parallelogr. { BC pP, ACQq, CGEA }

Et conſequenter, Parallelogrammum HGSD æquale eſt duobus quadratis, BCpP, & ACQq.

Porro ſub iisdem Baſibus & intra easdem parallelas, æquale eſt Quadratum ABVT Parallelogrammo ABOo; huic eadem ratione BOCI, & huic BCFR. Quia autem ſupra num. 3 oſtenſum eſt, lineas BP, HV (ibi BS, HR) æquales eſſe: hinc ſequitur, & BD, æqualem HF; & ſub his baſibus, iisdemque parallelis DF, SR, parallelogrammum BDSC æquale eſſe parallelogr. HGRF.

Addito ergo communi BHGC, erunt BCRF, i.e ABVT, & HGSD i. e. BCpP & ACQq ſimul, æqualia. q. e. d.

Quod vero demonſtrationem hanc univerſalem nominare auſi ſimus, ex Figura IVta facillime apparet, ſi loco Triangulorum Parallelogramma ſimilia ſumantur: demonſtratio enim pene eadem erit. In figuris regularibus Triangula e centris aſſumi, aut eædem ad Parallelo-

rallelogramma reduci poterunt: eadem ut in irregularibus manente demonstratione.

Cæterum quamvis mutata horum Diagrammatum constructione, idem modis aliis compluribus demonstrari potuisset: in præsens tamen ad continuandam propositionem Pythagoream sequens enunciatum hic referre sufficerit: IN OMNI PYRAMIDE RECTANGULA, TRIA QVADRATA LATERUM, ANGULOS RECTOS IN VERTICE COMPREHENDENTIUM, ÆQVALIA SUNT QVADRATO DIAMETRI SPÆRÆ CIRCUMSCRIPTÆ. Nescius nobis, utrum a quoquam enunciatum hoc sit demonstratum, semestre spacium (exemplo *P. Hartmanni*, ad laborem hunc nos invitantis) definitum sit: intra quod demonstrationem ejus aut ab aliis expectabimus, aut ipsi dare tenebimur. An autem (ut analogice apparet) uti IN CIRCULO, UNICA MEDIA PROPORTIONALIS; sic etiam IN SPHÆRA DUÆ inveniri possint, curiositati uniuscujusque pensandum relinquimus.

ECLIPSIS LUNÆ

Anno 1681, die 29 August. mane GEDANI

a JOH. HEVELIO

observata.

Tempus juxt. Horol. amb. Hor.	/.	//.		Altitudines. o.	/.	Tempus correctum Hor.	/.	//.
1.	1.	3.	Altitudo Palilicii.	24.	14.	1.	4.	48.
2.	4.	30.	Eadem altitudo.	32.	58.	2.	6.	32.
2.	9.	0.	Rursus capta.	33.	30.	2.	10	32.
2.	45.	0.	Vestigium penumbræ.			2.	46.	30.
2.	53.	0.	Penumbra paulo densior.			2.	54.	0.
2.	59.	0.	Adhuc densior.			3.	0.	0.
3.	1.	0.	Densissima.			3.	2.	0.
3.	2.	0.	Initium Eclipseos.			3.	3.	0.
3.	6.	0.	Prima Phasis.			3.	6.	30.

Tempus

Tempus juxt. Horol. amb. Hor. /. //.		Altitudines o. /.	Tempus correctum. Hor. /. //.
3. 12. 0.	Secunda Phasis.		3. 12. 30.
3. 14. 0.	Tertia Phasis.		3. 14. 30.
3. 20. 0.	Quarta Phasis.		3. 21. 0.
3. 22. 30.	Mons Sinai totus tectus.		3. 23. 0.
3. 29. 0.	Sexta Phasis.		3. 30. 0.
3. 43. 0.	Altitudo Pollucis.	30. 0.	3. 43. 0.
5. 2. 0.	Centrum Solis oritur.		

ANIMADVERTENDA.

INitio, Hor. sc. 1 matutina, cum Speculam ascenderem, vix spes aliqua, ob nubes totum fere cœlum obtegentes, dabatur vel quicquam solidi observandi; at vero circa Hor. 2 nubibus paulatim dehiscentibus, Eclipseos hujus, tam Initium penumbræ, quam ipsum verum Initium optime notare, ac etiam sex Phases crescentis ad Hor. usque 3, 22 min. faciei Lunaris, in Schemate delineare mihi obtigit; at postmodum densissimæ nubes intervenerunt, ut nihil quicquam amplius de reliquis Phasibus, maxima obscuratione, multo minus de decrescentibus observari potuerit: atque exinde minime constat, quanta hæc Eclipsis extiterit, aut quousque duraverit. Color ejus erat cineritius, sive fuligineus. Tempore observationis *Mons Porphyrites*, & *M. Ætna* fere in eodem perpendiculo existebant.

Phasis I. quæ in Schemate delineata fuit, per *Montem Eoum* transibat.

II. Ad *Paludes Arabiæ* incedebat.

III. Inferiorem ripam *Paludis* Maræotidis, & extremitatem *Sinus Sirbonis* tangebat.

IV. Per *Insulam Letoam* incedebat, ad ipsum *M. Sinai* usque; sed dictus *Mons* totus adhuc erat conspicuus.

V. *Sinum Syrticum* transire videbatur, sic ut totum *M. Sinai* umbra jam tegeret.

VI. Supra *Sinum Syrticum*, ultra *Inf. Cretam*, & per *Mare Mortuum* incedebat.

Digitized by Google

His Phasibus delineatis densissimæ nubes intervenerunt, ut nihil quicquam amplius, utut animitus exoptassem, deprehendere potuerim. *Nova* vero *Stella in collo Ceti* hac nocte, Luna etsi plena & splendente, major erat ea in ore Ceti, sed nondum æquabat lucidam Mandibulæ; altera vero *in collo Cygni*, nudis oculis ob ejus tenuitatem, parvitatemque haud quidem conspecta, sed Telescopio tamen deprehensa est.

Excerpta est hæc observatio, quam Celeberrimus Autor *in restituta, (de quo & ipsi & universo Orbi literato enixe gratulamur) post immanem fortunarum laborumque ex lugubri incendio jacturam, Specula sua Astronomica, inter primas instituit, ex literis* Ejusdem, *d. 20 Dec. st. nov. 1681: cui etiam longe benevolentissimam* Operum suorum, hoc anno, *per Dei gratiam* edendorum, *communicationem nos debere, cum prolixa gratissima mentis significatione non possumus non profiteri. Tanti autem eadem nobis est, ut ex voto & re Eruditorum omnino existimemus, si, nobis indicibus, velut anticipato, quid e penu* Celeberrimi Hevelii *ipsis brevi expectandum sit, cognoscant. Inter ea vero sunt*

I. Annus climactericus, sive Rerum Uranicarum aut observationum Annus quadragesimus nonus; exhibens diversas occultationes, tam Planetarum, quam Fixarum, post editam *Machinam Cœlestem*; nec non plurimas altitudines meridianas Solis, ac distantias Planetarum, Fixarumque Anno 1679, quousque divina benignitas concessit, impetratas, cum Amicorum nonnullorum Epistolis ad rem istam spectantibus. Gedani in Folio.

Continebit Liber, referente Cel. Autore, *observationes maxime notabiles rarissimasque, post editam Machinam cœlestem, ad eralem usque incendii diem, quo tota ipsius Urania conflagravit, nim. 26 Sept. ex æthere impetratas: eas cumprimis, quas præsente* Præcl. Domino Edmundo Hallejo, Illustris Societatis Regiæ Anglicanæ, *in fidem Instrumentorum suorum nudis pinnacidiis constructorum, observationumque totis quinquaginta annis habitarum, ac* parte II Machinæ Cœlestis *comprehensarum, habuit. Quæ singulari divini Numinis Benignitate flammis ereptæ, curiosis siderum scrutatoribus vel eo nomine acceptæ erunt, quod suffragio suo cæterarum, ex quibus Catalogum Stellarum Fixarum, Globosque accuratissimos mox habebunt, stabilient. Accedet iis con-*

Digitized by Google

ii continuatio historiæ novarum Stellarum, *inprimis miræ illius in* collo *Ceti.*

II. Literæ & judicia Illustrium ac Celebratissimorum Virorum de Rebus Astronomicis, ad JOH. HEVELIUM; studio atque opera I. E. O. Gedani.

III. Uranographia, Sidera Universa ex Catalogo *Cel. Autoris*, tam circa Polum Arcticum, quam Antarcticum, in plano, secundum omnium Stellarum veram magnitudinem complexa. Referet ea, præter Stellas alias recensas, 800 circiter novas; Asterismos pristinis recenter adjectos, Camelopardalim, Canes Venaticos, Lacertam, Leonem Minorem, Lyncem seu Tigridem, Monocerotem, Uraniæ sextantem a Vulcano repetitum, Triangulum minus, & Vulpeculam cum Anser.

IV. Globi cœlestes diversissimæ magnitudinis, ad annum 1700 completum: ex observatis, diligentia tot annorum incredibili, stellarum omnium hactenus cognitarum locis correcti, & altera fere parte Stellarum, atque hactenus prodierunt auctiores. Cujus documentum esto Tabella ad latus posita, numerum Stellarum Tychonicarum & Hevelianarum unius & alterius sideris referens: Sparsis illis, quæ ab aliis huic illive Asterismo adscriptæ, a Nostro vero novis suis tributæ sunt, non connumeratis.

Sidera Cœlestia.	Num. Stell. in Globis Tychonis.	Hevelii.
Andromeda.	23.	48.
Antinous.	7.	26.
Aquila.	11.	24.
Bootes.	26.	54.
Canis Minor.	3.	14.
Cepheus.	11.	52.
Cetus.	22.	47.
Cygnus.	26.	48.
Hercules.	28.	49.
Leo.	36.	60.
Pegasus.	20.	34.
Perseus.	28.	46.
Serpentarius.	18.	37.
Ursa Major.	36.	74.

V. Catalogus Stellarum Fixarum omnium, ex observationibus multorum annorum indefesso labore Gedani habitis, constructus, ac plurimis stellis hactenus nondum a quoquam observatis, locupletatus; exhibens tam Longitudines, & Latitudines, quam Ascensiones Rectas & Declinationes, ad

Annum

Annum Christi completum 1660. Cui annexa sunt quorundam Illustrissimorum Virorum loca, ad eundem Annum deducta, earum videlicet Fixarum, quas ipsi olim observarunt, secundum Longitudinem & Latitudinem: utpote *Tychonis Brahei, Principis Hassiæ, Riccioli, Ulug Beighi, & Ptolemæi.* Quo protinus ad oculum cuique pateat, an & quousque observationes omnium conveniant? an vero & in quantum discrepent?

Huic Catalogo Universali, annexus erit alter ad annum 1709 completum, secundum longitudinem & latitudinem, cum Tabula Ascensionum & Declinationum, & quidem 526 Fixarum, earundemque differentiis, inter annum videlicet 1660 & 1760.

Hæc præter Cel. Vir *in quindecim Volumina, Vulcano per Dei gratiam subducta, Literas omnes Illustrium ac Clarissimorum Virorum ad se scriptas, cum responsionibus, ab anno 1630 ad præsentem 1682, digessit: in quibus præter ea, quæ ad Astronomiam, Geometriam, Opticam, Chronologiam, Mechanicam & Physicam spectant, nihil rerum privatarum aut aliorum in Orbe gestorum; atque inde tanto major Orbi Erudito thesaurus sperandus foret, si, quod elegantissima Typographia Heveliana, ubi flammas indignas evasisset, præfitura fuisset, aliorum opera sumtuque, in vicem laudabilem succedente, sperari posset. Plurimum certe referret, aliis etiam constare, ut verbis* laudatæ Epistolæ *rem enunciemus*: quid inter nos (*Dnum Hevelium, Aliosque*) gestum, scriptum, disceptatum, & quibus rationibus quilibet res suas corroboraverit, tum quorum opinio de diversissimis rebus mathematicis prævaluerit.

Potuissemus, insignis colophonis loco, antegressis adjungere Catalogum MSSorum ἀνεκδότων Celeberrimi Kepleri, *in scriniis* Dn. Hevelii *hactenus reconditorum, Eadem Humanissima Manu Nobis indultum: nisi jam laborem hunc* Clariss. Editor Transactionum Philosophicarum Anglicarum Anno 1674, Vol. octavo, *pag. 20 occupasset.*

Ne vero, pari cum cætera erudita supellectile Heveliana fato, Eadem diris flammis in rapinam cessisse, frustra quisquam forte doleat; suffecerit hic divinam clementiam debite deprædicasse, per quam ea tam Vulcani, quam Autolyci deprædatrices manus, singulari providentia evasere: ut adeo Celeberrimo Possessori *& hunc thesaurum, obstetricantibus Eorum, qui publico ea curare possunt, manibus, grata aliquando debere possit posteritas.*

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Februarii, Anno M DC LXXXIII.

MUSEUM REGALIS SOCIETATIS.
Londini A. 1681.

Prostat Lipsiæ apud J. Grossium & C.F.F. Hæredes.

Recensuimus Calendis Januarii pag. 1. sqq. Naturalia quædam ex animali & vegetabili Regno, Museo hoc recondita. Superfunt quæ ad Minerale *Regnum spectant, nec non* Artificialia : *quæ nunc promissi memores subjicimus.*

MINERALE ergo quod attinet Regnum, se offerunt primo petrefacta, quæ inter pag. 255. *Ichthyites* in modum typi : hoc est lapis, cujus plano figura piscis non est impressa, sed cavitas lapidis interior in figuram ac typum piscis exacte est formata, adeoque quasi matricem aut formam exhibet, cui alia corpora, pro induenda piscis figura imprimenda sint. Sequuntur plures entrochitarum, item Coralliorum species ac varietates; speciatim *Corallium rubrum*, cujus radix supra truncum corallii albi expansa p. 275. *Rupes Adamantum*, ex qua in forma crystallorum sexangulari excrescunt. p. 281. *Lapis viridis, Smaragdi species*, quæ intensius calefacta, in tenebris, ad tempus notabile, scilicet per $\frac{1}{16}$ horæ partem luceat: ita quidem, ut color ejus viridis, (secundum ea, quæ observavit autor) admoto igne incalescentis, in intensissime cæruleum mutetur, quem pariter retineat, quamdiu splendet, redeunte postmodum nativa viriditate. p. 287. *qui lapis, si non idem est cum Phosphoro Smaragdino Elsholzii, in observat. de 4. Phosphoris, n. iii. sane haud multum ab eo differre videtur.* De *Turcoide* etiam refert Autor, speciem eum videri æruginis, suo modo petrefactæ : id quod præter colorem & sapor ejusdem calcinati confirmet:

Digitized by Google

unde minus mirum videri poſſit, lapidem hunc tandem, præſertim aeri diutius expoſitum, coloris elegantiam perdere, quæ poſſit reſtitui per Oleum vitrioli, quod abſumat fatiſcentem & defloreſcentem ejus ſuperficiem. p. 294. quod poſterius tamen experientiæ ſcrutinio ulteriori committendum, cum alias haud facile ſit, colorem Turcoidis deperditum reſtituere. Prout vero Autor hoc loco Turcoidis alterationem conſiderat, ita ſub lapidum & ſimilium foſſilium recenſione ubivis fere obſervat, quomodo acidorum reſpectu ſe gerant, an cum iisdem, & cum quibus effervescant. Quæ inſerviunt illuſtrando ſimilis argumenti Autoris ſcripto, *of the Luctation, ariſing from the mixture of bodies:* hoc eſt, de lucta e mixtura corporum oriunda, quod ipſum jam Gallico Idiomate Pariſiis Ao. 79. prodiit, ſub Tit: Experiences ſur le combat, qui arrive du melange du diverſes liqueurs, avec toutes ſortes des corps. Recenſet porro *Cryſtallum Talcoſam ſeu Cryſtallum Islandicam* Bartholini, p. 309. Refractiones ſingulares hujus lapidis, ſtructuræ tribuit inæquali, ideo, quod is non fruſtum unicum ſaltem, aut abſolute continuum, ſed compoſitus ſit ex diſtinctis laminis ſeu bracteis, diverſimode contiguis, adeo ut in quibusdam locis diſtinctæ iſtæ laminæ, ſaltem unam Refractionem, in aliis duas, vel plures efficiant. p. 310. Proſtat hinc *Magnes* ponderis 60 librarum, haud quidem ingens adeo pondus elevans, acum tamen novem pedes diſtantem movens. Partes quædam ipſius diffractæ, in proprium locum denuo repoſitæ, multum ejus robori addiderunt. p. 317. Mutabile ſc. magnetis robur eſt, adeo ut ſucceſſu temporis multum de ſua vi tractoria, &, quæ inde pendet, appenſorum ferramentorum ſuſpenſoria amittat. Pro avertendo tamen hoc defectu, quin & pro eodem, jam facto forte, corrigendo, facit actionis ejus continuitas, ſimili fere ratione, atq; in moralibus exercitium virtutum generoſiores eas reddit, & animales motiones per crebriorem uſum fortiores evadere ſolent; id quod curioſa ab Autore recenſita confirmat obſervatio magnetis cujusdam armati. Sedecuplum is proprii ſui ponderis initio attollebat, ſed per aliquot annos ſepoſitus, quartam roboris partem amiſerat; cujus reſtituendi cauſſa, tantum eidem rurſus, quantum ſuſtinere poterat, ponderis ferrei fuit appenſum, & ita aliquandiu reliquus: hinc ab aliquot ſeptimanis denuo plus ponderis appenſi ferre poſſe obſervatus fuit: quod ubi pedetentim, addito novi ſemper ponderis augmento,

Digitized by Google

augmento, repeteretur per bienniũm, lapis iſte non ſolum priſtinum robur recuperavit, ſed vigoris etiam ſui incrementum cepit tantum, ut vigeculplum proprii ponderis attolleret. p. 318. Ingens *minerarum lunæ varietas*, p. 323. *cum vix ullum metallum, tanta minerę ſeu matricis varietate ludat, ac Luna: ſicut Cupri minera, præ aliis elegantiſſimorum colorum mixtura conſpicua eſſe ſolet.* Item præter lunam capillaceam, etiam *Cupri capillaris:* p. 326. it. *capillaceum & granulatum Cuprum* ſimul, nativum, in uno fruſto. c. l. *Minerę aliquot Jovis:* qua occaſione mentionem Autor injicit mixturæ, contra morſum canis rabidi, ex mithridatio & ſtanno, plurimi a Venatoribus quibusdam æſtimatæ. p. 329. *Plumbum cryſtallinum*, hoc eſt in apices hexagonos finiens, ex minera. p. 329. *Ferri minera*, ex qua metallum, plurium longarum & rotundarum ſtiriarum formam, majorumque acicularum craſſitiem induens exſurgit. p. 330. Duo *oſſa pedis* humani in ferrum mutata: item *fruſtum ſtiriæ lapideæ* (Germ. Tropfſtein) fertificatum. p. 332. Fruſtulum naturalis *ſalis Ammoniaci*, per ſubterraneos calores, in lithantra cum fodina prope Civitatem Angliæ Nevv Caſtle, ſublimati, pag. 339. Idem Sal in forma Coniſacharini ex ſua matrice, prout ex terra dicti loci fuit eruta, arte ſublimatum: uti & ſpiritus vol. ex eodem Sale cum calce viva addita deſtillatus. p. 353. *Sal quoddam ſingulare* (ſeu anomalon) ex montanis Teneriffæ deſumtum, ad alcaliſatorum Naturam accedens. p. 339. *Fruſtum ſuccini* ½ pedis longitudine, foſſile, ſeu fodiendo repertum ſub propugnaculis Rensburgenſibus in Holſatia, pedes 18 ſub terra, loco 25 milliaria (intellige Anglicana) a Baltico pariter & Germanico Oceano diſtante. p. 343. *Fruſtum ſuccini flavi*, cum cicada incluſa: p. 334. Ut & alia, cum culice, muſcis & ſimilibus inſectis reconditis. c. l. *Sulphur nativum* cryſtallizatum Peruvianum ſemi perſpicuum. p. 345. *Terra*, quæ pluviæ ad inſtar copioſa ex aere decidit in Archipelago, ſub incendio Veſuvii a. 1631. eaque duplex, gryſea una, altera bolaris, ſimilis jalapæ pulveriſatæ: p. 346. hinc & alia *terra pluvialis*, ex Tenariffa, pallidi argillacei coloris & inſipida. Hæc cum Oleo vitrioli mox effervescit, illæ minime.

Naturalibus ſuccedunt ARTIFICIALIA. *I. Chymica: ut Oleum Nicotianæ* ſeu tabaci per deſcenſum: hujus una, vel duæ guttæ linguæ felis impoſitæ, immediate horridas convulſiones excitarunt, &

1. minuti horæ spatio eam enecarunt: de eodem oleo aliquoties autor Parenti suo, Tabaci fumo assueto, aliquantulum contra odontalgiam exhibuit, dentibus applicandum, felici plane cum successu: ipse vero autor tabaci fumo minime assuetus, eodem modo aliquando idem oleum cum usurpasset, tametsi nihil sputi salivarii deglutiverat, nihilominus summe debilis redditus fuit, cum superveniente vomitu p. 352. Oleum per Alembicum destillatum, *ex rad. arboris Cinamomi*, contusi & in aqua macerata, simillimum camphoræ, p. 352. *Oleum macis* recens expressum, liquidum, colorem referens Tincturæ croci, & odoratissimum: id quod confirmat assertum Linschotti, colorem originalem macis esse scarlatinum. *Salia fixa* plurium simplicium Vegetabilium, de quibus autor asserit, quod rite tractata, eadem ex diuersis subjectis, multum inter se differant, tam acrimonia, quam modis aliis, etiamsi æqualiter sint calcinata: adeo ut usus eorum promiscuus, in Medicina minus tutus sit: cum, exempli gratia, Sal Tartari scrup. ß. tam potens sit, ac scrup. 1. Sal. absinthii. p. 353. *Phosphorus Hermeticus solidus*, qui luci vel Solis vel ignis expositus, in tenebris aliquandiu lucere solet. Autor hujus primus recte dicitur *Balduinus*, nunc defunctus, qui tamen nec modum, nec ingredientia ullibi manifestavit. Eundem *Dr. Fr. Slare*, Anglus, An. 1679 felici successu & præparavit, & Societati Regiæ exhibuit. Cretam scilicet calcinatam solvit in ſ. q. spiritus nitri, solutionem filtratam evaporat ad Salis consistentiam: hoc in testa sub tegula fornicata calcinat, non absque ebullitionis impetu successive, observando ubique debitas enchirises, (prolixius ab autore recensitas) restitante tandem, omnia ubi refrixerint, in testa capite mortuo flavescentis coloris, qui quousque conspicitur, eousque etiam vis luminosa se extendit: custodienda massa hæc sedulo ab aere, alias septimanæ intra spatium vim suam amittit. Observationes haud vulgares circa hunc Phosphorum factæ, & ab autore recensitæ, sequentes sunt. Expositus autoræ splendori, paulo ante Solem exortum, exhibet lucidum quasi roseum nitorem: appropinquante vero Sole ad meridianum, ad intensiorem ferri candefacti splendorem assurgit: paulo post Solis occasum, ad pallidum colorem instar matris perlarum declinat. Luci candelæ, vel fasciculi lignorum expositus, pallidi coloris lumen, simile illi, quod sub Solis descensum ascisit, contrahere solet: expositus vero

Digitized by Google

vero ad notabile tempus Lunæ clariſſimæ radiis, nec tantillum hinc lucere obſervatur. In Vacuo Boyliano aſſervatus, etiam per 4 aut 5 menſes, proprietatem iſtam Luminis rapacem minus ſolet perdere. Cauſam Phænomeni hujus in genere redditurus ſupra laudatus *Dr. Slare*, 1. id, quod in miſtura iſta lumen ſuggerit, arbitratur eſſe partes igneas puras Spiritus Nitri, in creta concentratas: 2. modum quod attinet, fieri hoc ipſum non per imbibitionem lucis, ſed ſaltem per impreſſionem ab illa factam, unde oriatur motus in miſtura, luminis productivus: &c. Noſter vero Autor ſuſpendit prope judicium: inprimis enim quid lux ſit, preſſius declarari cupit: hinc arbitratur, quod in præſenti caſu Sal cretaceus, nitroſus, & aereæ particulæ inſimul inſerviant ad componendum ſubjectum aptum recipiendo genuino corpori lucido &c. &c. p. 357. Sed præter hunc Phoſphorum ſolidum, Autor præterea mentionem facit duplicis *Phoſphori liquidi*, quorum prioris quidem ſupponatur autor *Dn. Dan. Kraffr*, *(revera tamen eſt Kunckelius, Electori Sax. olim a Laboribus Chymicis, qui ſe tretum hoc ſe Krafftio communicaſſe affirmavit)* poſterioris vero inventor *eſt Dn. Boyle*, qui noctilucam aeriam appellavit.

Sequuntur 2. *Inſtrumenta ad Philoſophiam naturalem* pertinentia: In quibus eminet inprimis *a Weather Clock*, ſeu automaton, mutationes tempeſtatum & temperaturæ aeris oſtendens: conſtat principaliter ex horologio cum pendulo, Barometro, thermometro, menſura pluviali, Ventilogio & hygroſcopio. p. 358. Inſtrumentum *promenſuranda quantitate pluviæ*, quæ certo temporis ſpatio, ſuper certam ſoli partem, v. g. jugerum defluat, deſcriptum p. 358. Autor ejus eſt *D. Wren*, nunc Soc. Reg. Præſes Illuſtriſſimus. *Furnus Lampadis*, inſerviens tam excluſioni ovorum, pro obſervando generationis proceſſu, quam digeſtioni liquorum &c. p. 358. *Speculum uſtorium cavum*, h. e. compoſitum ex duobus vitris concavis, uti eo cum voluetis, aqua communi replendis: p. 359. Inſtrumenta *Otocouſtica* tria, projuvando auditu, ex ebore unum, alterum ex cupro, in forma infundibuli, niſi quod roſtrum ſit nonnihil inflexum, pro meliori ad aurem applicatione & ſoni receptione: unum ex ſtanno figuræ conicæ, cum incluſa cochlea, p. 359.

Hinc 3. *Artificialia Mathematica & Mechanica*, v. g. *Teleſcopium* reflectens. p. 360. *Inſtrumentum* demonſtrans, in quantum

Digitized by Google

navis adverſo vento vela facere queat. p. 364. *Canoo* ſeu navicula Groenlandorum p. 364. *Venenum Macaſſarenſium*, quo arma inficiunt. Cujus cum varii ſint modi, in eo, quod hic proſtat, apparent crura aliæque partes ſpeciei cujusdam ex cantharidibus, quæ videntur miſta cum certo Sale corroſivo. p. 368.

Denique 4. *Pure Mechanica. Statera Chinenſis*, exacte deſcripta: p. 369. *Par follium* ligneorum. p. 369. *Sembradore Hiſpanicus:* hoc eſt machina, mediante qua ſimul & aratur & ſeritur & occatur. Varia *Indorum Utenſilia* p. 372. item *Chirotheca & Ocreæ* Islandorum, pag. 375.

Tandem *monetæ*, & alia ad *Antiquitatem* pertinentia, Opus finiunt p. 380.

Præter opinionem crevit ſub manibus recenſus Muſei. Sed ea ratione conſultum voluimus Anglicanæ linguæ minus gnaris, qui nihilominus uti hoc libro ſuo cum fructu poterunt, ſi figuras quibus expreſſa cuncta ad amuſſim ſunt, conferre cum Excerptis his noſtris ſuſtinuerint. Appendicem vero quæ anatomen comparatam ventriculorum & inteſtinorum *continet, Calendis Martii ſumus exhibituri.*

HERMANNI NICOLAI GRIM,

Chirurgiæ & Medicinæ Practici, & Societatis Indiæ Oriental. Medici, Compendium Medico-Chymicum.

Batavia Javanorum, Anno 1679. in 8.

PRæſens hoc ſcriptum eſt ſuccincta quædam Praxis medica, ex longæ experientiæ ſinu, ut in præfatione loquitur Autor, protracta. Primo quidem uniuscujusque affectus ſpecialis remedia & formulas, ſibi tam in Europa, quam India uſitatiora, in genere, ille ipſe recenſet: hinc Obſervationum nomine ſpeciales curationes, hiſtoriam morbi pauciſſimis enarrando, & remedia adminiſtrata adjiciendo, ſubjungit: denique in fine Operis, curioſam variorum medicamentorum nonnullorum præparationem, annectit. Ipſas quod attinet curationes, & remedia adhibita, præter Vomitoria antimonialia & purgantia vegetabilia, alterantia adhibita maximam partem de natura Salium

Salium vol. Oleoſorum exiſtunt, ſive præparatione jam ita elaborata, ſive per miſtionem in ipſis præſcriptionibus talia reddita. In ſpecie *l.1.c.1.obſ.1.p.13.* Hemicrania gravis ex acri ſalſa materia, exterioribus membranis infixa, applicato cum linteis ſpiritu Corn. Cerv. brevi fuit fugata. *Obſ.15.p.61.* Virgo Epilepſia habituali a 3 ætatis anno, ad 15 usque conflictata, interpoſitis laxativis debitis, ſequenti miſtura, crebrius eam capiendo, fuit curata:

Rec. Spir. ſangu. humani dr. i.
Tinctur. caſtor.
Eſſ. ſuccini ana dr. ſ.
Sal. ſuccini volatil. ſcr. i,
Aqu. ſecundinæ unc. ij.
Syr. Pæoniæ unc. ſ. M.

Obſerv.99. referuntur modi, quibus reſtituti fuerint ii, qui ſub navali ad Indiam Orientalem itinere ſcorbuto correpti, membrorum rigore & aliis gravioribus ſymtomatis laborarunt. *L.3.Obſ.26.& 27.* contra lſterum, ſpiritus Salis ammoniaci acidus potui ordinario inſtillatus, mire extollitur. *Obſ.36.p.255.* notatur Diabetes, cum macie, ex abuſu potus Thee, curatus, cum diæta, ut plurimum ex lacte, ſequenti miſtura, interponendo quandoque ſem. frigid. emulſiones:

Rec. Liquor. Sal. hæmatitis dr. ſ.
Tinct. roſarum,
Santal. rubr. ana dr. i.
Syr. corall. unc. ſ.
Aqu. roſarum,
Nymphææ ana unc. ij. M
Capiatur cochleatim.

Quod denique præparationes medicamentorum attinet, obſervandum eſt, quod Autor præſentis ſcripti, jam anno 1677 Belgico idiomate Bataviæ Indorum ediderit *Laboratorium Ceylonicum* ex inquilinis Ceyloniæ Inſulæ ſimplicibus concinnatum, ut patet ex *Compend. hujus l.III. obſ.25.p.208.* (in ſpecie ex Act. Hafnienſ. Vol. V. obſerv. 31. pag. 223.) quod a *Barthol. Pielat Med. D.* latinitate donatum, publicæ luci, ſuppreſſo licet penitus Autoris nomine, expoſitum fuit. Plura ergo remediorum, præſenti ſcripto annexorum, jam in illo *Laboratorio Ceylonenſi* fuerunt deſcripta, præter quæ tamen Spiritum

Tartari

Tartari ſaſſafratum, fuliginis ſuccinatum, Sal. ammon. ſuccinatum, Sal. ammon. theriacalis, Sal vol. oleoſum ex rad. aromaticis deſtillando eliciendum, Sal cran. human. aromaticum, Tincturam coralliorum, cum proprio eorum ſpiritu, Tincturam Sal. Liquorem Hæmatitis, Spiritum Sal. ammon. acidum, mediante quo Tincturam Martis parat, Elixir panis, Elixir Helmontii, Extractum Opii Tartariſatum aromaticum, Hæmatitem Philoſophicum, aliaque nonnulla præparare docet.

LA CHIAVE DEL GABINETTO del Cavagliere Gioſeppe Franceſco Borri, Milaneſe.

hoc eſt.

Clavis ad conclave ſecretius Joſephi Franciſci Burrhi, Mediolanenſis Equitis.

Coloniæ, 1681. in 12.

CUm jam olim undique Burrhi fama innotuerit, veridica ſubinde eadem, non raro quoque mendaciſſima, viſum fuit, & præſentis, nomine ejus inſigniti, ſcripti mentionem injicere. Bipartitum eſt hoc ipſum, cujus priori parte, Editor Anonymus, Burrho tamen minus favens, ut vel ex præfatione innoteſcit, ſub ſpecie Dialogi, aliquot Epiſtolas exhibet, quas Burrhum ſcripſiſſe aſſerit: quibus ſuccinctam Vitæ Burrhi hiſtoriam, magis tamen Eccleſiaſticam, quam civilem ſubjungit. In parte vero poſteriori recenſentur Inſtructiones Politicæ, quas Burrhus Regi Daniæ ſubminiſtraverit. Epiſtolas quod attinet, earundem ſunt X: In quarum prioribus duabus refertur Diſcurſus habitus cum quodam nobili Dano, qui certas quasdam creaturas, præter hactenus cognitas, adeoque chimericas, utriusque ſexus in quovis elemento ſibi finxerit, quæ ſint dociles, ſcientiarum amantes, ſapientibus officioſæ, aſt inimicæ ſtolidorum: quales in aqua ſint *Ondini ſeu Nymfæ*, in Terra *Gnomi*, in igne *Salamandræ*, in Aere vero *Sylvi*: quæ matrimonio junctæ cum hominibus, fiant immortales, &c. In 3. conſiderat generationem metallorum, tam naturalem, quam artificialem. In 4. docet ſecretum extrahendi

hendi semen auri, quod sit lapis verus Philosophorum; in 5. vero, modum coagulandi Mercurium per Saturnum liquefactum: sicuti in 6. modum convertendi Mercurium in Solem & Lunam. In 7. describitur aqua destillata cosmetica, ex quibusdam vegetabilibus, pro corrigendis faciei vitiis. In 8. referuntur varia sic dicta secreta: v. g. conficere globulos vitreos, qui in igne cum insigni strepitu, instar bombardæ displodantur: item statuam, quæ extinctam candelam, quasi inspirando, reaccendat: mobile perpetuum alchymisticum: progerminationem variarum plantarum intra horæ spatium, ex earum seminibus promovere: & deniq; præparare atramentum crypticum, cujus scriptura evanescat, quæ alio superinducto attramento denuo compareat. In 9. docetur methodus separandi metalla ex suis mineris, per fusionem cum pulvere composito ex p. ii. Tartari p. ii. borrac. & p. nitri carbon. pulveris. p. i. In decimo denique refertur discursus Medici cujusdam Germani, de differentia corporis & animæ, & structura corporis animalium mechanica: cujus vi, citra animam, & citra ullam cognitionem, quasvis suas functiones edant bruta: & hæc omnia simpliciter ex principiis Cartesii: & hæc de Epistolis.

Altera hujus scripti pars continet plura Axiomata Politica, haud tamen adeo secreta, ad quorum normam Princeps imperium suum administrare debeat, illustrata discursibus & exemplis variis.

De quibus tamen omnibus, in Clave hac contentis, fides quidem sit penes *Editorem*, judicium vero penes *Lectorem*.

DE VERA PROPORTIONE CIRCULI AD Quadratum circumscriptum in Numeris rationalibus

a

GOTHOFREDO GVILIELMO LEIBNITIO expressa.

PRoportiones curvilineorum ad Rectilinea investigare Geometræ semper sunt conati, & tamen nunc quoque, etiam post Algebram adhibitam, nondum ea res satis in potestate est, secundum methodos

quidem hactenus publicatas; neque enim hæc problemata ad æquationes Algebraicas revocari possunt: & usum tamen pulcherrimum habent, inprimis in Mechanica ad puræ Geometriæ terminos reducenda, quod norunt, qui talia profundius inspexere, pauci quidem, sed maxime eximii Mathematicorum. Primus Archimedes, quantum constat, invenit, quæ sit ratio inter conum, sphæram, & cylindrum ejusdem altitudinis & basis, nempe qualis est numerorum 1,2,3, ita ut cylinder sit triplus coni, & sesquialter sphæræ; unde sphæram & cylindrum etiam sepulcro suo insculpi jussit: Idem invenit quadraturam Parabolæ. Nostro seculo repertus est modus metiendi figuras curvilineas innumerabiles, inprimis quando ordinatæ BC, in Schemate 1, sunt in ratione utcunque multiplicata aut submultiplicata, directa aut reciproca, abscissarum AB vel DC; erit enim figura ABCA ad rectangulum circumscriptum ABCD, ut unitas ad numerum rationis multiplicationem exprimentem, unitate auctum. Exempli gratia, quia in *Parabola* abscissis AB sive DC, existentibus ut numeris naturalibus, 1,2,3,&c. ordinatæ BC, sunt ut eorum quadrata 1, 4, 9, &c. seu *in duplicata* ratione numerorum, tunc numerus rationis multiplicationem exprimens *erit* 2: ergo erit figura ABCA ad rectangulum circumscriptum ABCD, ut 1 ad 2 + 1; seu ut 1 ad 3: sive, figura erit tertia pars rectanguli. Si AB vel CD maneant numeri naturales, & BC fiant cubi, 1, 8, 27, &c. (nempe in *Paraboloide cubica*) foret ratio ordinatarum *triplicata* rationis abscissarum: Ergo figura ad rectangulum, ut 1 ad 3 + 1 sive 4; seu pars quarta. Sin DC sint quadrata, BC cubi, sive ratio ipsorum BC, rationis ipsarum DC *triplicata subduplicata*, erit figura (*paraboloides cubico-subquadratica*) ABCA ad rectangulum ABCD, ut 1 ad $\frac{3}{2}$ + 1; seu duas quintas rectanguli constituet. In *reciprocis*, numero rationis multiplicationem exprimenti præfigitur signum —, sive minus. TAB. IV.

Sed circulus nondum hactenus cogi potuit sub hujusmodi leges, quamvis ab omni retro memoria a Geometris exercitus. Nondum enim inveniri potuit Numerus exprimens rationem Circuli A, ad quadratum circumscriptum BC *Figur.* 2, quod est quadratum diametri DE. Nec inveniri potuit ratio circumferentiæ ad diametrum, quæ est quadrupla rationis Circuli ad Quadratum. Archimedes quidem Polygona Circulo inscribens & circumscribens, quoniam major est inscriptis,

Digitized by Google

TAB. IV. ad fl. 62 p. 42.





Numero DEUS
I
impare gaudet

III.





Digitized by Google

Digitized by Google

scriptis & minor circumscriptis, modū ostendit, exhibendi limites intra quos circulos cadat, sive exhibendi appropinquationes: esse scilicet rationem circumferentiæ ad diametrū, majorem quam 3 ad 1, seu quam 21 ad 7, & minorem quam 22 ad 7. Hanc Methodū alii sunt prosecuti, Ptolemæus, Vieta, Metius, sed maxime Ludolphus Colonienſis, qui ostendit esse circumferentiam ut 3. 14159265358979323846 &c.

ad diametrum, ad 1. 00000 00000000000000

Verum hujusmodi Appropinquationes, etsi in Geometria practica utiles, nihil tamen exhibent, quod menti satisfaciat, avidæ veritatis, nisi progressio talium numerorum in infinitum continuandorum repetiatur. Multi quidem perfectum Tetragonismum professi sunt, ut Cardinalis Cusanus, Orontius Finæus, Josephus Scaliger, Thomas Gephyrander, Thomas Hobbes, sed omnes falso; calculis enim Archimedis vel hodie Ludolphi, refellebantur.

Sed quoniam video, multos non satis percepisse, quid desideretur: sciendum est, Tetragonismum sive conversionem circuli in æquale quadratum, aliamve rectilineam figuram (quæ pendet a ratione circuli ad quadratum diametri, vel circumferentiæ ad diametrum) posse intelligi quadruplicem; nempe vel per calculum, vel per constructionem linearem; utrumq; vel accurate, vel propemodum. *Quadraturam* per calculum accuratum voco *Analyticam*; eam vero quæ per Constructionem accuratam fit, voco *Geometricam*: per calculum prope verum, habetur *appropinquatio*; per constructionem prope veram, *Mechanismus*. Appropinquationem longissime produxit Ludolphus; Mechanismos egregios Vieta, Hugenius, aliique dedere.

Constructio Geometrica accurata haberi potest, qua non tantum Circulum integrum, sed & quemlibet sectorem sive arcum metiri liceat, motu exacto atque ordinato, sed qui curvis transcendentibus competat; quæ per errorem alioqui Mechanicæ censentur, cum tamen æque sint Geometricæ, ac vulgares: licet Algebraicæ non sint, nec ad æquationes Algebraicas, seu certi gradus, reduci queant; suas enim proprias, etsi non Algebraicas, tamen analyticas habent. Sed ista hic pro dignitate exponi non possunt. *Quadratura Analytica*, seu quæ per calculum accuratum fit, iterum in tres potest dispesci; in Analyticam transcendentem, Algebraicam, & Arithmeticam. Analytica *transcendens*, inter alia habetur per æquationes gradus indefiniti, hactenus

a nemine consideratas, ut si sit X^3+X æqual. 30, & quæratur X, reperietur esse 3, quia 3^3+3 est $27+3$ sive 30: quales æquationes pro circulo dabimus suo loco. *Algebraica* expressio fit per numeros, licet irrationales, vulgares, seu per radices æquationum communium: quæ quidem pro quadratura generali circuli sectorisque impossibilis est. Superest *Quadratura Arithmetica*, quæ saltem per series fit, exhibendo valorem circuli exactum progressione terminorum, inprimis rationalium, qualem hoc loco proponam.

Inveni igitur: vid. fig. 3.

Quadrato Diametri existente 1 circuli aream fore: $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}+\frac{1}{5}-\frac{1}{7}+\frac{1}{9}-\frac{1}{11}+\frac{1}{13}-\frac{1}{15}+\frac{1}{17}-\frac{1}{19}$ &c. nempe quadratum Diametri integrum demta (ne nimius fiat valor) ejus tertia parte, addita rursus (quia nimium demsimus) quinta, demtaque iterum (quia nimium re-adjecimus) septima; & ita porro.

Eritq; valor justo major 1 errore tamen existente infra $\frac{1}{3}$

minor $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}$ - - - - - - - - $\frac{2}{3}$

major $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}+\frac{1}{5}$ - - - - - - - - $\frac{2}{15}$

minor $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}+\frac{1}{5}-\frac{1}{7}$ - - - - - - - - $\frac{2}{35}$

&c. &c.

Tota ergo series continet omnes appropinquationes simul, sive valores justo majores & justo minores: prout enim longe continuata intelligitur, erit error minor fractione data, ac proinde & minor data quavis quantitate. Quare tota series exactum exprimit valorem. Et licet uno numero summa ejus serici exprimi non possit, & series in infinitum producatur; quoniam tamē una lege progressionis constat, tota satis mente percipitur. Nam, siquidem Circulus non est quadrato commensurabilis, non potest uno numero exprimi, sed in rationalibus necessario per seriem exhiberi debet; quemadmodum & Diagonalis quadrati, & sectio extrema & media ratione facta, quam aliqui divinam vocant, aliæque multæ quantitates, quæ sunt irrationales. Et quidem si Ludolphus potuisset regulam dare, qua in infinitum continuarentur numeri 314159 &c, dedisset nobis quadraturam Arithmeticam exactam in integris, quam nos exhibemus in fractis.

Ne quis autem in his parum versatus putet, seriem ex infinitis terminis constantem non posse æquari Circulo, qui est quantitas finita

nita: sciendum est, multas series numero terminorum infinitas, esse in summa quantitates finitas. Exempli facillimi loco sit series ab unitate decrescens, progressionis geometricæ duplæ, $\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}+\frac{1}{32}+\frac{1}{64}$ &c. in infinitum; quæ tamen non facit plus quam 1. Nam in adjecta lineæ rectæ AB *(Fig. 4.)* quæ sit 1, erit AC $\frac{1}{2}$, & residuum (CB) bisecando in D, habebis CD $\frac{1}{4}$; & residuum (DB) bisecando in E, habebis DE $\frac{1}{8}$; & residuum (EB) bisecando in F, habebis EF, $\frac{1}{16}$; & ita continuando sine fine, nunquam egredieris terminum B. Idem in fractionibus numerorum figuratorum seu triangulo Harmonico fieri, a me alibi ostensum est.

Multa notari possent circa hanc Quadraturam, sed quæ nunc persequi non vacat; hoc tamen præterire non oportet, terminos serici nostræ, $\frac{1}{1}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{5}$, $\frac{1}{7}$, $\frac{1}{9}$ &c, esse progressionis harmonicæ, sive in continua proportione harmonica, ut experienti patebit: Quin & per saltum, $\frac{1}{1}$, $\frac{1}{5}$, $\frac{1}{9}$, $\frac{1}{13}$, $\frac{1}{17}$ &c, est etiam series progressionis harmonicæ; & $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{7}$, $\frac{1}{11}$, $\frac{1}{15}$, $\frac{1}{19}$ &c, est itidem series harmonice proportionalium. Itaq; cum Circulus sit $\frac{1}{1}+\frac{1}{5}+\frac{1}{9}+\frac{1}{13}+\frac{1}{17}$ &c, $-\frac{1}{3}-\frac{1}{7}-\frac{1}{11}-\frac{1}{15}-\frac{1}{19}$ &c, posteriorem seriem partialem, a priori subtrahendo; erit magnitudo Circuli, differentia duarum serierum progressionis harmonicæ. Et quoniam quotcunque terminorum numero finitorum progressionis harmonicæ summa, compendio aliquo iniri potest, hinc appropinquationes compendiosæ, (si post Ludophinam illis esset opus) duci possent.

Si quis in serie nostra terminos signo—affectos tollere volet, is duos proximos $+\frac{1}{1}-\frac{1}{3}$, item $+\frac{1}{5}-\frac{1}{7}$, item $+\frac{1}{9}-\frac{1}{11}$, & $+\frac{1}{13}-\frac{1}{15}$, & $+\frac{1}{17}-\frac{1}{19}$, & ita porro, in unum addendo, habebit seriem novam pro magnitudine Circuli, nempe $\frac{2}{3}$ (id est $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}$) $+\frac{2}{35}$ (id est $\frac{1}{5}-\frac{1}{7}$) $+\frac{2}{99}$ (id est $\frac{1}{9}-\frac{1}{11}$.) itaque:

Quadrato inscripto existente. $\frac{1}{4}$

Erit Area Circuli $\frac{1}{3}+\frac{1}{35}+\frac{1}{99}+\frac{1}{195}+\frac{1}{323}$ &c.

Sunt autem numeri 3. 35. 99. 195. 323 &c, excerpti per saltum ex serie numerorum quadratorum (4. 9. 16. 25. &c.) unitate minutorum, unde fit series: 3. 8. 15. 24. 35. 48. 63. 80. 99. 120, 143. 168. 195. 224. 255. 288. 323. 360. 399. &c. ex cujus seriei numeris, quartus quisque post primum insuper est. Inveni autem (quod memorabile est) seriei infinitæ $\frac{1}{3}+\frac{1}{8}+\frac{1}{15}+\frac{1}{24}+\frac{1}{35}+\frac{1}{48}+\frac{1}{63}+\frac{1}{80}+\frac{1}{99}$ &c. summam esse $\frac{3}{4}$, quin

& simplici saltu excerpendo, nempe $\frac{1}{3}+\frac{1}{15}+\frac{1}{35}+\frac{1}{63}+\frac{1}{99}$ &c, ejus seriei infinitæ summa facit $\frac{2}{4}$ seu $\frac{1}{2}$. Sed si ex hac iterum, simplici saltu terminos excerpamus, nempe: $\frac{1}{3}+\frac{1}{35}+\frac{1}{99}$ &c, ejus seriei infinitæ summa erit Semicirculus, posito quadratum Diametri esse 1. Quoniam autem eadem opera & *quadratum Hyperbolæ Arithmetica* habetur, placet totam harmoniam oculis subjicere:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
1	4	9	16	25	36	49	64	81	100	121	144	169	196	225	256	289	324	361	400
0	3	8	15	24	35	48	63	80	99	120	143	168	195	224	255	288	323	360	399

$\frac{1}{3}\ \frac{1}{15}\ \frac{1}{35}\ \frac{1}{63}\ \frac{1}{99}\ \frac{1}{143}\ \frac{1}{195}\ \frac{1}{255}\ \frac{1}{323}\ \frac{1}{399}$ &c.

$\frac{1}{3}\cdot\frac{1}{15}\cdot\frac{1}{35}\cdot\frac{1}{63}\cdot\frac{1}{99}\cdot\frac{1}{143}\cdot\frac{1}{195}\cdot\frac{1}{255}\cdot\frac{1}{323}\cdot\frac{1}{399}$ &c.

$\cdot\frac{1}{8}\cdot\frac{1}{24}\cdot\frac{1}{48}\cdot\frac{1}{80}\cdot\frac{1}{120}\cdot\frac{1}{168}\cdot\frac{1}{224}\cdot\frac{1}{288}\cdot\frac{1}{360}\cdot$ &c.

$\frac{1}{3}\ .\ .\ .\ \frac{1}{35}\ .\ .\ .\ \frac{1}{99}\ .\ .\ .\ \frac{1}{195}\ .\ .\ .\ \frac{1}{323}\ .\ .$ &c.

$\cdot\frac{1}{8}\ .\ .\ .\ \frac{1}{48}\ .\ .\ .\ \frac{1}{120}\ .\ .\ .\ \frac{1}{224}\ .\ .\ .\ \frac{1}{360}\cdot$ &c.

æquatur $\frac{2}{4}$ $\frac{2}{4}$ $\frac{2}{4}$

æquatur circulo ABCD cujus potentia inscripta Hyperbolæ CBEHC, cujus quadratum ABCD est $\frac{1}{4}$

Sit in *Figura* 5. Asymptotis AF, AE, sibi normalibus, Hyperbolæ curva descripta GCH, cujus vertex C, potentia vero Hyperbolæ inscripta sive quadratum, quod rectangulo sub ordinata quacunque EH, in suam abscissam AE, semper æquale est, sit ABCD: circa hoc quadratum describatur Circulus, & ponatur Hyperbola ita continuata a C usq; ad H, ut sit AE dupla ipsius AB. Tunc posito AE esse unitatem, erit AB $\frac{1}{4}$, & ejus quadratum ABCD erit $\frac{1}{16}$, & Circulus cujus potentia inscripta est ABCD, erit $\frac{1}{4}+\frac{1}{35}+\frac{1}{99}$ &c. Hyperbolæ vero (cujus potentia inscripta est idem quadratum $\frac{1}{4}$) portio CBEHC quæ logarithmũ rationis ipsius BE ad AB (sive binarii) repræsentat, erit $\frac{1}{3}+\frac{1}{15}+\frac{1}{120}$ &c.

JOH.

JOHANNIS OLEARII
Sereniſſ. Sax. Ducis JOH. ADOLPHI Concionatoris Aulici Primarii, Conſiliarii Eccleſ. & Superint. General.

Bibliſche Erklärung/ in Fünff Theilen.

Hoc eſt

ANNOTATIONES AD SCRIPTURAM totius Vet. ac Nov. Teſtam. Germanicæ, Tomis V comprehenſæ.

Lipſiæ, ſumtibus Joh. Chriſtoph. Tarnovii. in fol. 1681.

OPus hoc ſexaginta fere annorum (ut Autor ipſe vocat ſub finem Tomi ultimi) omnis generis & conditionis hominibus per Germaniam, præcipue Theologis ac Verbi Divini Miniſtris, utiliſſimum & valde accommodum, poſt *Generalem totius Scripturæ Clavem & Introductionem*, pandit: *I. Uniuscujuque Libri Biblici* (a) Nomenclaturam (b) Comprehenſionem ſummariam (c) Diſtinctionem accuratam (d) Interpretum ſelectiorum recenſionem (e) Principalis ſcopi conſiderationem (f) Autoritatis Canonicæ ac prorſus Divinæ certitudinem infallibilem (g) Succinctam & verſibus mnemonicis incluſam recenſionem. *II. Singulorum Capitum* (1) ſummarium una voce expreſſum (2) Juſtam partitionem (3) Exquiſitam connexionem una cum ſcopi primarii oſtenſione (4) Dictorum præcipuorum & phraſeologiæ ſacræ notabilioris ex fontibus Hebraicis & Græcis deductam explicationem (5) Uſus Didactici, Paracletici, atque Pædeutici neceſſariam demonſtrationem (6) per ſententias Patrum Eccleſiæ Veteris, ac (7) B. etiam Lutheri, ſufficientem illuſtrationem.

D. VALENTINI ALBERTI, P. P. Lipſienſis,

INTERESSE PRÆCIPUARUM RELIgionum Chriſtianarum in omnibus Fidei Articulis deductum.

Lipſiæ & Francofurti apud Davidem Fleiſcherum, 1681. in 12.

Non

NOn momentum modo Sacrorum Dogmatum in hac Religionum collatione exponit Autor, sed causas quoque primas & imas veluti radices prodit, ex quibus dissentientium Partium propriæ hypotheses proseminatæ sunt. Idque fine potissimum gemino: cum ne quis Politicorum forte in animum inducat, operam vel suam in salutifera doctrina perdiscenda: vel Doctorum, in eadem proponenda ac defendenda, occupari frustra; tum ut intentione Docentium ubique perspecta, rectum secernere a pravo, verum a contrario, tanto rectius possint, quotquot Religionis curam a se non spernunt procul, sed veram eamque unicam Salutis viam non ignorare, sua quidquam interesse arbitrantur.

Supposito autem, quod per *Interesse Partium*, in Religione puta dissidentium, nihil designatum aliud hoc in loco velit, quam πρῶτον ἀληθὲς recte; & πρῶτον ψεῦδος, secus sentientium, limites etiam constituit Autor accuratos inter Religionis cujusque *Articulum Principalissimum*, & *Principium Primum Dogmaticum:* Certus, Articulum *de Justificatione* v.g. *per fidem, de Capite Summo Ecclesiæ visibili infallibilique Pontifice Romano, de Absoluto Prædestinationis Decreto*, a suis utique Patronis ac Defensoribus pro Principalissimis haberi, alios ab aliis; Primi vero Principii Dogmatici partes non nisi horum effatorum, *Deus dixit, Papa dixit, Ratio dixit,* aliquod in eorundem scholis occupare ideo, quod articulis singulis a suis, jam expresse, jam tacite substernantur, reveraque Analysis omnium ultima in ista tandem fiat.

Quibus fundamentis instituti sui jactis, ad ipsam Articulorum θεωρίαν pedem promovet, quatuor ubique faciens dicendorum membra. Quorum *primo* distincte perque partes proponit Thesin suam, in Libris Luthera norum Symbolicis definitam, Dictoque Scripturarum Classico, aut testimonio etiam ecclesiastico probatam. *Secundo* Antithesin aliorum subjicit, e primariis cujusque Partis scriptis ac Scriptoribus petitam: atque ita subjicit, ut simul & Syncretistarum, ut vocant, indolem, ubi thesin scil. nostram in gratiam adversæ partis inflectunt aut detorquent; & reliquorum Antagonistarum artes, cum æquivocationis mysterio sua dogmata conantur occultare, notet ac observet. *Tertio* ipsum non solius Lutheranæ, sed contrariarum quoque Religionum Interesse, quo nimirum adducta & permota

permota unaquæque hoc illudve ſtatuat, perſequitur. *Quartum* denique ex Hiſtoria Eccleſiaſtica erroris cujusque repetit originem. Atque hæc ſingula, ordine jam dicto, in Articulo de S. Scriptura, de DEO, de CHRISTO, de Integritatis & Corruptionis ſtatu, de Prædeſtinatione, de Juſtificatione, de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, de Sacra Cœna, de Eccleſia & Hierarchiis, de Adiaphoris & de Statu poſt mortem, reliquis nimirum, quibus ſpecialis titulus datus non eſt, ad alios cognatos Articulos redactis, illisque potiſſimum Theſibus ſelectis Antitheſibusque, in quibus Intereſſe Partium fuit maxime conſpicuum, ſolerti ſtudio, & ad σωφάφειαν Articulorum, integramque Fidei catenam plenius intelligendam perquam utili, exequitur.

CASPARIS ZIEGLERI
DE JURIBUS MAJESTATIS TRACTATUS Academicus, in quo pleraque omnia, quæ de Poteſtate & Juribus Principis diſputari ſolent, ſtrictim exponuntur.

Wittebergæ 1681, in 4.

MAgnum libro huic decus ab Auctore, Conſiliario Saxonico, Anteceſſore in inclyta Leucorea primario, viro tot in lucem editis literarum monimentis, de orbe erudito præclariſſime merito. Opus ipſum ex variis Diſputationibus Academicis in unum hoc volumen ſuccrevit, in duos libros ita diſtributum, ut prior inter Regalia exhibeat ea, quæ πρώτως τὸ κύριον afficiunt: poſterior vero in iis, quæ Fiſci augmento potiſſimum inſerviunt, occupetur. Argumenta ſingula utiliſimi operis ut recenſeamus, ipſa eorum prohibet amplitudo ac varietas. Habent hic, quod diſcant, ſubditi: habent, quo doceantur, Magiſtratus: habet ipſa, quod ſequatur, Majeſtas. Inſtruunt Theologum, quæ *de jure Majeſtatis circa ſacra* integris undecim Diſputationibus, a p. 241 ad 367 traduntur. JCto, etiam quæ in foro in uſus ſuos transferat, abunde ſubminiſtrant tot Præjudicia, ac Reſponſa Prudentum, inprimis Nobiliſimi JCtorum in Academia Wittebergenſi Ordinis, quæ explicandis juris cujuscunque Quæſtionibus paſim inſeruntur. Civilis vero Scientiæ cultori ea propi-

nantur principia, quæ ſequi tuto poſſit, quibusque imbutus probe ac munitus a perniciosis aliorum dogmatibus cavere ſibi quam optime valeat. Adeo vel hic Ziegleri liber comprobat, quantum conſuli Reipublicæ literariæ per illos poſſit, qui cum civilis Canonicique ac publici Juris ſolidiore ſcientia, SS. etiam Theologiæ, civilis item ac moralis Philoſophiæ, imo humaniorum quarumcunque literarum cultum per omne vitæ ſpatium conjungunt.

SEBASTIANI SCHELCKENS,

JCti ET ANTECESSORIS FRISII, ELEMENTA Jurisprudentiæ Romanæ: quibus accesſit liber ejus repetitæ prælectionis de Succesſione ab inteſtato, ex præſcripto Novellæ 118. concinnatus.

Franequeræ, 1681. in 4.

HOc opuſculum, pro tyronibus, ceu videtur, conſcriptum, eundem ordinem methodumque ſervat, qua in ſuis Jurisprudentiæ elementis Juſtinianus utitur. Auctor enim totum id ad Imperatoris ductum quadraginta & una tabulis mnemonevticis complexus, in eo potiſſimum occupatur, ut ſingulas, quæ in iis occurrunt, definitiones atque diviſiones, uberiori tum ex antiquitate Romana, tum hiſtoria nonnunquam recentiori petita explicatione partim illuſtret, partim legibus Romani ac noviſſimi Juris, nec non nobiliorum Interpretum auctoritate confirmet, præmiſſis cuique titulo paragraphorum numero, quique in Pandectæ, Codice & Novellis eidem reſpondeant, ſuccincta recenſione. Adjectus de ſucceſſione ab inteſtato libellus ſex capitibus abſolvitur. Primum ſucceſſionis hujus homonymiam, definitionem atque diviſionem exhibet. Secundum Deſcendentium jura cum primi tum ulterioris ordinis explicat. Tertium, quomodo ſuccedant Adſcendentes, docet. Quartum Collateralium ordinem enarrat. Quintum, quo jure conjuges utantur, ſuggerit. Sextum denique, quando ſuccedat Fiſcus, proponit; Feudorum, ut & Saxonico jure, ſicubi res poſtulat, non penitus neglecto.

M. Ja-

Digitized by Google

M. JACOBI THOMASII
PRÆFATIONES SUB AUSPICIA DISputationum ſuarum in Academia Lipſienſi recitatæ, argumenti varii.

Lipſiæ A. 1681. apud Joh. Fuhrmannum. in 8.

OCtoginta quinque Diſputationes per id ſpatium temporis, quo docendi munere in Academia Lipſienſi functus eſt, publicæ diſquiſitioni Jacobus Thomaſius, Moralium primum, poſt Dialecticæ, nunc Eloquentiæ Profeſſor Publicus expoſuit. Totidem Præfationes ſuo quasque tempore ante ipſum confabulationis conflictum ab ſe recitatas publici nunc juris fecit, quæ argumenti tam varii, ut neminem non reperturum in iis arbitremur quædam ſuis ingenioque accommoda. Theologo exempli cauſa, quæ *de cauſis Atheiſmi*, (præf. 65.) *de ſuperbia, primi in paradiſo falſi matre*, (præf. 80.) *de duplici morte, una corporis, altera animæ*, (præf. 38.) *de dogmate Proclianitarum ſuper viſione quadam Ezechielis* (pr. 63.) *de teſtibus veritatis Bernhardo, Anſhelmo, atq; aliis* (pr. 84. & 85.) diſſeruntur: quæ *contra Machiavellum, indignantem quod ethnica religio ſit aboliæ*, (pr. 69.) *contra eos, qui Poetarum fabulas ad Hiſtoriam ſacram detorquent*, (pr. 81.) *contra duplicis & contradictoriæ veritatis aſſertores*, (pr. 42.) *contra Gentiles Deum cœlo alligantes* (pr. 4. & 25.) diſceptantur, non poterunt non probari. Inveniet Politicus, quæ cum fructu legat *de Machiavelliſtis & Monarchomachis*, (pr. 49.) *de pomo eridos in certamine dignitatum civilium*, (pr. 26.) *de Optimatum & Plebejorum in Republica conjunctione*, (pr. 39.) *de Republica Rerumpublicarum*, (pr. 37.) aliisque ejus generis. Ethicus ut paſſim in argumenta moralia incidet, & quam plurimos Ariſtotelis in libris Ethicis locos, veluti *I. Nic. 9. de πεπηρωμένοις πρὸς ἀρετήν*, (pr. 13.) & illum *1. Magn. Moral. ult. ſapientiam hero, prudentiam ejus procuratori comparantem* (pr. 64.) illuſtratos animadvertet: ita præcipue de vindicata (pr. 52. & 57.) a peſtilenti *Thomæ Hobbeſii* dogmate *de ſtatu hominis naturali*, quem *in bello omnium contra omnes* conſtituit, morum Philoſophia ſibi gratulabitur. Grammatico proverbia de *modio ſalis* (pr. 76.) de *barba ſtrumineâ* (pr. 73.) illudque Anglorum, quo *Utlagatum caput ajunt*

Digitized by Google

lupinum habere (pr. 59.) explicata placebunt. Historiarum cupidō non injucundum erit *memoriam Mauritii Electoris Saxoniæ* (pr. 44.) doctorumque quorundam virorum, *Joachimi Camerarii* (præfat. 75.) *Joh. Benedicti Carpzovii* (pr. 24.) *Frid. Leibnützii* (pr. 7.) recolere; de *Brasilianorum* item *lingua, religione ac Republica* (pr. 16.) cognoscere. Nec defutura vel Physico vel Dialectico sunt, quæ cum voluptate legant. Ast fatendum tamen, præcipuam in his Præfationibus paginam facere *Philosophicam Historiam*, quam & antehac in *Schediasmate Historico* Ao. 1665 evulgato, inque Exercitatione *de exustione mundi Stoica*, aliisque ad Stoicæ inprimis Philosophiæ Historiam facientibus *dissertationibus* Lipsiæ a. 1676 editis, & in novissimo hoc opere illustandam Auctor susceperit. Huc enim spectant, quæ *de sententia Aristotelis circa originem corporis & animæ humanæ*, (pr. 67.) *de controversia de tribus in homine animabus*, (pr. 46.) *de erroribus gentilium circa animam hominis*, (pr. 46. & 48.) *de μεταμοπαθεία Aristotelicorum, ἀπαθεία Stoicorum, ἐμπαθεία Epicureorum*, (pr. 55.) *de triplici Gallorum Philosophia comparata cum triplici Græcorum* (pr. 79.) *de causis ineptiarum barbari ævi Scholastici*, (pr. 82.) *de origine controversiæ Scholasticæ de principio individuationis*, (pr. 43.) *de affectibus se miscentibus controversiæ de gynæocratia*, (pr. 56.) ejusdemque generis aliis alibi traduntur. Quæ cum ita sint, consultum omnino fore putamus rei literariæ, si & *Disputationes* ipsæ, quæ Præfationibus hisce occasionem præbuerunt, junctim edantur; & varii item argumenti orationes justæ, quas paratas idem Auctor prælo habet, in publico quamprimum conspiciantur.

MYTHOGRAPHI LATINI, HYGINUS, Fulgentius, Lactantius Placidus, & Albricus Philosophus. Th. Munckerus *omnes e Mss. & conjecturis emendavit & commentariis instruxit.*

Amstelod. 2. Voll. in 8. 1681.

Prost. Lipsiæ apud Joh. Grossium, & C. F. F. Hær.

FAbularem historiam, quam Mythologiam vocant, explicare instituerunt complures Veterum Græci æque ac Latini: quorum tamen

tamen pleraque monumenta interciderunt, pauca ad nos pervenerunt. E latinis quæ supersunt, olim Basileæ & post apud Commelinos junctim edita Th. Munckerus cum Commentariis, eo ipso, quo diem suum obiit, anno, emisit in publicum, Clarissimi Angli *Thomæ Gale* ea in re haud dubie æmulatus industriam. Is enim ex Græcis Fabularis historiæ Scriptoribus jam Cantabrigiæ a. 1671 Palæphati, Heracliti, ac Anonymi cujusdam Heraclito recentioris de Incredibilibus libellos, cum Pornuti Commentario de natura Deorum, opusculisque similibus aliis: anno 1675 vero Parisiis Bibliothecam Apollodori, Cononis Narrationes 50, Ptolemæi Hephæstionis novæ ad variam eruditionem Historiæ libros 7, Parthenii Nicaensis Erotica, ac Antonini Liberalis Metamorphoses, cum Præfationibus & notis eruditissimis, in lucem ediderat. Illius ergo exemplo Munckerus noster Latinis Mythologis illustrandis omni studio incubuit, tandemque duobus eos tomis comprehensos edidit: quorum prior *Hygini fabulas & Poëticon Astronomicon:* alter Fabii Planciadis Fulgentii *Mythologias, Continentiam Virgilianam*, & libellum *de prisco sermone*; Lactantii Placidi *argumenta Metamorphoseon Nasonianarum*, & Albrici Philosophi commentariolum *de Imaginibus Deorum* exhibet. In Notis, quæ cuivis paginæ subtratæ sunt, plenissimus Autorum horum, quos explicandos suscepit, habetur Commentarius, ex omnibus omnino, qui historiam fabularem persecuti sunt, contextus monumentis: Textus ex optimis impressis & Mstis Codicibus emendatus & restitutus, dictio ex variis autoribus illustrata, Indices etiam copiosi congesti sunt, & cuivis Autorum de stylo, ætate & vita ipsius editionibusque antea vulgatis Dissertatio præfixa: ut instructum fabularis historiæ thesaurum dedisse magno studio apparatum, doctissimus autor censendus sit.

THE AERIAL NOCTILUCA:

Or some new Phænomena, and a Process, of a factitious self shinnig substance, by Rob. Boyle, Fellow of the Royal Society, Lond. 1680. 8.

h. e.

NOCTILUCA AEREA, SEU NOVA quædam Phænomena & Proceſſus ſubſtantiæ artificialis per ſe lucentis. Per Robertum Boyle, Societatis Regiæ Socium. Londini 1680. in 8.

NOn æque intuentium oculos perſtrinxiſſe videtur Phoſphori Noctilucæque ſplendor, ac curioſorum excitavit ingenia, & exercuit manus; illa quidem, ad expiſcanda Naturæ in iſtis recondita ſecreta, has vero ad elaborandum eadem accuratius. Phoſphori itaque artificialis præmiſſa ſuperius conſideratio exigit omnino, ut & Noctilucæ, eaque præſentis ſcripti occaſione, injiciatur mentio. Præmittit autem Nobiliſſimus Autor differentiam Phoſphorum inter & Noctilucam: dum illo innuitur corpus, quod ab objecto lucido, Sole vel igne illuſtratum prius, aliquandiu in tenebris lucet, qualeeſt famoſus ille Lapis Bononienſis, & Phoſphorus Hermeticus Balduini, collationem quorum mutuam ſuperioribus jam annis ſingulari ſcripto inſtituit *Chriſt. Menzelius*, D. Med: Noctiluca vero tale ſignificat corpus, quod citra prævium extrinſecus factam illuminationem, inſita luce in tenebris fulget. Hujus tres recenſentur differentiæ: 1. eſt *Noctiluca conſiſtens* (ſeu gummea) quibusdam *conſtans* dicta, quæ ſub ſpiſſiori conſiſtentia continuo lucet. 2. *Noctiluca liquida*, ſive quæ fluidi liquoris texturam obtinet. De quibus jam *Kirchmaierus* diſſertatione peculiari egit. Hiſce ſibi a D. Kraft monſtratis, tertiam, ceu proprii ingenii, (haud tamen absque repetitis fruſtraneorum tentaminum tædiis) partum, ſuperaddit Autor differentiam, *Noctilucam ſcil. Aeream*, quæ quidem ipſa more priorum non ſoleat ſplendere, attactu vero aeris immediate lumen ſpargat, ita quidem, ut non ipſa materia Noctilucæ, ſed ejus effluvia cum aere admiſſo permiſta, lucis phænomena exhibeant. Hiſce præmiſſis, ſubjungit plures obſervationes, in quibus accurate omnia recenſentur phænomena, circa aeream hanc noctilucam notabilia, iſta ſpeciatim, quæ in relatione ejus ad aerem apparent, utpote tam ad productionem, quam propagationem lucis ejus ſpecialiter neceſſarii, utut vis ejus elaſtica ab illa imminuatur: item quod lux, & fumus lucidus, flammæ

Digitized by Google

mæ ad instar, sensilis caloris haud videatur particeps, nec pulverem pyrium accendere aptus, utut densior & unctuosior luciferæ materiæ portio, dispositа magis ad incalescentiam, & combustionem existat: quod materia lucifera, etiam citra aeris admissionem, caloris paulo intensioris impetu, fulgurationes quasdam edat, &c. Ex quibus & aliis eo inclinat, ut arbitretur, lucem noctilucæ dependere a peculiari & celerrima agitatione particularum quarundam minutarum materiæ luciferæ, in magnitudine, figura & textura ita specialiter constitutarum, ut impellere valeat contiguum ætherem ad oculum usque nostrum: quodq; aeris externi contactus, multum contribuat ad specialem istam agitationem; in Noctiluca quidem consistente, tanquam adjuvans, in aerea v. tanquam necessarium concurrens. Sequitur denique ipsa Noctilucæ hujus aereæ præparatio, quæ consistit in Urinæ humanæ putrefactæ ad consistentiam spissioris syrupi seu mollioris extracti inspissatione; quod magma cum triplo arenæ permistum, successivis ignis aperti destillatur gradibus, usque ad summum ejus rigorem, donec sub finem destillationis prodeat materia, cæteris prioribus ponderosior, & in fluido prius destillato promte subsidens in Receptaculo, quæ est illa ipsa Noctiluca. Qui Processus, num quoad principaliora cum modo Kunckelii coincidat, cogitandum rerum harum peritis relinquimus.

PETRI LOTICHII SECUNDI ECLOGA, in qua Serenissimæ duæ Germanicæ Domus Saxonica & Palatina ab origine prima percensentur; L. Joachimi Felleri, Poes. P.P. in Acad. Lipsi. Notis Philologicis & Historicis illustrata.

Lipsiæ, anno 1681. in 8. apud J. H. Frommannum.

IDpotissimum hic agit Notarum Autor, ut ostendat, non parum eos falli, qui præter delectationem nihil in Poetarum monumentis reperiri arbitrantur. Nam uti Poetas alios, tanquam humanæ Sapientiæ Doctores & Civilis Prudentiæ Magistros, introduxit alibi, cum Rappolto, Antecessore suo, ad Philosophiam eos exigens, id est, Philosophorum dogmata ex Poetarum scriptis collecta erudito orbi sistens: ita optimum Superioris Seculi Poetam, Petrum Lotichium Secundum, in medium nunc producit, velut locupletem antiquiorum temporum & historicæ veritatis testem.

Primam

Primam Scripti partem ipsa facit Ecloga, e tersis politisque Lotichii Poematis, sepositis tantisper aliis, huc translata. Cujus textui plena deinde manu flores adsperſit, e Philologorum partim, partim Historicorum hortis atque Viridariis decerptos, sedulus αὐτολογάμενος. Cum enim Carmen hoc Heroicum, in Saxoniæ Ducis JOHANNIS WILHELMI, & Palatinæ Principis DOROTHEÆ SUSANNÆ Illustrisſimas Nuptias conſcriptum, Celſisſimos Sponſi atq; Sponſæ Majores inde ab origine prima repetat; non modo ipſum argumentum Carminis, partes, atque genus ex historiæ propriæque artis legibus Autor explicat; sed uberius quoque de Serenisſimæ Utriusque, cum Saxonicæ, tum Palatinæ Domus origine, Majoribus, Heroum, quos utraque habuit, rebus domi forisque præclare geſtis, de Germaniæ populis antiquis, metallifodinis hinc inde per Sudetum juga repertis, Urbium, quin & Academiarum incunabulis, Nominibus, Inſignibus, & incrementis, de arcibus prædatoriis & earum deſtructione, aliisque rebus canam antiquitatem ſpirantibus diſſerit, Illuſtri Epithalamio ubique duce uſus atque indice: idque eo facit compendio, ut Hiſtoria Saxonica & Palatina antiquior, velut in nuce exhibita hoc ipſo commentario fuiſſe videatur. In extremo geminus, pro Philologicarum & Hiſtoricarum rerū diſcrimine, indiculus occurrit.

LA COSMOGRAPHIE AISEE, CONTENANT LA SPHERE, l'uſage du Globe terreſtre, & la Geographie &c. par Gilles de Launay.

i. e.

COSMOGRAPHIA FACILIS, SPHÆRICAM, USUM GLOBI terreſtris, & Geographiam complexa.

Auctore Gu. Launayo. Pariſiis 1681. in 12.

LIbellus hic, in gratiam Nobilitatis, Coſmographiam compendio complexus, poſt communisſima de Corporibus Cœleſtibus, juxta Prolemæi hypotheſin, & Elementaribus, ad placita Ariſtotelis, præmiſſa; Sphæræ artificialis circulos, ut & Globi terreſtris uſum, per vulgo hic tradi ſolita, explicat. In Geographia Terrarum continentium, Marium &c. partes generatim recenſuiſſe contentus; ſoli Europæ ſpecialius deſcribendæ, ſed ſtrictim, operam (niſi quod ſuæ Genti præcipui quid Gallus indulſit) impendit.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno M DC LXXXII.

THE COMPARATIVE ANATOMY Of Stomachs and guts begun: by Nehemjah

Grevv M.D. Fellovv of the Royal Society, and of the colledge of Physitians.

i. e.

Inchoata Anatome comparativa ventriculorum & inteſtinorum: auctore Neh. Grew M. D. Regalis Societatis & Collegii Medici Collega.

Londini in fol. 1681.

Liber hic *Muſeo Societatis Regalis* a Clariſſimo Auctore Appendicis in modum annexus eſt, quo inteſtinorum & ventriculorum ſtructuram, pro animalium eorumque alimenti varietate diſtinctam exponit.

Cap. I. exhibet anatomen *Ventriculi & Inteſtinorum* ſex Quadrupedum carnivororum, ſc. *Muſtelæ, Furonis, Putorii, Felis, Canis, Vulpis*, in iisque ad tria inprimis reſpicit. 1. *Ad ſtructuram & textutam harum partium*, tam quoad ſubſtantiam plus minus membranoſam vel carneam, qua ratione inteſtina felis in muſculare & membranaceum dividuntur, quam quoad earundem ſecundum tres dimenſiones quantitatem: una cum reſpectivis earum differentiis, cum muſtela ſimpliciſſimam inteſtinorum habeat conformationem, canis & vulpes ſolum obtineant cæcum, omnia careant colo.

2. *Ad glandulas* inteſtinorum horum animalium, non in muſtela quidem, at in cæteris, præſertim quatuor ultimis, copioſas; easque vel *ſociatim* in racemos junctas, & has fere minores, ex oppoſito inſertionis vaſorum in inteſtina ſitas, quorum racemorum quilibet *pancreas inteſtinale* vocari poſſit, ſaltem quod non unum communem ductum habeant, cum ſingulæ glandulæ propria habeant ſua orificia mucoſi liquoris excretoria: vel *ſeparatim* hinc inde diſperſas, easque majores ac ampliores. 3. *Ad folliculos* binos ſive ſacculos prope anum ſitos, quibus omnia hæc animalia gaudent, & quos exiſtimat proprios ſaltem carnivoris quadrupedibus, interius cavos, & liquorem, fœtorem animali proprium ſpirantem continentes; quos analogos arbitratur iſtis folliculis, in quibus Zibethum in Civetta continetur. Speciatim in muſtela expanſus eſt ſuper hos folliculos ſphincter, qui eos & anum una comprimendo, ad ſimultaneam evacuationem has partes cogit.

Cap. II. Ventriculum & Inteſtina *Talpæ*, quæ inſectis veſci videtur: it. *Erinacei, Sciuri & Gliris*, qui principaliter fructuum voraces, conſiderat.

Cap. III. Ubi de Ventriculo & Inteſtinis animalium, quæ ſimul ſunt frugum & graminis voracia, ut *Cuniculi, Equi & Porcelli*, tractat, inter alia in genere, ſimplex eſſe cæcum horum animalium, non duplex, contra Gliſſonium obſervat. In ſpecie in Cuniculi inteſtinis ſtructuram Cæci mirabilem, tam quoad magnitudinem, quam quoad valvulam, in linea curioſe ſpirali, ab uno extremo Cæci ad alterum extenſam: Gulæ Equinæ amplitudinem, craſſitiem, ruborem &c. proprietates Gulæ in omnibus voracioribus animalibus; Inteſtinorum, præſertim Cæci, & quaſi triplicis Coli ſingularis ſtructuram; tam quoad amplitudinem, quam quoad quadruplex ligamentum, dicta inteſtina in debita figura conſervans, & in plures cellulas ampliores & anguſtiores contrahens. Poſt Porcellini ventriculi quaſi duplicis, ventrem magnum inſtar carnivororum quadrupedum figuratum & muſcularem, ibique ex oppoſito pylori ſituatam rotundam carunculam, magnitudinis avellanæ, ceu obturaculum pylori, partem huic animali propriam; appenſumque majori illi, ſimili modo ac cæcum aliis inteſtinis, ex ſiniſtro latere alium minorem ventriculum, ob id cæcum vocandum, & mediante ligamento muſculari, tanquam ſemivalvula a priori

Digitized by Google

priori ſeparatum deſcribit. Quoad inteſtina in ſex vel ſeptem differentias diſcriminanda, ex omnibus quadrupedibus, porcelli & equi Cæco peculiare eſſe notat, quod ejusdem cum Colo ſint ſtructuræ: ſicut ex omnibus quadrupedibus, his ipſis & cuniculo (forſan etiam aſino ac lepori) proprium ſit, quod geminum habeant Colon.

In *Cap. IV.* de animalibus quadrupedibus graminivoris, *Ove & Vitulo* agit, ubi conſiderandam proponit gulæ ovinæ curioſam texturam ex quinque membranis: quarum intima & extima cuticulares ſunt, illa inſuper glandulosa, candida, & friabilis. Cui proxima eſt nervoſa, in hoc & quibusdam aliis animalibus adeo denſa, ut proprie corpus nervoſum dici queat, compoſitum ex fibris partim ſecundum longitudinem gulæ extenſis, partim per transverſum ad binas muſculares membranas excurrentibus: adeoque tendo ſit duarum proximarum muſculoſarum membranarum, quarum fibræ nec ſpirales ſimpliciter ſecundum *Stenonem*, nec decuſſatæ tantum ſecundum *Williſium*, ſed mixta quadam ratione, ex adjecto ab Auctore ſchemate rectius intelligenda, inſtar ſcuticæ, qua equi incitantur, formatæ ſint. His quatuor ventriculi & inteſtinorum ſex vel octo connectuntur. Cum modo recenſitis, quoad numerum, texturam & figuram, Gula & Ventriculus *Vituli* conveniunt: inteſtina vero in ſeptem vel novem partes diviſibilia, multum ab iſtis Ovium differunt; ſpeciatim horum partes tertia, quarta & quinta, glandularum copia præ iſtis ovium maxime conſpicuæ ſunt.

His præmiſſis, *Cap. 5. & 7.* uſum harum partium, quantum ex anatomica ſtructuræ earum conſideratione explicabilis eſt, ſubjungit, pluribus Gulæ, officium deglutiendi, evomendi, eructandi vindicans; oſcitationem & expuitionem contra Williſium ab eadem removens; contra quem pariter genuinum gulæ motum, tam ſub deglutitione deorſum, quam ſub evomitione ſurſum exponit, idque præſertim eleganti, quam ſupra attigimus, gulæ Ovillæ mechanica. Simili modo ex ſtructura partium ventriculi, præter alios uſus, quintuplicem ejus motum, corrugationem, adſtrictionem, undulationem, convulſionem (pro vomitu) & voluntariam motionem (pro ruminatione) eruit: modum ejus perſpicue ubique explicans. Idem circa inteſtinorum uſum & officium, ſecundum eorum ſtructuram diverſimode exponendum agit. Speciatim Cæco inteſtino triplex officium aſſignat; 1. exactiorem

Digitized by Google

alimentorum coctionem. 2. alimentorum & excrementorum receptionem. 3. contenti fluidi ejectione. excernendorum ex inferioribus promotam excretionem. Glandularum vero intestinalium muco tribuit hunc usum, ut lubrica intestina reddat, & ceu quoddam fermentum alimentorum colliquationem adjuvet; sicut in Diarrhœis naturalibus & artificialibus per illas ipsas humoris evacuandi, ex sanguine fiat separatio.

Cap. VIII. Ventriculos & Intestina Avium examinat. Ex quorum quadraginta speciebus dissectis, tantum tredecim recenset Anatomen. 1. *Cassovarii.* (avis nobis incognitæ) 2. *Ululæ.* 3. *Cuculi junioris.* 4. *Galli gallinacei.* 5. *Columbæ domesticæ.* 6. *Monedulæ.* 7. *Sturni.* 8. *Luteolæ.* 9. *Rubicillæ.* 10. *Torquillæ sive Verticillæ.* 11. *Terranteolæ.* (*Calandra Carletoni*) 12. *Junconis* sive passeris arundinacei. 13. *Hirundinis domesticæ.*

Circa horum Anatomen in genere observat, quod omnes fere aves bina Cœca habeant, quæ obtusos faciant angulos cum recto, contra *Willoughbys* Ornitol. Speciatim omnia gallinaceorum anatumque genera duo cœca admodum longa obtinere, quæ in gallo in rectum hiant, sive aperta sint. *Torquillam* vero cœco carere. Rectum prope anum in quamplurimis avibus silvestribus amplum, adeoque fere pyriforme esse: *Cassovarium, cuculum, anatem silvestrem, querquedulam,* & omnes hujus speciei, ingluvie destitui.

Porro quoad *Galli Gallinacei* Ventriculum, in multis consentit Autor, cum iis, quæ *J. J. Peyerus* circa ventriculi gallinacei Anatomen aliquot ab annis prodidit: (quam ipsam tamen, anno domum, post lectam hanc ab Autore coram Soc. Reg. Anatomen, sequenti, lucem aspexisse asserit) In hoc tamen diversus, quod binis paribus musculorum, sive quatuor illis, molam ventriculi juxta Peyerum conformantibus, ab Autore vero molaribus appellatis, adhuc duos alios musculos, quorum unum ex parte sinistra, *deductorem*, alterum ex parte dextra, *reductorem* appellitat, superaddit. Circa *Columbæ* vero notat earum ingluviem, in *domestica*, parte inferiore, sex vel septem glandulosis laciniis, eleganti figura expressis, concinne instructam: In *Columba Turcica* vero curiose præ cæteris conformatam & tripliei quasi ventre constantem seu cavitate: In *Columba* item *guttarosa* similis fere figuræ; gulam vero admirandæ extensibilitatis, modo tantil-

Digitized by Google

tantillum inflectur. Ventriculos harum similes gallinaceo memorat. Circa intestina *Monedulæ*, observat fibras musculares primarias, secundum longitudinem tenuium, & ex parte Recti quoque, curiosè esse sinuatas sive laciniatas, qualem structuram supra in intestinis Talpæ quoque notaverat, quibus aliæ circulares, istas lacinias æqualiter dividentes, superinstratæ sint. Similem fibrarum intestinalium conformationem in aliis pluribus aviculis, utut non ubique eodem modo, nec eodem loco, v. g. in avicula Anadavadensi, rubicilla, corruca, motacilla, passere solitario, passere domestico, fringilla, sturno, lurcola, hirundine &c. advertit.

His sequente *Cap. 9.* usum istarum partium, in specie illarum ventriculi Gallinacei, & sinuatarum fibrarum intestinalium, subjungit.

Denique *Cap. 10.* Ventriculum & intestina Piscium considerat. Circa quæ duo inprimis singularia notat: 1. multos non habere ventriculum, scil. in specialem cavitatem expansum, aut saltem exiguum, ut *Salmo, Tinca, Barbus, Abramus* sive *Cyprinus latus*. 2. Multos plura habere cæca, tria vel quatuor *Percam*, novem vel decem *Rubellionem*, supra triginta *Truttam*, supra quadraginta invicem coacervata, *asellum majorem & mollem*, *Salmonem* circiter octoginta, intestino crassiori successive, simili fere modo, ac juba collo equino adhærentia, quæ ab aliis quibusdam pro tot pancreatis habita fuerunt.

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, TELA IGNEA SATANÆ.

Altdorfi Noricorum. A. 1681.

Prostat Norib**ergæ** apud Jo. Hoffmannum & Francofurti ad Mœnum apud Jo. David Zunnerum in 4to.

COntinentur hoc Volumine arcani & horribiles Judæorum adversus Christum Deum & Religionem Christianam Libri ἀνέκδοτοι, quos ex Europæ Africæque latebris erutos in lucem hoc fine protrusit Autor, ut Theologi Christiani ad tanto rectius medendum ea, quæ conversionem miserrimæ Gentis Judaicæ juvare possunt, occasionem nanciscerentur. Siquidem ex istis ita productis Libris satis

superque innoteſcit, quid in Chriſtianæ religione Judæi deſiderent ac reprehendant, quidve ex Cacodæmonis ſuggeſtione obſtare arbitrentur, quo minus illam tanquam veram poſſint admittere.

Sunt autem Librorum iſtorum numero quinque. *Primus* eſt *Carmen Memoriale Libri Nizzachon a R. Lipmanno*, qui ſeculo poſt Chriſtum natum XV vixit, *compoſiti*. Scripſerat is primo Librum prolixum, cui *Nizzachon* h. e. *Victoria* nomen fecerat, eo quod in eodem ſe omnes Chriſtianorum copias, quas in ſui ſacrorumque ſuorum defenſionem ex Veteri Teſtamento legere ſolent, fudiſſe & conjeciſſe in turpem fugam ſibi viſus fuerat. Idem confecto infelici hoc opere, memoriæ tribulium conſulturus, potiora ejus argumenta ſtrictim & breviter *Carmine* complexus eſt, idque ediſcendum propoſuit, ut reſponſiones adverſus Chriſtianos tanto magis in promtu haberentur, ſi ex improviſo cum his agendum eſſet. Ipſum Librum Judæis ereptum pridem publici juris fecit *Theodoricus Hackſpanius*: Carmen autem *Lipmanni*, quod Hackſpaniano MS. deerat, *Wagenſeilius* ex *Guil. Henr. Vorſtii*, & uno ſuorum Codicum primus in lucem emiſit.

Alter eſt *Liber Nizzachon Vetus Autoris incogniti* ex MS. Bibliothecæ Argentoratenſis, a Dn. *Sebaſtiano Schmidio* communicato, qui uti Hackſpaniano multo antiquior (nam Seculo XII hunc Autor fœtum enixus eſſe videtur) ita & longe nequior ac plane talis, quem omnia ſecula obſtupeſcent. Habuit eundem hunc Librum *Sebaſtianus Munſterus*, & quia is complura ex eo fragmenta Commentariis in Vetus Teſtamentum & Matthæi Hebraicum Evangelium inſeruerat, ideo pridem deſiderium cepit Eruditos integro ſcripto potiundi. De cætero, totus refertus eſt mendaciis, quique ipſa Veteris Teſtamenti teſtimonia mire corrupta ac depravata paſſim exhibet, idque ex induſtria Autoris, nullo Scribarum vitio; unde & aliqua pronunciata pro divinis obtrudere laborat, quæ nuſpiam in S. Codice comparent.

Tertius ex eodem Codice Argentoratenſi exhibet πλοκὴν ſive Cinnum quendam ex duabus Diſputationibus, ob ſtylum, homines altercantes, & ipſam rem, plane diverſis implexum confuſumque, ſed a *Wagenſeilio* evolutum ac bene diſtinctum. *Prior Diſputatio inter R. Jechielem & Nicolaum* quendam, qui a Judæis ad Chriſtianos ſe-ceſſerat Lutetiæ habita; *Poſterior* vero inter *Nachmanidem & Antagoniſtas*

Digitized by Google

geniſſet Fratrem Paulum, Fratremque Raymundum Martini, illum ipſum, cujus Liber *Pugio fidei* inſcriptus in omnium manibus verſatur, præſente *Jacobo Tarraconenſis Provinciæ Rege* inſtituta fuit. Utraque diſputatio eodem ævo peracta, & hæc quidem anno poſt Chriſtum natum 1263. Prioris contentionis vix alii meminerint: poſterior inter Chriſtianos famoſa eſt, deque illa *Franc. Bosquet* in Epiſtola, quæ *Pugioni fidei* præfixa eſt, ad *Joſephum de Voiſin* nonnulla perſcripſit.

Quartus eſt *Chiſuk Emuna* h. e. liber *Munimen fidei* autore R. *Iſaaco* Filio Abrahami, cujus in Linguam Hiſpanicam converſi, Theologus magni nominis *Joh. Müllerus* in optimo Libro, quem adverſus Judæos Germanice conſcripſit, paſſim non meminit tantum, ſed & fere totum confutavit. Dignum ſane hoc *munimentum* eſt, in cujus diſturbationem Chriſtiani nervos intendant ſuos, quando non extat aliud Judæorum in hoc infelici argumento ſcriptum, quod magis eos in erroribus ſuis confirmet, veritatisque agnitionem impediat. Ipſa Lectio facile cuique prodit, circa medium Superioris ſeculi demum conceptum eſſe tetrum ac ſtygium hunc fœtum. Sed quo recentior, eo eſt nequior, ferocior & ad fucum faciendum aptior. *Wagenſeilius* ipſum ex MS. Africano, quo ipſum in Abyla verſantem *Judæus* quidam donaverat, primus edidit.

Quintus & Ultimus eſt Liber *Toldos Jeſchu*, in quo totam vim, nervosque univerſos ac artus ſuæ exercuit erga Deum blaſphemiæ pater omnis doli ac fraudis Diabolus, horrenda & abominanda mendacia de vita & geſtis Meſſiæ Ἰησοῦ, ac Eccleſiæ ejus initiis inter recutitam Gentem diſſeminans. Iſtum nefandum Libellum ſolo Latino idiomate Parti II. c. 8. *pugionis* ſui primus inſeruit *Raymundus Martini* circa finem ſeculi a nato Chriſto XIII. Inde haut multo poſt *Porchetus Salvaticus* Monachus Carthuſianus in ſuam adverſus Judæos commentationem tranſcripſit. *Lutherus* denique ex *Porcheto* eundem Germanicum fecit, in cujus Tomo IIX Jenenſi comparet. Hebraicum tandem Exemplar, quo hactenus eruditus orbis caruit, magno labore ſummoque pretio ſibi comparatum hic evulgavit *Wagenſeilius*. Qui præterea ad hos quinque Libros jam recenſitos, *Interpretationes Latinas* exquiſitiſſimas adjecit, & ſedulam ſolidamque *Confutationem*, tum *Carmina R. Lipmanni*, tum *Libri Toldos Jeſchu* com-

Digitized by Google

concinnavit. In *Præfatione* autem totius voluminis longe doctissima lectuque dignissima *rationes*, quæ ipsum ad hos libros evulgandos impulerint, gravissimo stylo expositi, multa simul inspergens alioqui parum in vulgus nota, de *modo*, *quem Tribunal Romanum in Librorum censura & prosiriptione observare solet*, *de Talmude Judæorum*, *de Conversionis eorundem negocio feliciter & cum successu a Christianis tractando*, deque hujus generis aliis pluribus.

In fine voluminis accedit *Mantissa de LXX Hebdomadibus Danielis* adversus *Johannis Marshami Equitis Aurati Angli* novam earundem interpretationem, qua is in Libro, qui *Canon Chronicus* inscribitur, ac *Londini* primum anno 1672 editus, & postea *Lipsiæ*, non sine præfatione tamen, ut alia, ita & hoc paradoxum notante, aõ. 1676 recusus est, orbi Christiano vult persuadere, finem septuaginta illarum Hebdomadum haut sane proprie ad Christum, sed ad Antiochum Epiphanem attinere, atque hunc vere significare omne illud vaticinium. Cujus novæ interpretationis accuratum examen instituens *Noster* in illa Mantissa, totius Christianæ Ecclesiæ, quæ est, quæ ullis unquam seculis fuit, causam masculè defendit, & Classici Spiritus S. vaticinii, quo pro columna & firmamento Ecclesia semper usa est, autoritatem egregie contra omnia machinamenta *Marshami* tuetur.

JOBI LUDOLPHI
Alias LEUTHOLF *Dicti*, *HISTORIA Æthiopica*, *sive brevis & succincta Descriptio Regni Habessinorum*, *quod vulgo male Presbyteri Johannis vocatur.*

Francof. ad Mœnum. A. 1681. fol.

MAgnam sane operam & curam Historiæ Æthiopicæ seu Regni Habessinorum condendæ insumpsit Vir Nobilissimus & Linguarum Exoticarum callentissimus Dn. *Jobus Ludolphus* S. Cæsareæ Majestati, ut & Seren. Electori Palatino a Consiliis, & hoc tempore Ser. Ducis Saxo-Vinarienfis ad Conventum Francofurtensem Legatus. Nam quicquid de nominatæ gentis notitia haberi hactenus potuit, id magno ipse studio, nec minori sumptu undique collegit, convenien-

Digitized by Google

venientatque post *digessit* ordine; præ aliis tamen multum passim tum Patrum Societatis Jesu, qui sibi Sedique Romanæ Regnum illud aliquot annis obnoxium habuerunt, Relationibus annuis, compositæque ex iis a P. *Balth. Tellezio* sermone Lusitano Historiæ Æthiopicæ; tum Habessini cujusdam exulis *Gregorii*, quo Romæ primum, post & in Germania longo tempore familiariter fuit usus, narrationibus tribuens.

Totum opus libris quatuor constat. Quorum *primum* ab Etymologia ipsius nominis, quo Abyssini vocantur, seu rectius Habessenai, auspicatur, illudque ab Arabica voce *Habesh*, mixturam seu colluvionem gentium denotante derivat, Habessenis ipsis hanc ob causam exosum. Inde situm Regni, & cœli illud ambientis solique genium, provincias, altissimos montes, flumina, metalla, varii & rari generis animalia, ac plantas describit; novas etiam easque accuratiores Tabulas Geographicas pollicitus. Inter flumina *Nilus* eminet, de cujus fontibus, Antiquitati tamdiu sollicite quæsitis, ac in Habessinia tandem Patrum Societatis Jesu solertia detectis, cursu item, & duobus alveis, quorum sinistrum *Nigris* fluvium esse pro comperto habet, curate agit: ac num diverti ab Habessinis Nilus, ne in Ægyptum fluat, sed in mare Rubrum exoneretur, possit, quod multis creditum Tellezius negaverat, non perfunctorie disquirit. Inter herbas Regionis illius ob vim alexipharmacam memorabilis ea est, quam *Assazoe* vocant. Nam tanta ejus contra venenum efficacia perhibetur, ut umbra etiam illius stuporem viperis indueat, possitque serpentes & hydros impune tollere & manibus tractare, qui radicem herbæ illius comederit. Ex quo argumentum ducitur, non alio olim, quam hujus aut simili herbæ remedio Psyllos, decantatissimam Africæ gentem, contra serpentum morsus fuisse usos.

Libro *secundo* Regum Æthiopiæ Historiam, Regnatricem Domum, formam regiminis, ac cætera, quæ Politicæ inquisitionis sunt, prosequitur. Et antiquitate quidem originis Principes orbis universos Habessini Reges superant, si, quod jactant, ab ipso *Salomone* genus ducunt. Reginam enim Sabæ, quam Hierosolymam Salomonem salutatum venisse sacræ literæ testantur, ex Salomone filium *Menilehecum*, Habessiniæ post Regem, suscepisse, illiusque posteros ad annum usque 960 a Christo nato continua serie regnasse: Tum

vero Familiam *Zagaam* invasisse Regnum, & trecentis ac quadraginta annis tenuisse: ast circa annum Christi 1300 *Salomoneam* Familiam Regno restitutam per *Icon-Amlacum* fuisse, longo sed ambiguo commento tradunt. Quæ uti sunt incerta, sic facile fidem facit Auctor, potentiam illorum Regum olim formidandam exteris fuisse; etsi non dissimulat, eam *Adelensium* primum bellis, post vicinorum *Gallanorum* vi, ac intestinis denique dissensionibus adeo fractam, ut hoc tempore Habessiniam quis in ipsa Habessinia vix inveneris.

Cæterum, tradente Ludolpho, Despotico Reges imperio in subditos utuntur; nec proprii quicquam privati, paucissimos si exceperis, habent, sed fundi omnes atque prædia Regis esse, ac precario a subditis possideri censentur. Reditus tamen Regii pro Regni amplitudine non adeo magni sunt, nec in pecunia numerata, sed in proventibus Regionum naturalibus consistunt. Aulæ splendor minime ad formam Europæorum. Ne palatia quidem Reges superioribus temporibus habuere, tentoriis contenti; primusque Regi domum Europæo more hoc nostro Seculo P. *Petrus Pays*, *Gorgoræ* in peninsula quadam lacus Tzanici, ubi hybernare Rex consueverat, exstruxisse memoratur. Mensæ Regiæ apparatus nullo luxu: non orbibus, non cultris, non cochlearibus appositis, imo ne salino quidem. At in eo tamen supervacaneam majestatis curam mireris, quod Principes non ipsi cibum ori admovere sustinent, sed per famulos sibi in os ingeri ac inferciri, velut altiles apud nos aves saginantur, curant. Unum supereſt, quod, etsi singula attingi non patitur instituti ratio, prætereundum tamen non fuit: remedium per quod regnatricis Domus concordia apud Habessinos longo tempore stetit. Scilicet ne quæ turbæ dari ab illis possent, qui sanguinis jure tumidi rapere quam expectare imperium malunt, Reges Habessini olim filios suos, quam primum res novas moliri per ætatem viderentur posse, in rupem quandam relegare, ac arcta in custodia asservare, a turbulentorum hominum commercio remotos, ac suo tempore & loco e rupe illa ad Regnum prodituros, inter Arcana Status habuere. Quem morem exeunte demum superiore seculo *Naodus* Rex, velut immitem, sed magno Regni, ut Auctor noster censet, malo abrogavit.

Liber *tertius* res Ecclesiasticas Habessinorum complectitur. Ad Christia-

Christianam eos religionem, *Frumentii* opera, *S. Athanasii* Alexandrini Patriarchæ temporibus conversos, Habessinorum pariter, ac Græcorum Latinorumque Scriptorum auctoritate facile probatur; nec immerito ab Auctore *Cedrenus* & *Nicephorus Callistus* erroris arguuntur, conversionem Habessinorum sub *Justiniano* demum Imperatore factam arbitrati. A Catholica Ecclesia secessionem occasione Concilii Chalcedonensis, quod hodieque damnant & convitiantur, fecere, Jacobitarum Patriarcham spretis Melchitis secuti. Itaque Alexandrinæ Ecclesiæ placitis subscripserunt, neque ex illo tempore ad præsens usque seculum a Majorum religione deflexerunt. Eo vero ineunte, cum Societatis Jesu Patres in Habessiniam, ut Romanæ eam Ecclesiæ subjicerent, magno numero venissent, sciss fuere in partes, Alexandrinam aliis, aliis Romanam religionem sectantibus, gravissimisque inde bellis civilibus agitati; donec ad extremum, pulsis Regno Jesuitis, avita apud illos religio prævaluit. Ejus vero ritus si spectemus, derivantur illi partim a Judæis, ut circumcisio, abstinentia a carne suilla, aliaque: partim a moribus antiquæ Ecclesiæ, ut vita ascetica, etsi hoc tempore valde soluta: partim ab Ecclesia Romana, ut oratio pro defunctis, ac sanctorum, præcipue B. Mariæ virginis, invocatio. At in aliis doctrinæ capitibus a Romana Ecclesia multum Habessini dissident. Nam ut alia taceam, nec primatum Episcopo Romano Oecumenicum concedunt, neque communionem, ut vocant, sub una probant, negantque cum Græcis omnibus Spiritum Sanctum a Filio procedere. Quæ omnia diligentissimo studio ab Auctore uberius explicantur.

Quartus liber rebus Habessinorum privatis describendis occupatur, eo brevior, quo magis & res literaria, & commercia, atque opificia sunt apud Habessenos tenuia. Neque plura nos iis, quæ excerpere ex doctissimo opere visum fuit, addimus; nisi quod veniam nobis daturum Nobilissimum Dn. Auctorem speramus, si promissi illum admoneamus, publicoque adeo rogemus nomine, ne uberioribus, quos pollicitus est, commentariis carere diutius Literatum Orbem patiatur.

Digitized by Google

LE GRAND DICTIONAIRE HISTORIQUE, ou Le Melange curieux de l' Hiſtoire Sacreé & profane. Par M. Louys Moreri, Pretre, Docteur en Theologie.

a Lyon. M DC LXXXI.

Magnum Dictionarium Hiſtoricum, ſeu Sacræ & Profanæ Hiſtoriæ curioſa Permiſtio, Auctore Ludovico Moreri, Presbytero, Theologiæ Doctore. Lugduni M DC LXXXI. in fol. 2. voll.

LExica Hiſtorica componere aggreſſi multi ſunt: aſt palmam omnibus vaſto hoc opere diligentiſſimus Auctor eripuit. Utique accuratum æque ac abſolutum Dictionarium Hiſtoricum lucem hactenus non adſpexit; quodque mireris, annorum non ita multorum induſtria illud ab Auctore confectum eſt. Nam anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo fatis conceſſit, brevis vitæ luculento hoc illuſtrique monumento relicto. Continentur autem eo, uſitato Lexicographis ordine,

Vitæ Patriarcharum, Judicum, & Regum Veteris Teſtamenti; Summorum Eccleſiæ Pontificum; Patrum Sanctorum & Doctorum Orthodoxorum, Epiſcoporum quatuor Eccleſiarum Patriarchalium, Cardinalium, Prælatorum celebrium, & Hæreſiarcharum: Vitæ item, Imperatorum Romanorum, Græcorum, Germanorum, Chriſtianæ, paganæ, Mahomedanæ religionis; Regum, Principum illuſtrium, & Imperatorum bellicorum; Auctorum Græcorum & Latinorum, veterum æque ac recentiorum; Philoſophorum, Inventorum artium, ac aliorum cujuscunque profeſſionis, eruditione, ſcriptis, aut actione quadam ſpecioſa illuſtrium: Nec non Libri paulo majoris momenti ab Auctoribus editi: Opiniones ſingulares Philoſophorum: & potiſſima dogmata Hæreſiarcharum. Porro Deſcriptio Statuum, Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, Urbium, Inſularum, Montium, ac fluminum, in veteri ac nova Geographia occurrentium; ubi regionum fines, ſitus, ac qualitates populorum vero mores, conſuetudines, Imperium civile, ac Religio exacte referuntur: Quin & Hiſtoria Conciliorum generalium & particularium, Synodorum, Conciliabulorum,

&

Digitized by Google

& aliorum conventuum Ecclesiasticorum, Descriptioni urbium, in quibus celebrata fuere, passim inserta: Item nomen, fundatio, ac propagatio Religiosorum & Militarium Ordinum, Fundatorum vita, Genealogiæ, & actiones memorabiles plurium Familiarum illustrium: Historia denique Fabulosa Deorum, & Heroum, ex antiquitate gentili.

Cuncta vero observationibus & Dissertationibus eruditis exornantur, tum pro explicandis difficultatibus Chronologicis, tum pro decidendis controversiis Historicis; quodque omnium maxime placet, diligenti ubivis studio Auctores, iique selectissimi allegantur, quorum fide singula tradita sunt, quosque consulere possunt, qui unum alterumve uberius edoceri desiderant.

BALTHASARIS STOLBERGI,

P. Witteb.

De Solœcismis & Barbarismis Græcæ Novi Fœderis Dictioni falso tributis, ut & de Cilicismo aliisque a D. Paulo nove usurpatis, Exercitationes VII. quibus varia Scripturæ S. Nov. Testam. loca explicantur & illustrantur.

Witteberge A. M. DC. LXXXI. in 4.

CUm de indole stYli N. Testamenti, ejusque puritate, varii prostent commentarii, tum illud quoque in vulgus notum est, alios post *Erasmum* viros doctos inventos esse, qui ejusdem dictioni Græcæ Solœcismos & Barbarismos tribuerent. Horum sententia cum nec solidæ eruditionis gravitate subnitatur, nec utilitatis ac ædificationis quidquam habeat, inter alios eam nuper impugnandam sibi sumsit vir Græce doctissimus, *Balthasar Stolbergius Græc. liter. in Academia Wittebergensi Professor clarissimus.* Qui dum aliquot illustriora N. Testamenti loca, ab hac profana cavillatione liberat, simul in *Dissertatione sexta* Hieronymi sententiam D. Paulo Ciliciſmos tribuentis examinat, qua occasione dicta Apostoli *Colosſ. II. 18. Rom. VI. 19. 2. Cor. XI, 9. 1. Cor. IV. 3.* illustrantur.

TELLURIS THEORIA SACRA.

Orbis noſtri Originem & mutationes generales,

quas aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectens. Libri duo priores de Diluvio, & Paradiſo.

Londini MDCLXXXI. in 4.

AUtor operis, docente Epiſtola dedicatoria, eſt T. *Burnetius*, Scriptor Anglus; qui ſupra vulgus hominum philoſophaturus, &, quantum in ornando argumento, utut paradoxo, valeat, oſtenſurus, omnes, ſumto a primævo Chao tenerisque rerum principiis exordio, naturæ motus & renovationes ad earundem rerum exitum ſupremum perſequi in hac *Theoria* propoſuit. *Sacram* appellavit, quod non communem telluris Phyſiologiam, ſed majores mundi viciſſitudines, quarum Scriptura ſacra meminit, reſpiciat: alibi, *Hiſtoriam Naturalem naſcentis & denaſcentis mundi.*

Tametſi vero duplicis generis mutationes, quas terrarum orbis videlicet aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, promittat; in duobus tamen hiſce libris non niſi de primo mutationum genere, quo *Diluvium*, & *Paradiſum* retulit, egiſſe deprehenditur: reliquo, hodiernæ terræ & compagis mundanæ conflagrationem, ultimamque mundi faciem quod ſpectat, peculiarem adhuc librum deſtinavit: & de Diluvio quidem prius agere, quam de Paradiſo, voluit, quod ordo probandi facilius in ſua ſententia procedat a Diluvio ad Paradiſum.

Primo ergo *libro*, ubi univerſalis Cataclyſmi rationes ſic exponere aggreditur, ut quomodo factus ille fuerit, a mente humana poſſit comprehendi, hypotheſeos (quam firmæ, nos non diſputamus) loco ponit, *Diluvium Univerſale non contigiſſe ſimplici inundatione, aut ſola aquarum redundantia, ſed acceſſiſſe inſuper diſſolutionem exterioris telluris, & ſubſidentiam in abyſſum magnam.* Quatuor ille ſectionibus conſtat: in *prima* ipſum non modo operis argumentum explicat, ſed ſimul etiam, quo armorum genere ſuſceptam tueri cauſam velit: Divinis nempe monumentis & ratione naturali, ſeu cœleſti & naturali lumine; quanquam tutiſſimum eſſe ducat, in materia rerum naturalium reſpicere tantum concluſiones Scripturæ generales, ſummas rerum, & receptiſſima capita; partes vero, modos, & explicatio-

rationes speciales suppleendas esse ex observationibus in ratione, scientiis, & experientia fundatis. Imo rebus naturalibus investigandis qui unice incumbunt, iis in sacrarum literarum interpretatione nihil esse admittendum censet, quod evidenter repugnet rationi & observationibus naturalibus.

Principiis probandi constitutis, Noetici Diluvii historiam ex Sacris repetit, & rationes contra communem explicationem militantes, imo insuperabiles, quas vocat, difficultates adfert, quibus adductum se fatetur, ut Diluvium alio modo statueret contigisse. Sex enim aut octo Oceanis-mari partim, partim aridæ superfusis opus esse, suo quodam calculo nixus asserit, ut altitudinem maximorum montium mediterraneorum transcendant aquæ: vel, molem aquæ octoduplam totius aquæ in Oceano contentæ necessariam esse, ad inducendum terris diluvium eo modo, quo vulgo intelligi & explicari solet: Tantam autem aquarum vim nusquam in rerum hac natura, neque in regionibus mundi superis & mediis, neque in inferis & subterraneis reperiri posse. Imo si poneretur diluvii tempore adfuisse, an exonerari postea stupenda aquarum mole terra potuerit, dubitat. Eorum denique exceptiones, qui, ut objectis difficultatibus argumentum hoc expediant, vel ad novam aquarum creationem, & annihilationem confugiunt, vel certos diluvio limites ponere, & particulare facere malunt, diluit.

Aliena remota hypothesi ad propriam convertitur, & qua occasione in eam descenderit, quidve generatim alii Autores de dissoluta, fracta, & deperdita terræ forma senserint, *Severianus* nempe *in Hexaemero*, *Postellus in Cosmographia*, & ex sacris Scriptoribus *Moses capite Geneseos septimo*, divus *Petrus capite tertio secundæ Epistolæ*, ut & Petrini loci auctoritate motus *Augustinus de Genesi ad literam*, fusius exponit.

Sectione secunda hujus libri, refutata inter alia hæresi de tellure æterna & ingenita, probat e Scriptura primum, hinc e ratione naturali, & quidem a priori, tellurem primævam, sive quæ primum ex Chao emersit, (2) alterius fuisse compagis & formæ ab hodierna: 2.) totam fuisse continentem sine maris natu: totam lævem & æqualem, sine montibus: totam denique solidam (usque ad abyssum) sine cavernis: eoque 3.) talem & quæ dissolutioni esset obnoxia, & ex cujus dis-

solu-

solutione oriretur necessario universale diluvium. Quo loco plura de Chaos motibus, & transformationibus successivis, de gyro abyssi, de ovo antiquorum, quod apud *Orpheum*, *Aristophanem*, *Plutarchum*, *Macrobium* & alios celebratur, quasi per digressionem, adducuntur.

Tertia sectione ex hodiernæ telluris forma & facie, & contemplatione cavitatum subterranearum, Oceani, & Montium, tanquam ex Phænomenis quibusdam & effectis, a posteriori ostendit, regionem exteriorem terræ fuisse reipsa disruptam & dissolutam eo modo, quo ex causis antea deduxerat.

Ultima denique *sectione*, totius primi libri recapitulationem, cum quibusdam argumentorum spicilegiis, proponit, nec tantum ad ea, quæ opponi explicationibus suis possunt, respondet, sed & eorum explicationes, qui eadem Phænomena ruinis partialibus, terræ motibus, eluvionibus, & subterraneis aquarum attritionibus, vel ignium eruptionibus imputant, refellit. Imo quæ hactenus de terræ dissolutione protulit, ad Planetas etiam & Planetarum maculas, sed non nisi per conjecturam, transfert. Et utinam hac in parte nihil adhiberetur, quod immotum hactenus discursum mentis, e contemplatione divinorum operum, non cœli solius, sed & terræ, immensam Artificis atque Creatoris sapientiam, potentiam, atque bonitatem æstimantis, labefactet & inspediat! Utinam telluris elegantiam, & orbis ordinationem atque perfectionem non ex humani alicujus artificis cerebro æstimaret, mensura sine perinqua & admodum fallaci!

Secundus liber, qui de Tellure agit Primigenia, & de Paradiso, tribus partibus absolvitur; quarum *prima* præliminaria continet de Phænomenis Paradisi generalibus, & specialibus: *secunda* quæstionem in hoc argumento principalem tractat de Paradisi Loco: *tertia* veterum de Autoris sententiis suffragia collecta sistit. Phænomena Paradisi generalia, id est, quæ reliquus orbis habitabilis cum Paradiso communia, a nostris vero seculis diversa habuit, primo recitat, & sunt, summa cœli clementia, & æquabilitas in recenti mundo & in Paradiso: animalium ortus, hominum, quin & cæterorum animalium longævitas: egregia fertilitas soli, morumque & victus ratio simplex, quoad victum, habitum, cætera; vita denique facilis & beata, quorum tamen durationem inæqualem fuisse notat.

Deum monstrat, Phænomena recensita in tellure nostra, ut hodie

die conſtituitur, neque reperiri poſſe, neque explicari juxta formam & ſitum hodierni cœli ac terræ, ſeu, quod idem eſt, ſtante hac rerum compage. Cui contemplationi dum inhæret, ſimul de vera cauſa longævitatis Antediluvianorum: de cauſis ſenectutis in genere & brevitatis hodiernæ vitæ, nec non de machina & conſtitutione humani corporis, prolixius diſſerit, eorumque opinionem, qui annorum nomine in hoc calculo, menſes, ſive annos lunares menſtruos volunt intelligi, confutat. Nam ex eadem ſemper naturæ facie, eodem tenore, & perpetua cœli clementia & æqualitate deducendam eſſe cenſet originem atque veram rationem longævitatis antediluvianæ: vitæ noſtræ vero brevitatem ab inæquali anni forma & intemperata vi frigoris & caloris corpus alternatim impetentium, provenire. Hinc propriam hypotheſin reaſſumens, oſtendere e diverſo ſatagit, iſta rerum compage, qualem libro primo jam ſignavit, admiſſa, Phænomena memorata omnia repertum ibidem iri, & quæcunque alia de primævo naturæ ſtatu hactenus vel certa ratione, vel hiſtoria innotuerunt. Nec tantum hypotheſin ſuam, præſertim de telluris ad ſolem ſitu, non obliquo aut inclinato, ſed recto, explicat uberius & ad præſens inſtitutum accommodat; ſed ab hypotheſi *Carteſii*, de orbe parato & omnibus vitæ commodis inſtructo otioſe in aere per multa ſecula fluitante, etiam diſcernit: & quamvis eum habeat pro Philoſophorum omnium, qui hactenus floruerunt, principe, aliquot tamen defectibus theoriam ejus obnoxiam eſſe, non diſſimulat. Objectioni præterea de immodico in tali Sphæra calore, ſic occurrit, ut modos adferat varios, quibus temperari ſolis ille æſtus potuerit; cauſam poſtea mutati hujus ſitus ex mutato Centro gravitatis arceſſit.

Phænomenis Paradiſi generalibus aquarum contemplationem ſubjungit, tanquam Phænomenon ſpeciale, nec ortum ſolum & motum, ſed etiam exitum aquarum & fluviorum in primigenia tellure explicat. Pro quibus illuſtrandis, mox de figura ejusdem terræ agit, non accurate Sphærica, ſed ovali & oblonga, deque fluviis, qui ſtatis temporibus inundant. Denique cum Scripturarum dictis hactenus de primi mundi aquis aſſerta confert, &, quæ de conſtitutione primi mundi ab *Apoſtolo Petro*: de aquis cœleſtibus, de cauſis Diluvii ſupernis, apertisque cœli cataractis: de fluviis Paradiſi, nec non de Iride, data Noæ poſt diluvium in ſignum ejus nunquam rediturî, a *Moſe* profe-

runtur, ordine expendit eo fine, ut ſuæ inde theoriæ Philoſophicæ aliquem cum Sacra hiſtoria conſenſum efficiat.

Præliminaria diſquiſitio excipit *de Loco* aut regione *Paradiſi*, ceu argumento hujus libri principali inſtituta. Poſtquam enim *Eugubini*, & Neotericorum, in Meſopotamia, vel alio Aſiæ tractu Paradiſum conſtituentium, opinionem refellit, propriam ſententiam aperit, & ſitum Paradiſi in orbe ſive hemiſphærio non Boreali, ſed Auſtrali (neque enim auferre telluri Paradiſum voluit, quaſi in regionibus aeris, aut in luna quærendus eſſet) cum ex inſpecta primæva naturæ facie, tum ex nonnullis veterum (quos quatuor claſſibus diſtinxit) dogmatis, quæ inde fluxerunt, adſtruit: ſic tamen, ut non materiam hanc tantum impeditam & vexatiſſimam, ſed & imperfectam ejus cognitionem tandem fateatur.

In poſtrema libri parte, coronidis loco, Veterum de mundi ortu ſtatuque primævo placita annectit; non in hoc quidem, ut theoriam ſuam aliorum teſtimoniis probet; ſed ut ingenia aſpera & propoſitorum tenacia, qualia abſtractis rationibus difficulter tractari poſſint, humanioribus argumentis, a conſenſu gentium, teſtimoniis veterum, exemplis, & ſimilitudinibus petitis demulceat, animosque in alteram partem nimis propendentes ad æquilibrium reducat. Pro eorum vero numero, quæ tanquam nova & ſingularia haberi ſuo in opere poſſint, poſtremam partem hanc in quinque articulos diſtribuit.

Articulo primo ſuam de Coſmogonia ſententiam cum Coſmogoniis aliorum confert; ac, ne quis clavi ad explicandas Coſmogonias Antiquorum neceſſaria deſtituatur, notat *primo*, Antiquorum Theogoniam nihil aliud eſſe, ac Coſmogoniam: & eorum Coſmogoniam nihil aliud, ac Geogoniam: *Secundo*, Antiquos omnes, qui originem terræ deſcribunt, ex Chao rem deducere: *Tertio*, Coſmogonias Antiquorum non ſtricte & Philoſophice explicare aut terræ, aut alterius cujuscunque rei formationem, ſed generatim & hiſtorice memorare mutationes, quæ advenerunt Chao: *Quarto*, veteribus Philoſophis, qui aut Poetæ fuerint, aut Poetarum ſimii, res naturales figurate exprimere & ſaltem adumbrare in more eſſe poſitum.

A Coſmogeniis ergo profanorum, *Orphei*, *Heſiodi*, *Ariſtophanis*, *Plutarchi*, *Anaxagoræ*, *Achillis Tatii*, *Empedoclis*, *Parmenidis*, & *Ægyptiorum* exorſus, quam ſingulorum aſſerta ſuæ hypotheſi faveant, oſten-

oſtendit. Hinc ad divina tranſit oracula, quidque de ortu mundi prodant, ex *Geneſi Moſis* proponit, ex *Salomonis Proverbiis*, & ex *Jobo*. Supponit vero, ad Antiquorum etiam Patrum teſtimonia provocans, neque mundum Angelicum, neque hujus mundi partes & regiones ſuperiores, in mundo Moſaico comprehendi; quippe quæ eidem præextiterint per ignota ſecula; ſed illas tantum naturæ partes, quæ ex terreſtri Chao educi potuerunt. Quod ut facilius obtineat, opinionem, quæ omnia propter hominem eſſe facta aſſerit, non de toto univerſo exponit, ſed de noſtri ſolius mundi ambitu: Coſmopœiam dein Moſaicam cum primo, tum *ſecundo capite Geneſeos* expreſſam contemplatur, & ab hac ad illam, quæ a *Salomone*, & *Jobo* memoratur, gradum promovet.

Secundo articulo, antiquam doctrinam inter Chriſtianos de ſublimi Paradiſi loco contemplationi ſuæ conformem eſſe probaturus, parum quidem ſibi lucis ex *Homero* pollicetur, penſiles Alcinoi hortos recenſente: ex *Heſiodo*, Heſperidum hortos ultra Oceanum locante: ex *Platone*, æthereæ cujusdam terræ mentionem faciente; apud Patres tamen, ut & ſequioris ævi Doctores Chriſtianos ſententiam de ſublimi loco Paradiſi receptiſſimam eſſe, allatis eorumdem teſtimoniis evincit.

Tertio articulo, aſſertam novitatem montium, maris, & inſularum non repugnare veterum placitis, duplici ratione, apertis ſcilicet verbis, & conſequentiarum nexu oſtendere conatur. Nam eam in rem loca ex *Hiſtoria Scholaſtica*, *Gloſſa ordinaria in Geneſeos ſeptimum*, ex *Alcuino*, *Rabano Mauro*, & ex *Beda* profert; & ex eo, quod mundum antediluvianum ἄνομβρον, ſive impluvium dixerint, hunc in modum arguit: *Ubi nulla pluvia, ibi nulli montes, ubi nulli montes, ibi nullum mare: ubi nullum mare, ibi nullæ inſulæ:* igitur, *ubi nulla pluvia, ibi nec montes, mare, aut inſulæ.*

Articulo quarto, quod de figura telluris primæ oblonga & ovata dictum, nec id autoritate veterum deſtitui, ex eorum ſuadet ſententia, qui ſive ſcaphæ, ſive cylindri, ſive nucis pineæ formam ei tribuerunt; præterque *Parmenidem*, teſtes hujus rei citat antiquiſſimos naturæ myſtas ex Philoſophia *Orphica*, *Phœnicia*, *Ægyptia*, *Perſica*, & aliorum. Qua occaſione rurſus in contemplationem doctri-

næ de Ovo mundano dilabitur, ex ea cum figuram mundi, tum formam internam & modum originis derivans.

Quinto denique *articulo*, testimonia veterum, *Diogenis, Anaxagoræ, Empedoclis, Leucippi, & Democriti*, de mutato telluris situ exhibet; & quod ante hanc mutationem non alium, quam rectum terræ situm, eoque æquabilem totius anni revolutionem, sine veris, æstatis, autumni, & hyemis vicissitudine, agnoverint, edisserit, totamque suæ hypotheseos cum veterum dogmatis contentionem sic concludit, ut Autores Antiquos non tanquam judices a se appellatos, sed velut testes honorarios adductos fuisse, protestetur.

Totius tandem libri Conclusio Providentiæ Divinæ Systemata Majora & Minora, intuitu mundi ideæ variantis distincta, enumerat; & quid hactenus in duobus hisce libris præstitum, paucis repetit, quidque sit in tertio sperandum nobis pollicetur.

De la Gueriſon des Fievres par le Quin Quina,

i. e.

De Curatione Febrium per Corticem Chinæ Chinæ.

a Paris, 1680.

COrticis Chinæ Chinæ seu Peruviani usus per 30 circiter annos Europæis cognitus fuit, a nonnullis Practicis commendatus, ab aliis suspectus maxime redditus. Anonymus ergo hic Scriptor, cum observarit, tanto annorum decursu, nihil vel in vegetabilis hujus febrifugi præparatione, vel exhibendi modo, a quopiam immutatum fuisse, nisi quod Medicus quidam Londinensis *(Sydenham in tr. de Morbis acutis)* illud non mox ante paroxysmum, ut hactenus factum, sed apyrexias potius tempore, propinandum esse, evicerit: asserere non dubitat, si circumstantiæ necessariæ hactenus accuratius fuissent annotatæ, plus emolumenti ex hoc remedii genere in ægros fuisse redundaturum. Hinc quatuor præprimis in tractatulo hoc exponenda suscepit, sc. diversas Chinæ Chinæ præparationes, ejus vires atque effectus, modum illa utendi in febribus cunctis, & tandem, quæ adversa-

Digitized by Google

versariorum objectionibus satisfacere possint. *Primum* quod attinet, varie quidem medicamentum illud, sine virium castratione, præparari posse, fatetur; in omnibus tamen compositionibus ab hoc, tanquam basi, potissimam febribus medendi potentiam esse petendam, reliquaque admixta saltem ejus activitatem juvare: adeoque ex his talia seligi, quæ illam non impediant, ipsum vero corticem in proportionata dosi, de qua inferius, præscribi debere, monet. Quo facto propinari posse ait hoc remedium, vel in forma solida, sc. Boli aut Extracti, vel in liquida, nempe Tincturæ & infusi. In infusis describendis paulo prolixior observatur, parandis vel cum potulentis ordinariis, vel cum decocto hordei aut aqua appropriata, aliquid Centaurii minoris, ligni sassafras, baccarum juniperi, &, pro extractione acceleranda, tartari, salis centaurii minoris, aut salis armoniaci addendo: ita tamen, ut quod cum musto factum, ratione fermentationis supervenientis, reliquis præparationibus cunctis anteponat, proximum vero locum vino medicato concedat. *Alterum*, nempe virtutem dicti medicamenti hujusque ætiologiam dum explicare satagit, præliminariter de natura & causa febrium disserit, quarum illam ebullitionem massæ sanguinis præternaturalem, hanc non bilem, ut multis visum, sed fermentum acre sive acidum pronunciat. Cum autem cortex ille particulis penetrantibus atque amaricantibus, una cum asperitate leviter adstringente, polleat, vim ejus penetrativam atque incidentem fermentum dissolvere ac dissipare, ac humorum coagulationi resistere, stypticitatem vero moderatam eorundem ebullitionem præternaturalem compescere, simulque partes solidas, quibus fermentum illud aliquid noxæ impresserat, roborare docet. Adeoque concludit, omnium tam continuarum, quam intermittentium, febrium fermentum, utpote unius ejusdemque naturæ, paucis saltem circumstantiis exceptis, hoc remedii genus debellare ac destruere, illud sc. alterando ac naturam in ejus excretione, per vias modo sensibiles, modo insensibiles, juvando, idque eo potentius, quod reliqua ingredientia commendata corticis febrifugi activitatem intendant. Nec inutile putat, remedio huic aliquid Laudani opiati admiscere, præprimis si paroxysmi febriles vehementiores fuerint: cum hoc nimiam humorum ac spirituum turgescentiam compescat, ratione sui amaroris febrile fermentum obtundat, ac per sudorem atque insensi-

bilem transpirationem dissipet. De cætero hoc peculiare quoque Cortici Peruviano testatur, quod potissima febrium symptomata, v. g. inflationes atque tensiones abdominis dolorificas, viscerum infarctus, anorexiam & cruditates ventriculi, alvi fluxus similesque turbas simul cum febre tollat, & quidem hoc pariter ratione suarum superius recensitarum qualitatum. *Tertia* hujus tractatus parte modus hoc medicamine utendi proponitur, ubi, postquam a Venæsectione in plethoricis & in quibus ebullitio sanguinis nimia, ac catharsi, primarum viarum evacuandarum gratia, leniore, initium curationis faciendum esse dixerat, & diætam cuilibet subjecto & febri appropriatam commendarat, pro diversa paroxysmorum vehementia, ac ratione symptomatum, temperamenti, sexus similiumque circumstantiarum medicamenti dosin, assumendi frequentiam, vehiculum &c. mutare jubet. Hinc genuinum & legitimum antifebrilis hujus usum in febribus, tam intermittentibus quam continuis, malignis æque ac symptomaticis, explicat, & quidem, si sub forma vini medicati illud propinetur; licet ad eandem normam cæterarum formularum applicatio disponi valeat. In febribus intermittentibus & harum potius principio, medicamentum hoc non sub initium, sed finem paroxysmi exhibet, nec in hoc ratione destitutus, & quidem partitis vicibus, usque ad ingruentiam subsequentis accessus: repetendo illud singulis apyrexiis, donec paroxismi cessent, quod brevi contingere spondet; ita tamen ut ad minimum corticis drachmæ sex vel uncia una cum dimidia interim in infuso consumantur, hujus vero singulis dosibus unciæ quatuor circiter hauriantur, imo, pro recidiva præcavenda, ejus usus per octiduum, & quod excurrit, finita febre, continuetur. In febribus continuis, post universalia pariter præmissa, febrili turgescentia potius aliquantum subsidente, & quidem in minore dosi, Chinam Chinæ, si sc. cum vino infusa fuerit, exhibet: Sin vero cum decocto hordei & absque vino, mox in principio quoque & loco potus ordinarii. In febribus lentis & symptomaticis, nisi hæ inveteratæ admodum & a visceris nobilioris singulari vitio dependeant, eandem, ac in continuis, utendi rationem suggerit, quo nimirum fermentatione aliquomodo sedata facilius postmodum febrium ejusmodi causis mederi liceat. Post febres cum decubitu seu affluxu humorum, v. g. pleuritidem, contra malignas quoque, quarum

rum fermentum acrius & activum tantum magis supponit Autor singularem etiam hujus specifici efficaciam deprædicat, quatenus non saltem dictum fermentum illud obtundat, sed ad diaphoresin quoque disponat. Post usum denique ejus & febre sublata, purgationes leniores & repetitas commendat, purgantia cum cortice hoc febrifugo combinando. *Tandem & quarto* objectionibus tribus solennioribus, quas contra usum hujus remedii movent, respondet. Quarum prima, quod hoc nullam evacuationem sensibilem præstet, adeoque nec causam morbificam, nec recidivæ metum, tollat; altera, quod calidius illud sit, & cum calidis, v. g. vino, utplurimum propinetur, hinc æstum potius febrilem intendat, quam imminuat; tertia, quod ejus usum recidiva crebrius excipiat. De cætero non dubitat Noster, pro aliorum quoque morborum, ab acido fermento emergentium, v. g. affectionis hypochondriacæ, hystericæ, obstructionis lienis, evacuationum solennium suppressionis, medela hoc remedii genus, per experientiam propriam commendare, adeoque ad Experimenta ulteriora, in his similibusque pathematis adornanda, potissimum cum nullum periculum usui hujus corticis subsit, hortatur.

THOMÆ SYDENHAM MED. D. *Epistola Responsoria duæ: 1. de Morbis Epidemicis ab anno 1675 ad 80. 2 de Lue Venerea.*

Londini in 8. an. 1680.

Occasione observationum, circa morborum acutorum, & præsertim Epidemicorum historiam & curationem, ab autore olim editarum, *Robertus Brady*, Med. D. Cantabr. literas ad eundem dedit, in quibus tria postulat. 1. ut, si quæ restent observationes febrium annorum nuperrime elapsorum, easdem communicare, 2. usum corticis Indici, circa febrium curationem exponere, 3. Rheumatismi citra sanguinis copiosas profusiones curam, explicare velit. Quæsitis his in prima Epistola Responsoria satisfacit Autor: & quidem quoad prius istud, observat, anno 1676 morbillos, & hinc exeunte æstate choleram, gravioribus convulsionibus comitatam sæviisse, non nisi aucta, & crebrius repetita dosi opiatorum curabilem. an. 78 epi-

epidemice admodum fuisse grassatas febres intermittentes, speciatim tertianas & quotidianas, easque facilime in continuas degenerantes, & loco intermissionis, saltem remittentes: anno 1679 easdem febres immanissime debacchatas fuisse, donec mense Novembri tussis epidemica, convulsivæ puerorum tussi similis, suborta fuerit, per VS. & Catharsin repetitam, ac Vesicatorii ad nucham applicationem, profligabilis. Quoad quæsitum alterum febribus istis intermittentibus quibusvis, etiam continuis redditis, ceu probatissimum convenire remedium asserit Corticem istum Peruvianum: argumenta, ob quæ quibusdam male audiat, ceu vana rejicit: & ex eo, quod minus opportune ægro ingeratur, nec sufficiente dosi propinetur, quicquid cortici imputatur, accidere asserit. Unde non ante paroxysmos, more vulgari, sed post eosdem, atque adeo diebus vacuis, sedulo, & aucta insigniter dosi exhibendum eundem monet. Quoad 3 denique, Rheumatismum loco V. S. diæta simplici admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, æque feliciter profligari posse, speciatim sero lactis, usu ejus per aliquot dies continuato, & quidem in subjectis junioribus, macilentis, & diæta minus lauta utentibus, affirmat, id quod observatione notabili in pleniorem rei fidem confirmat.

Cum porro autor simile opus de morbis chronicis promisisset, hujus promissi memoriam ipsi refricuit *Henric. Paman* D. Med. missa ad eum epistola, & ut in arrhabonem reliquorum Luis venereæ curationem explicaret, ab eo petiit. Satisfacit huic Autor in Epist. II, & præmissis quibusdam de ejus origine & propagatione, ipsam curandi rationem succinctam & perspicuam, facillimamque suggerit. Quoad originem, arbitratur, luem hanc esse morbum endemicum regioni cuidam Nigritarum *Guineæ* conterminorum, a cujus incolis, ut sibi pro mancipiis inservirent, emptis Hispani infecti, primi morbum in Europam intulerint. Propagationis rationem facit duplicem, per generationem & per contactum mollioris cujusdam partis, qui maxime fiat in coitu. Attamen & nutrices ab infantibus inquinari affirmat, & ipsos infantes, præ adultis, ob laxiorem & rariorem corporis habitum facilius infici, adeo ut simplex infantis cum infecto concubitus, illum contagio contaminare valeat. Hinc progressum luis juxta symptomatum seriem persequitur, & tandem curan-

curandi rationem duplicem docet: 1. quando adhuc intra gonorrhœæ virulentæ terminos consistit. 2. quando ulteriori progressu, totum jam corpus occupavit. Gonorrhœæ curam principaliter per cathartica, eaque diutius continuata instituit, quæ inter, pervicaciori in malo, turbith minerale ad gr. viij extollit. Ipsam vero luem, altius ubi intra corpus penetravit, per salivationem cum hydrargyro aggreditur, ceu unicam extirpandi hujus morbi rationem: ut ut Mercurium, non secus ac decocta lignorum, non vi specifica sive alterativa simpliciter, sed saltem communi evacuativa, hic prodesse asserat. Provocat eam litu simplici ex axung. porcina cum Mercurio vivo, & debitum ejusdem regimen, si forsan hypercatharsis superveniat, aut salivatio minus procedat, aut hæc excedat, &c. una subjungit.

JOH. GEORG. GREISELII, D.
TRACTATUS MEDICUS, DE CURA Lactis in Arthritide.

Budissin. 12. Anno M DC LXXXI.

CUm scandalum Medicorum Podagra audire soleat, siquidem tot eorundem moliminibus contumaciter nihilominus reluctatur, posthabitis generosioribus ac fortioribus Pharmacis, ad mitiora Dietetica auxilia accessum facere Medici nonnulli instituerunt. Hæc inter Lactea Diæta primatum obtinet, de qua rite in Podagra administranda Autor hujus scripti tractat: lactis naturam primum explicando, & ejusdem pro Podagra debellanda usum, tam rationibus illustrando, quam exemplis confirmando. Specialis contentorum enarratio, ex priori editione desumta, videatur in Miscell. Acad. Nat. Cur. anno 1. obs. 141. p. 312.

EHRENFRIDI HAGENDORNII
CYNOSBATOLOGIA, ad NORMAM Academiæ Naturæ-Curiosorum adornata.

Jenæ 1681. in 8.

IDem hujus tractatus autor est, qui ante triennium circiter de Terra Catecha sive Japponica scripsit. Præsentem materiam ita tractat, ut post Onomatologiam Cynosbati, ejus Physiologiam seu vegetandi

getandi rationem tradat: & quidem tam in genere, ex hypothesi *Dn. Grew*, ubi de forma, loco natali, communi æque ac proprio sive specialiori, de ejus speciebus & longævitate disserit; quam in specie i.e. in partibus ejus singulis, sc. in radice, trunco, foliis, floribus, baccis, arillis, lanugine, spongiis, harumque vermiculis. Occasione radicis hujusque succi nutritii, qui per hujus orificia frutici communicatur, quomodo dispensatio ejus contingat, disquirit, partimque sectionem, partim pororum habitudinem, partim pulsionem, cum solis aerisque motu admittit.

In florum antheris quod observatur, alcohol coloris crocei sulphur vegetabile pronunciat, hujusque occasione alcohol liliorum alborum in urinæ suppressione, & summitatum pini in phthisi magnarum virium perhibet.

Dum de arillis sive acinis agit, hos elychnii flammæ expositos, ratione medullæ oleaginosæ ignem promptissime concipere, & in flammam cœruleam se diffundere, propria observatione testatur.

Lanuginem, quæ arillos ipsamque baccarum pulpam crinosa veste obvelat ac succingit, ubi considerat, qua ratione cuti pruritum, linguæ vero saporem diutius inhærentem hancque vellicantem inferat, quærit, ac utrumque a fibrillarum ejus textura acuminata seu harum cuspidulis dependere suspicatur. Hinc de natura Moxæ, Lanuginis illius Japonicæ, cujus usum causticum in Podagra curanda alias deprædicant, differit, simulque huic succedaneum quoddam ex gossipio nitrato producit.

Spongias Cynosbati museum quendam comosum vocat, in cujus meditullio callosa & cavernosa substantia contineatur, verminosæ certæ progeniei receptaculum. Alveolos hujus meditullii ovula putat, in quibus, tanquam matrice, vermiculi illi generentur, quorum formam per microscopium observatam ac figuris expressam describit, ac ovulorum illorum ortum rimatur. Vermiculos hos per tempus hybernum intra alveolos suos latitare, verneque demum, postquam in musculas seu cantharidulas abierint, eosdem, hactenus quidem præduros, nunc vero per nives & pluvias friabiliores redditos, erodere atque effringere, docet.

Quibus absolutis præparata pharmaceutica cynosbati hujusque partium recenset, & quidem tam usualium, quam singularium

&

Digitized by Google

& horum conficiendorum modos describit. Hinc ejusdem Cynosbati usum therapeuticum sive medicum, ac tandem œconomicum tradit.

PHILOSOPHIA NATURALIS,
Auctore VVOLFERDO SENGUERDO, Philosophiæ Professore.

Lugdun. Batavor. anno 1681. in 4.

Auctor Prælectiones suas Physicas in Academia Lugduni Batavorum anno 1680 habitas, pluribusque Experimentis non exili pretio comparatis illustratas, in compendium hoc redegit. Ipse nulli sectæ addictus, inter Cartesianos & Democriteos modernos medius, hypotheses ad effectus naturales demonstrandos ingeniose accommodavit.

Parte I. de Principiis & Affectionibus generalibus Corporum agens, inter cæteras demonstrationes, duas memorabiles habet. Una ostendit causam arctissimæ connexionis hemisphæriorum multa vi & pondere indissolubilis, quam magna cum verisimilitudine ingeniosi viri nuper gravitati aut pressioni aeris adscripserunt, esse impeditum circulum & successionem corporum, qualis in omni motu datur, (p. 45) Altera probat liquores adscendere descendereque, vel etiam hærere in tubis retortis, non ex aeris pressione, quam itidem allegant recentes Philosophi, quoniam liquorum per tubum retortum motus procedit, ubi nulla datur aeris pressio, sed ipsam gravitatem liquorum efficere phænomena (p. 63.)

Parte II. de Mundo & Situ Corporum ac de Corporibus cœlestibus in specie, Systema Tychonicum amplectitur. Cometas propria & nativa lucere luce opinatur, ex cœlesti substantia genitos; modos generationis & desitionis varios speculatur (p. 149.)

Parte III. de Corporibus sublunaribus vita carentibus tractans, Aeris gravitatem & vim elasticam repetitis experimentis nuper repertis confirmat, meteororumque generationem explicat. Dein Globum Terraqueum considerat, ejusque partes præcipuas, Aquam, Ignem & Terram cum corporibus terrestribus, quæ vulgo mineralia vocant,

& singula quidem hæc tum quoad internam constitutionem, tum quoad affectiones suas expendit.

Parte IV. de viventibus, in Plantas & Animalia distinctis, ostendit, ut ad Plantarum productionem requirantur particulæ majores aereæ, quibus deficientibus semen non pullulat; ut plantæ primo erumpant ex semine veluti ovo quodam; ut accrescant & ramulos forment; ut flores, fructus & semina proferant; ut per radicem ramulorum in terram inflexione, eorum a matrice separatione & terræ impositione, suctione, insitione, oculatione aliterque multiplicentur.

Tandem de Animalium differit semine. Generatione, Respiratione (nec aquatilibus prorsus deneganda) Fame & Siti, Nutritione & Accretione, Motu, Sensibus.

NEPOS SAXONICUS (der Sächsische Nepos.) A JO. GEORGIO WILCKIO compositus.

Lipsiæ ap. Joh. Frideric. Gleditsch, A. 1681. in 8.

ETsi operæ pretium facturus sit non leve, qui Serenissimæ Domus Saxonicæ res illustres, justo ordine ex diversis scriptorum monumentis collectas, in unum historiæ corpus redigere instituat; tamen etiam eorum opera non contemnenda est, qui ob alias caussas, diversas illius historiæ partes, insuper habita temporis ratione, in usum juventutis exponere aggressi sunt. Id quod fecit nuperrime *JOH. GEORGIUS WILCKIUS, Illustris Scholæ Misenensis Rector, vir Clarissimus.* Ipse enim, ut una opera pubem Scholasticam assuefaceret puriori Latinitatis sermoni, & simul Heroum Saxonicorum illustri notitia eandem imbueret, singulari cura & studio *Nepotem Saxonicum*, Germanico idiomate composuit. In quo juxta bonæ imitationis regulas ostendit, ut memorabilia inclutæ gentis Saxonicæ exempla, pura ac tersa Æmilii Probi seu Cornelii Nepotis phrasi describi, atque simul discentibus in Schola, historia Saxonica familiaris reddi queat. Quod genus imitationis ut virile omnino est; ita Autor doctissimus librum hunc non dubitavit illustri quasi antepagmento ornare; orationem puta panegyricam ad Serenissimos Duces

Digitized by Google

ces Sax. Juventutis Principes ſauguſtæ ſpei præmiſſam. Qua multa ἐξομνημόνευτα de Heroibus Saxonicis commemorat, atque oratorum more illuſtrat.

VOYAGE d'ITALIE CURIEUX ET Nouveau, a Lyon, 12.

Iter Italicum novo & accurato ſtudio adornatum. Lugduni 1681.

AUtorem hujus libelli Præfatio indicat eſſe *Huguetanum* Lugdunenſem advocatum: qui e peregrinatione Italica redux, regionum, urbium, portuum, hortorum, monumentorum & aliarum obſervatu dignarum rerum hiſtoriam, prout quævis ſe oculis ipſius obtulit, in literas miſit, & quædam ab aliis non obſervata exhibuit. Quibus *Jac. Spon.* Med. Doctor Lugdunenſis, vir celeberrimus, duas adjecit appendices: quarum altera catalogum palatiorum, ædium ſacrarum, vinearum, bibliothecarum, pinacothecarum, & hujusmodi aliarum, quæ hodie Romæ viſuntur, præſtantiſſimarum rerum, clarorum item eruditione virorum, qui ibidem hodie vivunt, recenſum exponit; altera, univerſæ Italiæ præſtantium virorum, qui doctrina aut artificiis inclaruerunt, & vel hodienum vivunt, vel paucos ante annos diem ſuum obierunt, conſpectum exhibet: quem maximam partem e *Gregorii Leti Italia regnante* petiit.

TRAIET DE L'ORIGINE DES NOMS & des ſurnoms par Meſſire Gilles Andre de La Roque.

Tractatus de origine nominū & cognominum, autore Wilh. Andrea Roquio. a Paris 12. 1681.

HÆc pars eſt majoris Operis, quod molitus eſt autor *de Inſignibus gentilitiis*, quod trecentis capitibus abſolvi in Præfatione indicat. Nimirum quum ad artem explicandorum inſignium, quam *Heraldicam* vocant, cumprimis pertineat intelligere rationem nominum & cognominum, eam in libello hoc perſequi propoſitum ſibi habuit: ſiquidem diverſitatem eorum, proprietates, mutationesque tam apud Veteres quam hodie apud Gallos, Hiſpanos, Anglos, Germanos, Polonos, Suecos, Danos, Italos, aliasq; gentes, exponit: Ordinum item ſeu

Digitized by Google

Societatum illustrium, tam Ecclesiasticarum quam Secularium, ortus & autores recenset; & alia quæ eo spectant ex historia prisca & hodierna illustrat, variasque jucundas, quæ circa nominum vel impositionem, vel expositionem, vel mutationem oriuntur, quæstiones tractat.

SOMNIA QUINQUAGINTA FR. Macedo, in Itinerario S. Augustini post baptismum Mediolano Romam: excutiebat levi brachio P. Fulgentius Fosseus *Augustinianus S. Theol. Prof. ad Reverendissimum ac Sapientissimum Patrem D. Joannem Mabillon Congreg. S. Mauri, Ord. S. Benedicti, Lugduni Batav. 4.*

Emiserat in publicum de *Incarnationis Mysterio* opus Franc. Macedo, adjecta ad calcem prolixiori disputatione *contra monachatum S. Augustini*, cum Appendice *Itinerarii Augustiniani*. In quo cum asserat, Augustinum illico, postquam susceperat baptismum, anno ætatis trigesimo tertio, Mediolano Romam profectum, nec Centum cellis commoratum fuisse, & natum A. 355, baptizatum A. 388, mortuum A. 431, aliaque complura de Augustino ejusque matre, baptismo, Episcopatu &c asserat, Fosseus refellit omnia, & somnia esse ex eburnea Pennoti *Historia Tripartita* porta quæ prodierint, confirmat. Titulus locum impressionis Lugdunum Batavorum profert, sed typus indicat Parisiis libellum hunc fuisse excusum.

EXCERPTUM EX EPHEMERIDIBUS ERUDITORUM PARISIENSIBUS.

NOUVELLE CONSTRUCTION DES Equations completes de deux Dimensions, par M. l' Abbé de Catelan.

i. e.

Nova Constructio Æquationum completarum duarum Dimensionum, per Dn. Abbatem Catelanum, *Ex Diario XXVII. 1. Dec. 1681.*

Proponit hic *Autor* sequentem novam Constructionem completarum Æquationum, duarum dimensionum, quam simpliciorem & generaliorem Cartesiana profitetur.

Omnes

Digitized by Google

TAB. V ad Lib. 2 pag. 87.

Fig. I.



Fig. II.

Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.



Fig VI.

Omnes Æquationes duarum dimensionum ad quatuor species reducuntur, duabus formulis generalibus, yy aut by=Zz ∔ az, & yy aut by=az—zz, comprehensas, quas idem Autor hoc modo construit: Ductis duabus lineis rectis indefinitis, BC & DE, *(juxta Schema Ephemeridum: in Figuris autem adjectis sufficiat lineas AB, AH, acceptas esse; BC enim & DE, nec commodum exhibere, nec necessarium visum fuit)* in puncto A se intersecantibus, in una harum, ex. gr. DE, ex puncto intersectionis accipit partem AH, æqualem semissi lineæ datæ a, & in altera BC, partem AB, æqualem longitudine ipsi y. Porro si Æquatio *Fig. I. II. III. IV.* sit yy, pro prima forma, circulum centro H, intervallo HB; & pro secunda, alium centro A & intervallo AH, describit, intra cujus circumferentiam paralleliter transfert lineam AB *(ad P: quo facto Radix* z *F. I. F. II.* pro prima forma *(Fig. I.)* emergit $\frac{AD}{Ad}$; pro secunda, PH, & *Ph.)*

At quando Æquatio est by: abscissa ex extremitate B, de linea AB, parte BG, æquali datæ lineæ b, quam minimam supponit duarum y & b, differentiam earum GA bisecat in M: post, pro prima forma, facto rectangulo MAH L, centro L, intervallo LB, circulum describit; econtra, pro secunda forma, immediate centro M intervallo MH, alium describit, intra cujus circumferentiam uti prius *(in Fig. II)* transfert totam AB. Æquationis Radix z est perpetuo AD *(Ad)* in prima forma, & PH *(Ph)* in secunda, quando linea AB aut y minor est radio AH aut $\frac{a}{2}$, alias enim Problema est impossibile. *F. III. IV.*

Demonstratio hujus fundatur in natura circuli & proprietate chordarum intra circumferentiam se mutuo secantium; unde etiam dependet constructio Æquationis by vel yy=zz, qui non nisi particularis casus est præcedentis constructionis, & de quo non est facienda regula generalis, quia raro magnitudo $\frac{a}{2} \dotplus$ by aut yy, rectangulum, aut quadratum perfectum est, nec ad lineam rectam reduci potest, nisi descriptis certis triangulis similibus, quæ constructionem intricatam reddunt.

Hucusq; textus Diarii Gallici, *cui tamen intra parentheses aliis literis, quæ ad explicanda diagrammata deesse videbantur, adjecimus. Schematismum vero* Ephemeridum Gallicarum *immutare tantisper & in*

in quatuor peculiares distribuere necessum nobis fuit, ut constructioni sua constaret integritas. Nam & binarum formularum Æquationes, nisi immutatis textus literis, duobus diagrammatibus exhibere non licuit; nec literæ Exemplaris Gallici *mentem* Autoris *ubiq; exprimebant satis: cum & primo Schemati circulus intervallo HB ductus deesset, & in altero (quod & ipsum circulo ex M, intervallo MH, ducendo, destitutum) recta AB major ipsa AH applicationem redderet impossibilem.*

Adjunximus autem Figuram Vtam, *qua unica omnes Æquationum memoratarum formulæ comprehendantur; methodo a* laudati Domini Catelani *non multum absimili. In ea*

$$\begin{array}{llll} AH\} a & AD\} bH & AG\} \frac{y \dot{+} b}{z} & FA = AP \\ Ah\} = z & Ad\} = & LB\} = & GH = LK \\ AB\} & BT\} b & AL\} \frac{y - b}{z} & LH = GO \\ Ab\} = y & GL\} = & GB\} = & AK = Ak \\ FH\} & & & \end{array}$$

$$\text{Unde si sit Æquatio } \begin{cases} yy = zz \dot{+} az \\ yy = zz - az \\ yy = az - zz \\ by = zz \dot{+} az \\ by = zz - az \\ by = az - zz \end{cases} \text{ Radix z emergit } \begin{cases} HD. \\ Hd. \\ \{HP. \\ \{Ph. \\ KH. \\ Hk. \\ \{HO. \\ \{Oh. \end{cases}$$

Huic Fig. VIta Carteſianam *ſubjungimus methodum: cui ne quid circa Æquationes, quarum una pars eſt by, deeſſet, mediæ, inter b & y, proportionalis inventionem, quam ſuperfluam duxit* Carteſius, *adjecimus; ut poſita AB=y, & BT=b, BH fiat=AD: Æquationum radicibus, per rectas DM, DE, AF, FK, exhibitis. Hæc autem, an* Dni. Abbatis *conſtructio, ſimplicior ſit,* Lectoris *eſto decernere: nobis,* Dominum Catelanum *ſuâ, ex cognatione, quam cum ſolutionibus ſolidorum per Circulum & Parabolam habet, univerſalitatis ſuffragium præ* Carteſiana *tribuiſſe, dum Ipſe de hac re forte certiora prodat, conjectaſſe ſuffecerit.*

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DC LXXXII.

SYNTAGMA INSCRIPTIONUM ROMÆ veteris: qvas collegit & Commentariis illustravit THOMAS REINESIUS. Opus posthumum.

Lipsiæ, sumptibus Jo. Fritschii hæredum & Jo. Frid. Gleditschi. A. 1682. fol.

POstqvam JANUS GRUTERUS, sub initium seculi hujus, vastum illud & æternum INSCRIPTIONUM Opus, Scaligeri & Welseri auspiciis, aliorum autem eruditione clarorum Virorum ope & consilio, in certas Classes dispositum evulgasset: multa reperta sunt Romæ & alibi Monumenta, isti inserenda, si antè oculis hominum exposita & observata fuissent, qvàm Iste suum Opus verè incomparabile publicæ exposuisset luci. Hæc igitur novissimè reperta, & variè hinc illinc dispersa, summo studio, partim ex editis ab isto tempore Doctorum Virorum: Aringhi, Aventini, Barthii, Bosii, Boldonii, Capacii, Chifletii, Chorieri, Freheri, Grasseri, Gutherii, Lazii, Liceti, Lipsii, Manutii, Meursii, Palermi, Panvinii, Pighii, Pignorii, Resendii, Salmasii, Savaronis, Schotti, Seldeni, Servii, Sirmondi, Sorbierii, Tomasini, Tristani, Valesii, Ursati, Vossii, Welseri aliorumqve literis clarorum hominum Scriptis; partim Amicorum eruditorum: Bartholini, Bullialdi, Graevii, Gronovii, Heinsii, Holstenii, Lambecii, Langermanni, Monavii, Naudæi, Opitii, Parei, Piccarti, Puteani, Rhodii, Ruperti, Scriverii, Sponii, Volcammeri, Vorstii epistolis, horum ope & suggestione adjutus collegit, & eâdem, qvam Gruterus tenuerat, ratione digessit THOMAS REINESIUS. Commentationibus etiam necessariis adjectis, & noviter prolatas Inscriptiones, & complures, qvas Gruterus aliive antea exhibuerant,

rant, illustravit, ex obscuris perspicuas, ex mutilis integras, ex depravatis correctas exhibens: adeò ut multa ex hoc Syntagmate lux Gruteriano Operi & pluribus vetustis Monumentis aliis inferri intelligendum sit.

Instituerat qvidem primùm Autor Inscriptiones quasdam à Grutero publicatas, non minus indoctorum marmoratiorum culpâ, qvàm incuriosorum descriptorum negligentiâ, temporis etiam vitio, corruptas & depravatas emendare, qvibus libro Commentario illustrandis inter magistratûs, qvem Altenburgi gerebat, munia, & curas officii medici, qvam artem per annos paulò minùs qvinqvaginta publicis stipendiis fecerat, insudabat: sed dum isti intendit Operi, natum ipsi consilium, illas, qvæ Grutero visæ non essent & præteritæ, colligere, earumqve velut novarum accessione Opus ingens & admirandum locupletare & supplere; has autem noviter repertas dum illustrat, iis simul qvas Gruterus attulerat, lucem inferre. In qvo proposito ita profecit, ut earum partim è manibus Amicorum acceptarum, partim è libris diversorum argumentorum & idiomatum excerptarum insignem copiam acqvisiverit, è qvâ Gruteriani in Operis modum dispositâ *Syntagma* isthoc constipavit. In qvo ordinem secutus est, qvi Scaligero & Grutero, dum is vastum suum Opus concinnabat, placuerat: nam *viginti Classibus* omnes, qvas vel in libris reperit, vel ab Amicis transmissas accepit, Inscriptiones complexus est. Ac *prima* qvidem Diis dedicatorum, templorum, aliorumve locorum sacrorum & sacrificiorum; *secunda* Operum & locorum publicorum; *tertia* Cæsarum, Imperatorum, Augustarum & Regum; *qvarta* Annalium, Actorum & Historiarum; *qvinta* Sacerdotum, Haminum, Pontificum, Augurum, Ministrorum sacrorum, Ludionum, & his adfinium; *Sexta* Magistratuum majorum minorumqve & qvorumvis honoratorum; *Septima* Decretorum publicorum, Senatusconsultorum, Legum, Fœderum, Statutorum, Contractuumqve inter privatos; *Octava* Militarium; *Nona* Libertorum & Officiorum Domûs Augustæ; *Decima* Ordinum, Collegiorum, Corporum & qvarumvis Sodalitatum; *Undecima* Officiorum minorum, studiorum, artium & negotiationum; *Duodecima* Affectûs Parentum erga Liberos; *Decima tertia* Affectûs Liberorum erga Parentes; *Decima qvarta* Affectûs Conjugum; *Decima qvinta* Affectûs Fratrum Sororum-

Digitized by Google

tumqve; *Decima sexta* Gentilium, cognatorum, propinqvorum, hæredum, familiarium, amicorum, sodalium, benemeritorum, aliorumqve promiscua; *Decima septima* Singulariorum ab incertis; *Decima octava* Affectûs Dominorum erga Servos Libertosqve, & horum adversus illos; *Decima nona* Affectûs Libertorum & servorum inter se & suos; *Vigesima* Christianorum veteris Ecclesiæ Monumenta exhibet: qvibus *Appendix* subjecta est, eas Inscriptiones illustratas Commentario sistens, qvæ digestis jam Classibus cum superveniissent, suo loco reponi non potuere.

Absoluto & elaborato hunc in modum Syntagmate hoc, Autor congessit & elucubravit summo studio & industriâ incredibili EPONYMOLOGICON, qvod sive accessorium Operis hujus, & latè diffusus absolutissimus Index (in istius formam, qvi in Gruteriano Opere tertii & vigesimi locum implet) habeatur; sive novi & separati Operis appellationem sustineat, perfectam sanè expletamqve omnibus numeris & partibus *Cognominum Romanorum* notitiam suppeditabit. Qvamvis autem præcipuus scopus Operis hujus Romana sint, non ignobilem tamen ejus partem Græcorum etiam aliarumqve gentium, sed cumprimis Germanorum, faciunt Nomina propria: qvippe qvibus detritis, inqvinatis, disjectis & deflexis genuinam formam pristinamqve dignitatem & celebritatem reddidit, & Germanis Germanos restituit. Qvo studio non magis horum gloriæ qvàm utilitati publicæ prospexit, & inprimis Historiæ lucem prætulit. Nam cum Græci Latiniqve Scriptores multa de Germanis & exteris nationibus aliis, qvas communi Barbararum appellatione complectebantur, literis tradiderint, ignoratum tamen fuit hactenus, qvinam præclarè istas res gesserint; aut si non ignoratum id planè, confusè tamen & turbatè animo conceptũ est, dum vel discernendi conjuncti, vel discreti fuerunt conjungendi: pluribus seculis distantes ad eandem ætatẽ, ad diversas relati qvi eodẽ tempore vixerant: unus ineptâ distinctione multiplicatus, plures contra, velut à coqvo jura, in unũ confusi & permixti. Qvod qvantas in historiâ turbas excitet, soli ignorant, qvi ingentia solidæ historiarũ cognitionis commoda non intelligunt. Hæc verò omnia EPONYMOLOGICO isthoc ad liqvidum ab Autore perducta sunt: in qvo præterea infiniti Autorum loci emendati, Constitutionum in Theodosiano & Justinianéo Codicibus in- & subscriptiones

rectè constitutæ, abrupta & dispalata Legum fragmenta corporibus suis juncta: & qvicqvid veterum elegantiarum inconsulta, & superstitiosa librariorum correctio Scriptoribus eripuerat, maximam partem redditum est & restitutum. Qvi liber sanè eximius, multis vigiliis ab Autore elucubratus, publicâ luce omninò dignus est, eiqve fisletur, ubi fortunam *Syntagmatis* hujus, qvod præmitti par erat, experius fuerit secundam qvi excudi istud curavit. Nam utriqve Operi simul sumtûs impendere librariorum per Germaniam afflictæ res haud patiebantur. Igitur ipsas Inscriptiones earumqve Syntagma, qvod GRUTERIANI OPERIS SUPPLEMENTUM ET COMMENTARIUS dici potest, præmittere voluit Bibliopola, qvi in possessionem Manuscripti utriusqve Operis post Autoris obitum (qvi placidus Septuagenario d. XVI. Kal. Mart. Anno M. DCLXVII. obtigit) pervenit: constitutum habens, ubi avidos Antiqvitatis eruditæ amatores intellexerit, EPONYMOLOGICUM eidem prælo, qvod *Syntagma* hoc expressit, submittere & publici juris facere. Ut Monumentorum veterum curiosus indagator, postqvam è *Syntagmate* Victoris gentium Populi sacra & ceremonias addidicit; publica Imperatorum, Consulum, Ædilium, privatorum qvoqve hominum Opera perlustravit; Magistratuum in Urbe, provinciis, municipiis, coloniis, decoram seriem; accuratam Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum, Corporum enarrationem; Militiæ etiam gradûs; privatamqve pietatem & domesticos affectûs cognovit; in EPONYMOLOGICO, velut in atrium aliqvod nitidissimum delatus, circumstantes majores suos, vel gentis suæ proceres, qvorum Saxa antea perlustraverat, ipsâ vetustate venerandos intueatur, nominibus, tempore, scriptis gestisqve adeò succinctè collocatos, ut nunc demum ab hoc ordine, in qvem sollicita Reinesii eos coëgit industria, immortalitatem tot Nominibus, qvæ è monumentis vetustis produxit, promittere liceat. Frustra sanè speraverant mortales, saxorum perennitate prorogatum iri suum ad seras posteritatem nomen, ac memoriam sui marmorum beneficio in longum extendi posse: qvibus tamen & ipsis mortem infert ævi longinqva vetustas, qvod testantur tot truncæ statuæ, fatiscentes tabularum crustæ, semesa columnarum frusta, cipporum fragmina, & qvæ olim vias superbè prætexebant monumenta latè agris disjecta & obruta, aratris effossa sæpè, ruderibus involuta, atqve suo revulsa loco situ

musco-

muſcoqve obſita, obliterata, oblimata, cuneis diffiſſa, trita rotarum orbitis, fundamentis interdum ædificiorum adhibita, ſuggrundiorum ſtillicidiis, fluminum marginibus, viarum ſtratis, urbium purgamentis deſtinata, alieno ſepulchro illata, translata toties & jactata: Nulli pedes in frontem, nulli retrò, nusqvam ambitus & macelia: nihil ſicri & religioſi. Caſſa igitur nomina, & ignoti in ipsâ interdum patriâ tituli, peregrinaqve inſcriptio. Felici tamen induſtriâ REINESII ſuis plurima Manibus reddita ſunt, & ex ipſis Fragmentis Memoria eorum, qvibus poſita primùm fuerant, adſerta eſt: ut chartæ hæ ſaxeam iſtam perpetuitatem, materiæ vitio jam ſeneſcentem, novâ perennitate munire cenſendæ ſint;

Ecce vices rerum, tandem qvoqve ſaxa fatiſcunt,
Et manet æternum qvod levis aura movet.

EPIPHANII OPERA GRÆCO-LATINA, cum verſione & Animadverſionibus DION. PETAVII. Editio nova, Appendicibus *qvibusdam auctior.*

Coloniæ 1682. in fol. 2. Tomis.

Sumptibus Jerem. Schrey, & Henr. Joh. Meyeri.

CUm jamptidem in bibliopolarum tabernis, Gallorum æqvè, apud qvos prodierant, qvàm aliis, diſparuerint nec venalia ampliùs proſtent Epiphanii Græco-Latina, à doctiſſimo Societatis Jeſu Theologo *Dionyſio Petavio*, anno hujus ſeculi ſecundo & vigeſimo adornata & cum interpretatione novâ ac Animadverſionibus eruditis edita *Pariſiis* Opera, de bonis literis benè ſe merituros exiſtimârunt bibliopolæ, qvi *Lipſiæ* recudi ea curaverunt: ita qvidem ut nova hæc editio veterem planè referat, & plagulæ hujus novæ impreſſionis totidem plagulis prioris editionis reſpondeant; typorum verò Græcorum major adhibitus nitor, qvibusdam etiam acceſſionibus potior habenda ſit nova. Præmittitur enim *Vita Petavii*, qvam eleganti Oratione deprædicavit Henr. Valeſius, expoſuit etiam in Bibliothecâ Soc. Jeſu à Ribadeneirâ cœptâ, à Ph. Alegambe continuatâ, à ſe verò ad Annum usqve LXXVI. productâ Nath. Sotvellus. *Carmen* item præfixum habet, qvo mortem ejus proſecutus eſt Illuſtr.

Digitized by Google

Monasterienſis & Paderbornenſis Epiſcopus Ferdinandus Furſtenbergius. Sub unum qvoqve conſpectum omnia Petavii *Opera* juxta annorum ſeriem, qvibus ab ipſo ſcripta & emiſſa ſunt in publicum, digeſta ſiſtuntur. Animadverſionibus verò binæ ſubjiciuntur *Appendices*, pro iſtis vindicandis ab Autore doctiſſimo adverſus *Maturinum Simonium* Anno 1624. & *Claudium Salmaſium* Anno 1630. ſcriptæ, poſtqve editas Animadverſiones publici juris factæ. Ac poterat qvidem pluribus Acceſſionibus editio hæc nova augeri, ſi adjecta fuiſſent ſcripta iſta, ad explicationem & vindicationem nonnullorum Epiphanii locorum facientia, qvæ ſub *Antonii Kerkoetii* nomine adverſus Salmaſium, qvi *Franciſci Franci* nomen ſibi ſumſerat, in vulgus ſparſerat Petavius, amarulenta non minus qvàm erudita: ſed qvando iſtis nomen ſuum præſcribere noluit Autor, ea Animadverſionibus his annectere veritus eſt, qvi editionis Epiphanianæ curam Lipſiæ geſſit.

HISTORIA CRITICA VET. TESTAMENTI, ſive Hiſtoria Textûs Hebraici à Moſe ad noſtra uſque tempora,

Autore R. P. RICHARDO SIMONE,

Presbytero Congregat. Oratoriæ.

E Gallico in Latinum verſa

à

NATALI ALBERTO de VERSE

S. Theol. & Medic. Doct.

Amſtelodami, Juxta Exemplar impreſſum Pariſiis 1681. 4to.

Est hoc novum Hiſtoriæ Criticæ opus, Gallico idiomate ab Autore ſuo primùm editum Pariſiis 1678. in genere curioſum admodum & ſummæ eruditionis Scriptum, ſingularia plurima in Textum Hebræorum Vet. Teſt. & præcipuas Verſiones tum à Judæis tum à Chriſtianis editas complectens: qvod Latio donatum, cum aliqvâ Præ-

Præmonitione ad Lectorem, publici juris denuo facere nullus dubitavit Interpres doctissimus, innumerarum illius observationum singularissimarum rationem potiùs habens, qvàm aliarum qvarundam ex illo contra Fontium authoritatem eruendarum consequentiarum, qvas nec Autor ipse admittat, & adversùs qvas nemo non Eruditorum se facilè præmunire possit. Nos, qvod nostri instituti est, hic agemus, hoc est, *scopum* & *summam* illius Historiæ Criticæ historicè edisseremus, ut qvod inde sibi qvis polliceri possit, intelligat, judicium erudito lectori, & accuratum ejus examen aliis, qvorum hoc est studium, committentes; ad qvod etiam Vir Clarissimus *Ezechiel Spanhemius* in Literis ad Amicum die 10. Decembr. 1678. Gallicè scriptis, & Amstelodami anno 1679. à Daniele Elzivirio, qvanqvam suppresso Autoris nomine, editis, jam viam stravisse videtur.

De *SCOPO ET CONSILIO* totius operis tum rectè judicabis, *si qvid Autorem ad scribendum impulerit, qveis adminiculis in usum advocatis, & cui Hypothesi potissimùm innixus novam illam Criticam concinnárit*, ex ejus Præfatione & primo Historiæ hujus Capite, nobis præeuntibus, observaveris. Scribit nempe Autor in Præfatione, se dum Critica in Scripturam aliorum opera legeret, & in proprium suum usum vitia eorum annotaret, comperisse, neminem hactenus penitus Criticam Scripturæ novisse aut investigasse, neminem non juxta sua præjudicia eâ de re disseruisse. Judæos verbi gratiâ non alios Autores, qvàm suos, consuluisse, ac miratos esse, qvæ neqvaqvam intelligebant: inter Christianos autem plerosqve Patres adeò in gratiam veterum Ecclesiæ Versionum præjudicio laborasse, ut planè Textum Hebraicum negligerent: defuisse qvoqve illis multa ad perfectam Scripturæ Crisin instituendam: modernos qvod spectat, seu Catholicos, seu Protestantes, neminem non præjudicio laborasse, ambos *Buxtorfios* nil fermè aliud in plerisqve suis operibus, nisi immodicum erga Rabbinos studium, neglectis aliis Autoribus prodidisse: contrà *Morinum* adversùs illos, etiam anteqvam legisset, odio affectum fuisse, dumqve meliores Ecclesiæ versiones propugnare studet, undecunqve argumenta collegisse, qvibus Bibliorum originalia evertat: plus certè judicii in *Ludovici Capelli* Critica elucere, sed & illum, cum varias tantùm lectiones conqvirere satageret, nimis eas multiplicasse: Se verò in hac Historiâ multa proferre, qvibus plurimæ Lectionum varie-

varietates explicari possent absqve eo, qvod illis in locis hallucinatos fuisse Exscriptores dicamus: posuisse qvoqve *Capellum* & retulisse in numerum Variarum Lectionum manifestissimos Exscriptorum errores, qvi qvidem juxta probatiores Codices emendari potuissent: postremò non satis autoritatis Masoræ tribuisse: etsi enim Autores ejus infallibiles minimè fuerint, non omninò tamen spernendam aut rejiciendam hoc nomine, qvòd ejus autores Judæi sint, qvos, cum de lectionis usu agitur, consulendos esse ipsa ratio svadeat: non impedire tamen ista aut similia apud *Capellum* observata vitia, qvominus ejus Critica cæteris omnibus anteponatur. Et hujus adeò laudati scriptoris exemplo se motum fatetur Autor, ut Historiam hanc Criticam Biblici textûs & præcipuarum Versionum, tum à Judæis, tum Christianis editarum, componeret. Cum verò *Capellus* se multas alias Varias Lectiones ob MSS. Codicum penuriam adnotare non potuisse conqveratur, huic defectui se obviam iviſſe scribit Noster, conqvisitis, & undiqvaqve sibi multis egregiis Codicibus, qvos diligenter qvidem inspexerit, comparatis: illorum Codicum ope Regulas dedisse, qvibus errorum & vitiorum, qvæ in Textum Exscriptorum negligentiâ invecta sunt, originem invenias, ut hoc pacto Germana Biblici textûs lectio commodiùs restitueretur: ex illis quoqve bonos & legitimos Codices Hebraicos à malis & corruptis discernere ut possis, ejus rei gratiâ plurimorum examen instituisse, in qvibus qvid desideret, qvid probet, annotarit. Deinde qvia Judæi *Masoretæ* multas, ceu scribit, in textum Hebraicum immutationes intulere, horum qvoqve Criticam multis prætermissis Autoribus, qvi de illâ ex privatis præjudiciis, vel ex aliorum sensu judicârunt, apud Masoretas ipsos legisse, imò cum attentione perlegisse, & æqvum se iis ubiqve judicem, qvantum licuit, præstitisse profitetur; mediam sic qvasi viam amplectens tum inter illos, qvi Masoram contemnunt, aut cum *Isaaco Vossio* prorsus improbant & rejiciunt, qvòd non permultas ex illâ Regulas ad LXX Interpretum & veterum aliorum versionis defensionem hauriri posse animadverterunt, tum inter hos, qvi eam infallibilem censent, qvia, ut ille scribit, non satis accuratè versiones, qvæ Masoram antecesserunt, expendere. Masoram enim seu Traditionem nunqvam adeò modum legendi textum fixisse & sanxisse, qvin qvòd pro temporum & locorum circumstantiis lectio variaverit, ostendi possit.

posſit. Ut ergo modum illum, qvi ad inveniendam veritatem reqvi-ritur, præ cæteris omnibus, qvi circa hoc negotium occupati fue-runt, ſervaret, id qvantum fieri potuit, præſtare ſe conatum fuiſſe dicit, ſuam hinc Hebræo originali, ſuam illinc Verſionibus veteribus autoritatem illibatam conſervando; nec in gratiam Græcæ Lingvæ, nec Latinæ, nec Hebraicæ, nec alterius præjudicio ſe affectum ſincerè teſtando, tantummodo accuratè juxta ordinarias Criticæ Regulas & Textum ipſum, & ejus Verſiones expendendo, & variis annotatis Lectionibus oſtendendo, qvo pacto hodiernorum Codicum menda & vitia caſtigari poſſint. De cætero nihil fermè ſibi defuiſſe ſcribit ad hoc opus omni ex parte abſolvendum: nam & penes ſe diu fuiſſe innumeros Libros ab Oriente allatos, & jam in Bibliotheca PP. Oratorii Domini JESU extantes: otium præterea abunde adfuiſſe, imò Amicorum ſuorum ope plurimos ſe Eruditos in dubiis hinc inde ſubortis conſuluiſſe.

Hypotheſis in hoc Opere potiſſimùm regnans eſt de Bibliorum Hebræorum Auctoribus, qvos certi generis Scribas fuiſſe ſtatuit; qvi jam inde à Moſe tempore apud Hebræos extiterint, & qvamdiu illorum Respublica ſtetit, ſingula hujus Reipublicæ ſuæ Acta ſummâ fide collegerint, inqve publicis & ad id deſtinatis monumentis aſſervarint. Hos cum *Joſepho* & pleriſqve Patribus Prophetas nominat, qvia ſc. Dei ſpiritu afflati fuere, & Scripturam omnem Prophetiæ nomine donat *Petrus Apoſtolus*. Eosdem etiam Scribas, ab ipſa Scriptura, vel publicos Exſcriptores vult appellari, ut hoc pacto eos diſcriminet à reliqvis aliis Scriptoribus, qvi pro affectu & præjudicio ſuorum temporum Annales ſcribere ſolent. Tales Scribas fuiſſe dicit, *Samuelem*, *Nathanem*, *Gadum*, *Abiam* & aliqvot alios, qvi ſuorum temporum Annales ſcripſerant, è qvibus non minima Librorum Biblicorum pars, utpote Judicum, Regum, Chronicorum & Paralipomenon concinnata ſit. Juxta hanc ſuam hypotheſin ſolvi ait multa qvæ in Pentateucho exiſtunt, & videntur ſimul ſupponere, Moſen ipſorum Autorem non fuiſſe. Nimirum qvicqvid in Libris illis Hiſtoriam ſpectat, Scribis adſcrit de *Moſe* in tertia perſona loqventibus, & ſimilia non pauca habentibus, qvorum Moſes Autor eſſe neqveat: vicissim qvicqvid ad leges & jura pertinet, ipſi *Moſi* vindicat, & hac ratione totum Pentateuchum, *Moſis* eſſe jure merito affirmari

posse putat: qvoniam illius Scriptores *Mosis* tempore vixerint, & non nisi jussu *Mosis* illum conscripserint. Ex eadem hypothesi solidas rationes se reddere posse dicit, cur tot in Scripturis additiones & immutationes, qvas alioqvi nullo pacto explicaveris, hodie deprehendamus: si nempe observetur, hos Prophetas seu publicos Scribas pro suo officio non tantùm suorum Acta temporum collegisse, sed & aliqvando Actis à prædecessoribus suis collectis, iisqve vel addendo, vel detrahendo, & immutando, prout expedire judicabant Ecclesiæ tum temporis, novam formam induxisse, illibatâ interim S. Literarum autoritate; qvandoqvidem illarum mutationum Autores Viri Prophetæ ac cœlitus afflati essent, ut proinde, qvæ ipsi immutarent, parem cum reliqvis non possent non habere autoritatem. Multum pariter hac sua hypothesi juvari scribit explicationem innumerarum Qvæstionum circa Chronologiam & Genealogias. Si semel enim recipias, hosce Libros prolixiorum Instrumentorum compendia, tantùm esse, & populo tradita solùm fuisse, qvæ illi erudiendo idonea magis judicata sunt, per se patere dicit, relatas ibi Genealogias immediatas non esse, nec certum & infallibilem juxta eosdem libros Chronologiam componi posse, qvandoqvidem res gestæ non semper, qvo tempore evenêre, referantur, sed sæpe plura acta simul conjuncta fuerint, dum in Epitomen redigerentur, & Lector simul ad eadem illa Acta, prout in archivis prolixè continebantur, remitteretur. Isto qvoqve pacto *Spinosæ* argumentis ex hisce Scripturæ immutationibus & enantiophaniis ad ejus autoritatem infringendam ductis, qvasi nil istæ divini haberent, respondet, ac illorum simul audaciam retundere satagit, qvi Sacrorum Librorum Autores in iis tantùm, qvæ ad fidem pertinent, à Deo inspiratos fuisse, contendunt, cætera non magis pro divinis habenda esse, qvàm cuncta illa, qvæ Viri pii ac religiosi scribere solent. Cum enim periculosa hæc valde sententia videatur, & Novo Testamento in Scriptura Veteris nil non Propheticum & Divinum agnoscenti diametraliter sit opposita, talem se scribit hypothesin constituisse, qva viris Divinis & Prophetis adscribantur omnia in Sacris Literis comprehensa, iis saltem mutationibus exceptis, qvæ lapsu temporis & Exscriptorum incuriâ & oscitantiâ contigere. Nam præter istas immutationes, ab iis qvi cum autoritate Bibliorum Breviaria scripserunt factas, plures adhuc alias agnoscit Autor, qvas non

ipsis

Digitized by Google

ipſis Sactorum Librorum Autoribus, ſed potiùs communi veterum omnium Librorum fato, aut ſi vis infortunio imputandas eſſe dicit, confirmans hanc ſuam ſententiam ex modo, qvo olim Libri in parvis membranis ſcribi ſolebant, qvæ aliæ ſuper alias circa lignum aliqvod convolvebantur, nec inter ſe conſuebantur. Sic enim accidiſſe ſcribit, ut non ſatis accuratè voluminum illorum ordine ſervato, rerum ipſarum diſpoſitio & ordo pluribus in locis immutatus fuerit. Et magnas illas, ut ipſi videntur, mutationes, qvas Bibliorum codicibus contigiſſe oſtendit, ex qvo prima Originalia periere, Proteſtantium, ipſorumqve Socinianorum, qvi hodiernos illos Codices Hebræos conſulunt, ſententiam funditùs convellere putat, cum tantum abſit, ut ad Controverſias dirimendas compendioſior & tutior methodus Scriptura exiſtimari debeat, ut econtra in hac ſua Hiſtoria oſtenderit, ſi qvidem juris norma à norma facti ſeparetur i. e. cum Scriptura Traditionem conjungas, nihil ferè certi in Religione futurum eſſe, nec divino Verbo fieri iujuriam, cum illi Eccleſiæ Traditio conjungatur: Eundem enim, qvi nos ad S. Literas amandat, ad Eccleſiam qvoqve ſuam, cui ſacrum hoc depoſitum concredidit, nos amandare.

Hæc *de Scopo & Conſilio Auctoris* dicta ſunto; ſeqvitur nunc *ſumma totius Operis* in tres Libros diviſi, qvorum *PRIMUS* unum & triginta capita complectens ſat multa habet de Sacrorum Librorum Autoribus, de Prophetarum apud Hebræos munere ac poteſtate libris ſacris addendi, detrahendi, de origine mutationum aliqvot in Textu Biblico, eorundemve actorum in aliis & aliis ſcripturæ Libris cum varietatibus aliqvot repetitorum cauſis, de mutationibus, qvæ in Libros ſacros irrepſere, præſertim poſt Captivitatem Babylonicam, ex Rabbinorum & Patrum ſententia, de modo qvo Bibliorum breviarium factum. His ita Cap. I. II. III. & IV. pertractatis, mox cap. V. & VI. probationes & argumenta ſubjungit Autor additionum & aliarum immutationum, qvæ Scripturis, & in ſpecie Pentateucho contigere. Variis item exemplis oſtendit, Moſen omnium planè qvæ in Libris ab ejus nomine dictis extant, autorem eſſe non poſſe, additis reſponſionibus ad Judæorum hic contradicentiũ objectiones, cum novis in eorum opinionem argumentis. Cap. VII. modum exponit, qvo libri legis ſcripti fuerint: Hinc Libros Patriarchis ante *Moſen*

adscriptos recensèt, Sabbaitarum etiam, sive Veterum Chaldæorum Historiam tradit. Cap. IIX. de aliis Scripturæ Libris differit, qvorum collectionem ad magnam sub *Ezdra* Synagogam referunt: Hujus Synagogæ examen, & cujusqve libri Scripturæ in specie suscipit. Cap. IX. Librorum sacræ Scripturæ generalem Divisionem tradit, Judæos & Christianos Autores inter se hac de re conciliat: qvo sensu Judæi *Danielem* Prophetam esse negent, explicat, & hac in parte à Christianis non dissentire docet. Cap. X. XI. XII. XIII. contra *R. Joseph Albo* pro lege Mosis nunqvam corruptâ pugnantem disputans, ex PentateuchoSamaritano probari posse negat, etiamnum hodie superesse priscum Librorum Mosis apographum: Inde Textum Hebræo-Samaritanum in particulari sub examen vocat, nec Judaico præferendum monet, diversisqve variarum Lectionum exemplis cum observationibus in eundem additis, de Characteribus Samaritanis, eorumqve origine, & convenientia cum Phœniciis literis, ex aliqvot Græcorum Patrum testimoniis ritè explicatis, de Codicibus Samaritanis, deqve litera *Thav* eruditè disserit. Cap. XIV. XV. de Lingva Hebræa qværit, an prima lingvarum? & qvomodo primùm inventæ literæ? Post variarum hac de re sententiarum conciliationem accuratiùs, qvomodo inventæ sint lingvæ, exponit, factâ hìc eruditâ de Origine Lingvarum digressione. Cap. XVI. & XVII. qvis status Hebræi textus à reditûs ex Captivitate Babylonica tempore, qvis ætate Jesu Christi, & initio Christianæ Religionis, qvis tempore *Philonis* & *Josephi* fuerit, exponit: ibi de Secta *Sadducæorum* universas Scripturas admittentium, & Codice Hebræo à LXX. Interpretibus usurpato; hìc de *Josepho* minùs accurato Scripturæ tractatore, ac subsecutorum Judæorum majore diligentiâ ex occasione Religionis Christianæ natâ Lectorem informans. Cap. XIIX. & XIX. contra *Morinum* & *Vossium* calamum stringit, ac Judæos sacros libros non depravasse ostendit: addita Patrum, maximè *Origenis* & *Hieronymi*, de Textu Hebraico & LXX virali versione, sententiæ explicatione, morem scribendi hisce duobus Scriptoribus solennem pluribus exponit, cum observationibus aliis non passim obviis. Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. statum Hebraici textûs in primis Christianismi seculis ubertûs pandit: varias Scripturæ lectiones in Thalmude occurrentes, cum diversitate Codicum, qvibus Synagogæ utuntur, & qvibus privati,

Digitized by Google

vati, notat: Regulas ad discernendum probatos Textûs Hebraici Manuscriptos Codices à pravis tradit: aliqvot Manuscriptorum examen singulare instituit: nec non peculiares observationes in omnes Manuscriptos Biblici Textûs Codices subjicit, ac tandem originem variantium lectionum à varia scribendi codices ratione ortarum prodit. Cap. XXIV. & XXV. de *Masora* qvid statuendum sit, variis Judæorum & Christianorũ hac de re opinionibus præmissis, edocet: accuratiorem Masoræ expositionem instituit; utiles Regulas, qvas complectitur, eruit: unde, & qvomodo Veteres Scripturæ Interpretes excusari ac defendi possint, ostendit: partiũ etiam, qvibus constat Masora, explicationem cum Criticis in hanc rem observationibus subjicit. Cap. XXVII. XXIIX & XXIX. de punctorum Vocalium & Accentuum hodiernorum autoritate, origine, de versuum item hodierni textûs Hebraici distinctione & aliqvot aliis ejusdem Textus distinctionibus qvid sentiendum, multis in rem istam communicatis observationibus exponit, & *Caraitas*, peculiarem Gentis Hebrææ Sectam, non minùs ac reliqvos Judæos, viginti qvatuor Scripturæ libros cum Puncto-vocalibus & accentibus admittere docet. Deniqve primum hunc librum c. XXX & XXXI. Grammaticorum Hebræorum Historiâ finit, in qva Grammaticæ Hebrææ originem & progressum narrat, & hinc textus ac lingvæ Hebraicæ incertitudinem demonstrare satagit.

Criticæ hujus *LIBER SECUNDUS* præcipuarum Scripturæ Versionum à Judæis & Christianis editarum Historiam complectitur. Illas omnes examinat, & qvid in qvaqve vituperet, qvid probet, studiosè aperit Simonius. Post generalem doctrinam de Bibliorum Versionibus Cap. I. propositam, præ cæteris omnibus Græcam Versionem LXX. Interpretum & ejus authoritatem per aliqvot Capita expendit. Nam ubi Cap. II. Historiam *Aristeæ*, & aliqvot alios ea de re scriptos Libros supposititios sub examen revocavit, & solam Mosis legem primùm Græcè redditam esse docuit, appellationis item rationem, cur LXX viralis dicta fuerit, enucleavit; Cap. IV. non modò varias hujus Versionis Editiones recenset, sed & explicationem Tetraplorum, Hexaplorum, & Octaplorum *Origenis* cum Criticis animadversionibus subjicit, ac versionis ipsius cum textu Hebræo collationem, variarumqve illius editionum ad se invicem

comparationem instituit. His ita præmissis varias Variorum sententias, maximè *Isaaci Vossii* opinionem discutere, & contra ipsum Cap. IV. nec textum Hebræum à Judæis depravatum, nec ejus Chronologiâ Chronologiam LXX. Interpretum meliorem esse ostendere instituit. Inde suo de hac versione judicio expositio, Cap. V. VI. VII. examen singulare locorum textûs Hebraici aliter, qvam nunc redditur, ab ipsis redditi, suscipit, ac tandem Cap. IIX. adversus alios non eâ lingvæ Hebrææ notitiâ instructos, ut judicium de hisce Interpretibus rectè ferrent, certis adhibitis Regulis, qvoad loca plurima defendit. Hîc obiter notandum, *Isaacum Vossium* sententiæ suæ tenacissimum ad Objectiones *P. Simonii* statim Responsionem adornasse, qvam libro de Sibyllinis Oraculis Oxoniæ 1679. edito subjecit. Et cum totus controversiæ status versetur circa LXX. Interpretes, primo *Argumenta*, qvibus ad elevandum horum Interpretum versionem in hoc libri secundi principio utitur Simonius, breviter perpendit: Deinde *Loca* persequitur, qvæ vel malè, vel saltem non satis commodè à LXX. versâ fuisse Interpretibus existimat: Deniqve *Rationes* discutit qvæ videntur movisse Adversarium, ut novam instituendam putârit versionem exactè cum Hebræo congruentem Codice. De cætero laudat moderationem Autoris, qvod Versionem hanc magni faciat, nec cum iis sentiat, qvi illam ex officina Sathanæ prodiisse affirmant, ac si ea, qvam & Christus & Apostoli nobis reliqverunt & commendarunt, Scriptura autorem possit habere Diabolum. Sed è diverticulo in viam, & ad ipsum Simonium est redeundum, qvi jam porro Cap. IX. & X. de aliis Scripturæ Græcis Versionibus, qvarum tantummodo supersunt fragmenta, præcipuè de ea, qva Samaritani sunt usi, disserit, & an præter indicatas adhuc aliæ extiterint Græcæ Versiones? an nomine LXX Interpretum plures & variæ? an *Origenes*, *Pamphilus*, *Eusebius*, *Lucianus*, *Hesychius*, *Apollinaris* novas Scripturæ Interpretationes composuerint? doctè disqvirit, ac novas in Hexapla *Origenis* observationes addit. A Cap. XI. ad XIV. de priscis Scripturæ Versionibus, qveis olim Ecclesia Occidentalis utebatur, inprimis de Vulgata hodierna ejusqve Autore operosè agit; mox aliqvot istius Versionis Capitibus juxta Criticæ leges examinatis, generales animadversiones suggerit, qvibus Hieronymiana vertendi methodus penitius innotescat: sed & Vulgatam cum LXX virali confert

iis

Digitized by Google

iis in libris, de qvibus conſtat illam *Hieronymi* eſſe, variis annexis Regulis pro defenſione Vulgatæ exſtructis, idqve pluribus in locis: imò qvo ſenſu hæc verſio à Synodo Tridentinâ definita ſit *autentica* exponit, nec illam eſſe verum ac genuinum Scripturæ fontem ingenuè oſtendit, multis in hanc rem adductis obſervationibus criticis. Cap. XV. & XVI. verſionum à *Syris*, *Arabibus*, *Coptis*, *Æthiopibus*, *Armenis* editarum Hiſtoriam abſolvit. Inde ad Judæorum Verſiones ſeu Paraphraſes pedem promovens Cap. XVII. qværit, utrum *Helleniſtæ* in ſuis ſynagogis ſolam LXX. viralem Verſionem legerint? & qvinam Helleniſtæ iſti? & qvomodo ad proprium uſum Verſionem pòſt LXX. adſcriptam concinnarint? de Verſione item Samaritana & ejus Verſionis latina interpretatione diſpicit. Hinc ubi Cap. XIX. Paraphraſium Chaldaicarum incertitudinem originis cum modo, qvo confectæ fuerint, expoſuit, de lingva etiam Chaldaica, deqve harum Paraphraſium ſtyli diverſitate lectu digna protulit, qvin & punctuationis Chaldaicæ Reformatione Buxtorffiana rejecta, litem de iſtarum utilitate vel damno Paraphraſium magna cum contentione agitatam diremit: Cap. XIX. ad alias Bibliorum Verſiones ſive Paraphraſes à Judæis profectas in variis lingvis, *Arabica*, *Perſica*, *Hiſpanica*, & *Græca* vulgari accedit, & Criticas obſervationes in easdem illas lingvas, maximè verò in *Græcam* hodie vulgarem ſubjungit. In ſex ultimis Capitibus à XX ad XXVII. de recentioribus Chriſtianorum Verſionibus, primò latinis, deinde vulgaris lingvæ, tum Catholicis tum Proteſtanticis, *Anglorum*, *Belgarum*, ac præſertim de *Lutheri* Verſione Germanica, deqve *Gallicis* Proteſtantium Scripturæ Verſionibus Critico more agit.

Sed, qvia plena periculi res foret, morbos aperire, nec remedia adhibere, fuse ſic recenſitis plerarumqve Verſionum bonis malisve qvalitatibus, *LIBRI TERTII* initio, Cap. sc. I. & II. methodum monſtrat, qva purior & exactior, qvam unqvam antea, Verſio concinnari valeat. Cum autem hîc permultæ qvidem magnæqve occurrant difficultates, has nihilominus Cap. III. & IV. juxta præſcriptas à ſe Regulas ſuperari poſſe oſtendit. Hujus novæ ſuæ Verſionis occaſione præcipuorum Authorum interpretandi methodos examinat, primò Judæorum Cap. V. maximè *R. Moſis Maimonidis* & aliorum Rabbinorum Cap. VI. & VII. (ubi multa ſimul jucundæ tra-

tradit de Rabbinorum lectione in sua ipsorum Lingva) deinde priscorum Patrum, *Augustini* Cap. IIX. *Origenis*, *Hieronymi* Cap. IX. multorum aliorum, Cap. X. deniqve recentioris ævi Doctorum, qvi in Scripturam notas aut commentarios scripsere, sive Catholicorum Cap. XI. & XII. sive Protestantium Cap. XIII. XIV. XV. sive Socinianorum Cap. XVI. ut sic uno intuitu, qvomodo & qvam variè tum Judaica, tum Christiana Ecclesia Scripturam interpretata fuerit, videre qveas. Et qvo is labor majorem adhuc utilitatem adferat, multis regulis & observationibus ad rectè Scripturas interpretandum hinc inde propositis, Cap. XVII. utilium aliqvot Librorum ad intelligentiam Scripturæ facientium Crisin suscipit: qvin & judicium suum de aliqvot aliis Scriptoribus, qvi opera Critica in Scripturam composuere, sive Catholicis, ut *Jo. Morino*, Cap. XIIX. sive Protestantibus, ut *Ludovico Capello* Cap. XIX. & XX. exponit, ac tandem in fine hujus libri à Cap. XXI. ad XXIV. in Polyglottæ Anglicanæ Prolegomena, qvæ *Brianus Walto* sedecim sermonibus complexus est, censoriam virgulam exercet.

Ad Calcem Operis duplicem Catalogum adposuit, unum præcipuarum Scripturæ tam Hebraicæ, qvàm in varias lingvas translatæ, sive à Judæis, sive à Christianis profectarum Editionum, cum innumeris in qvamqve Editionem & Versionem Criticis animadversionibus: Alterum Autorum Judæorum & aliorum minus obviorum Scriptorum qvi passim in Historia hac Critica citantur.

ANDREÆ ACOLUTHI, Uratisl.

מי המרים המארירים

De Aqvis Amaris & maledictionem inferentibus,

Num. V. 11. seq. descriptis *philologema.*

Lipsiæ Typis Justini Brand. 1682. in 4to.

QVamvis hæc materia à Clar. Wagenseilio in Sota jam præoccupata videretur, aliâ tamen methodo eandem persqvi & post messem spicilegium instituere Autori, novum industriæ suæ specimen post *Obadiam Armenum* edituro placuit. Sic autem procedit, ut primùm (Cap. 1.) tremendæ hujus sanctionis cum præcedentibus & seqventibus cohærentiam ostendat. Deinde (Cap. 2.) Hebraicarum vocum,

Digitized by Google

vocum, qvibus dissertationis hujus frontem insignivit, constructionem, originem, significationem & emphasin evolvat, tùm rem ipsam aggrediatur & (Cap. 3.) totam rationem, qva uxores Zelotypis maritis de adulterio suspectæ per aqvas à Sacerdotibus propinatas probandæ fuerint, secundùm omnes causas & circumstantias exponat, & tandem in recensendis allegoriis & abusibus (Cap. 4.) occupetur, id ubiqve agens ut Sacros Fontes, qvorum ductum seqvitur, cum Interpretum rivulis studiosè conferat, & qvantopere in Orientalium Lingvarum studio excolendo & abstrusis Judæorum sacris eruendis versatus fuerit ostendat.

A Nevv Digester or Engine, for softaing Bones, Containing the Description of its Make and Use in Cookery, Voyages at Sea, Confectionary, Making of Drinks, Chymistry, and Dying &c.

By *Denys Papin*, M. D. Fellow of the Royal Society,

London. 1681. in 4to.

i. e.

Novus Digestor aut Machina pro emolliendis Ossibus, continens hujus delineationem seu parandi modum cum usu in re Coqvinaria, navigationibus, arte condiendi, potionibus conficiendis, Chymiâ, & arte tinctoriâ, per *Dionysium Papinum*, M. D. & Regiæ Societatis Socium.

Londini 1681. in 4to.

POstqvam *Nobilissimus Boyle* in Experimentorum Physico-Mechanicorum Continuatione secunda Artic. 19. *Experim.* 4. 5. & 6. singularem ad ossium usqve emollitionem coqvendi carnes modum, in vase cochleâ obturato & MB. cochleâ pariter firmato adornandum, suppeditaverat, sine instrumentorum tamen necessariorum horumqve usus declaratione, præsens scriptum Autor publici juris fecit, Novumqve Digestorem seu Coqvum appellavit, qvod per compressionem

nem aqvæ & aëris, intra vasa concluſi, Elixationes, Digeſtiones ſeu Macerationes, fermentationes, ac deſtillationes variarum rerum, & inter has oſſium duriorum emollitionem, perficere doceat.

TAB. VI. Inſtrumenta proin his finibus accommodata in ſex figuris exhibet, qvarum 1. & 2. illa delineat, qvorum uſus generalis magis, 3. 4. 5. & 6. verò, qvæ deſtillationibus ac arti tinctoriæ præprimis ſunt accommodata. Scilicet, in *Fig.* 1. AA. Lebetem deſignat æneum, in fundo clauſum, in ſummo II apertum : qvi inſtar MB aqvam continet & igni immediatè exponitur.

BB. Hujus lebetis operculum, ejusdem cum illo figuræ & capacitatis,

CC. Lebetis Anſulas,

DD. DD. Duo ferramenta, alterâ ſui extremitate anſulas C. C, altera Repagulum EE excipientia,

EE. Repagulum, foraminibus ferramentorum D. D. trajectum, qvod tolli & adaptari poteſt, ubi pro rei exigentiâ aut aperienda aut occludenda fuerit Machina.

FF. Duas Cochleas, qvæ foraminibus Repaguli EE trajectæ capitellum BA & receptaculum AA firmiter combinant.

HH Tubum ſeu canalem, operculo BB aptatum & obturaculo P. muniendum : Cujus canalis uſus eſt, partim ut aqva, commiſſis jam machinæ partibus, infundi, partim ut preſſuræ aëris interni gradus, per elevationem variam obturaculi P. accuratiùs dignoſci poſſint.

II. Commiſſuram lebetis AA & BB.

LM. Baculum ferreum, eminentiæ L. Q. infixum, qvi, cum à pondere N, extremitati ejus appenſo deprimitur, reprimendo obturaculum P. compreſſionem aëris interni moderatur.

OO Anguſtiorem canalem, obvolutum cannabe & rubo HH ita impactum, ut aliqva extremitate ſua aqvæ incluſæ immerſus aliqvid humiditatis hinc ad P. deriver, qvò hoc ipſum charta obvolutum & leviter humectatum, orificium tubi HH exactius claudat.

Figura 2. Vas GG exhibet, deſcripto lebete anguſtius, ex vitro, ſtanno ſimilive materia conflatum, coqvenda, digerenda, ac deſtillanda immediatè excipiens, operimento & cochlea ſuâ occludendum, ac Machinæ AA. BB, immittendum. Lebetem ergo AA BB furno ſchymico usqve ad anſulas CC. imponit autor noſter, ignem firma-

Digitized by Google


Digitized by Google

TAB.
Anatum





Fig 4



E. Andr. Sonn fec.

Digitized by Google

VI. ad
182 Pag. 106.



Digitized by Google

Digitized by Google

firmatis probè cochleis carbonum opeſubdit, & hunc pro operationis conditione moderatur.

Figura 3. Craticulam ſeu ſepimentum BB delineat, fulcris AAA & manubrio CC. inſtructum, qvod vaſi BB imponitnr pro deſtillandis concretis excipiendis ac continendis.

Fig. 4. Vaſa AA & GG figuræ circularis tradit, qvorum una extremitas materiam deſtillandam continens, igni; altera, vapores excipiens, pro faciliore horum condenſatione, aqvæ frigidæ imponitur.

In *Figura* 5. pro commodiore deſtillatione delineatur Vas GG. extremitate ſua II lebetem AA ſuperans, qvod materia deſtillanda replendum, ejusqve aperturæ II operculum profundius, pro vaporibus excipiendis & condenſandis adaptandum, ita tamen ut lebes atqve vas internum ferrumine invicem exactè conjungantur, ne aqva in Spatio TTTT contenta effluat, machinæ autem canalis HH loco ponderis cochleâ firmetur. Machina hæc ferreis duobus fulcris KRRR eo imponitur fine, ut mediantibus anſulis C. C. in æqvilibrio circiter hærens inverti, pro immittenda & eximenda materia deſtillandâ, ſine ſui apertura facili negotio qveat. Ignis machinæ AA mediante ignitabulo huic accommodato admovetur. Qvoniam verò Tinctor qvidam vas internum GG ſcopo ſuo minus neceſſarium judicaverat,

Fig. 6. externæ machinæ AA orificium H anguſtius parandum eſſe Noſter arbitratur, admittendis tamen inſimul pannis tingendis proportionatum.

Atqve hæc de Inſtrumentorum apparatu, iisqve utendi modo: emolumenta eorundem qvod ſpectat, docet Idem (1) hac ratione paucis carbonibus, v. g. VI aut VII unciarum, brevi temporis ſpatio, carnes, cuniculum, columbas, piſces, legumina &c. imò vetuſtiorum animalium, v. g. vaccarum, carnes duriores ac ipſa oſſa ad mollitiem decentem atqve gratam percoqvi poſſe, ita qvidem, ut, juſtô qvamvis coqvantur diutiùs, haud tamen adeò facilè adurantur.

(2) Gelatinas breviori manu & in majore copia, ex ſolidiſſimis etiam, v. g. bubulis & ovillis, oſſibus parari poſſe; ſiqvidem per hanc encheiriſin oſſa ſui ponderis duplum aut triplum; Cornua cervi qvintuplum gelatinæ exhibeant, illudqve in ſubſtantiam caſeo, qvem Parmeſan appellant, mollitie & ſapore non diſſimilem con-

vertant. Sicut autem virtutem singularem nutriendi, & humorum acrimoniam, ex sale conditis & fumo induratis carnibus contractam, corrigendi gelatinis cunctis, hac potissimùm ratione præparatis, inesse supponit : ita hoc experimenti genus navigantibus præprimis proficuum commendat, & præterea eandem gelatam substantiam vitris, vasis Sinensibus, & fragmentis eboris, succini &c. conglutinandis vel redintegrandis egregiè inservire, expertus testatur.

Nec (3) dulciariis similisqve artis hominibus machinam hanc inutilem futuram credit, partim ad fructus commodiùs & sine notabili corrugatione exsiccandos; partim ad eosdem in succo proprio, cum & sine saccharo condiendos & conservandos, diversisqve experimentis probabile negotium reddit.

(4) Fructuum succos eadem ratione in potus & vina svavissima, interveniente fermentatione, posse converti : qvæ non adeò facilè acescant ac corrumpantur, nec tormina & flatus gignant, nec caput petant, summè tamen confortent ac nutriant.

(5) Pariter hac encheirisi Extractiones Chymicas facilitari valdè atqve juvari statuit, præsertim ejusmodi parandæ si tincturæ sunt, qvarum confectio aliàs difficilior observatur, v. g. Tinctura salis tartari, & succini : qvam utramqve brevi temporis spatio efficaciorem & saturatiorem, prioremqve lixiviosam magis, ac intra mensem vulgaris digestionis ope evadere potuisset, hâc effectam viâ se degustasse perhibet. Destillationibus verò, qvæ mediantibus descriptis vasibus adornantur, hoc tribuit commodi, qvod partim faciliores sint, qvippe per descensum factæ ; partim nihil substantiæ destillandæ perdant. Destillationibus tamen hisce potissimùm accommodatam & fig. 5. delineatam machinam, pisturæ qvoqve, per carbones fossiles administrandæ, inservire conjicit.

(6) Tinctoribus inter alios effectus hanc ex lebetibus descriptis utilitatem promittit, qvod diu satis materia tinctilis ac panni tingendi, in calore etiam intensiore, sine sui tamen destructione in iis conserventur, & particularum volatilium exhalationes impediantur ; unde effici observat, ut ejusmodi qvoqve succi, v. g. prunorum, qvorum aliàs viscositas facit qvò minus in corpora tingenda penitiùs insinuare se possint, ad hoc præstandum qvam aptissimi reddantur.

Tandem Experimentorum illorum, qvæ in durioribus corporibus

Digitized by Google

TAB. VII. ad A. 1682.
pag 109.

Eclipsis lunæ le
Anno 1682
obsc

Fig. 1.

Phases decrescentis ad totalem.
obscurationem usq.
21 Jan. vesp.

talis ... cum mora
die 21 Febr.
vata
N.J

Fig. 2.

Hevelii. Phases Crescentis à recuperatione Luminis ad finem Eclipsis.

22. Febr. mane.

E. Hadley sculs. Sculpsit 1675.

Digitized by Google

Digitized by Google

tibus, v. g. Succino, Ebore &c. emolliendis obſervavit, varios ſucceſſus refert; & inter hos, qvod Gummi Copal eqvidem faciliùs, nullo verò caloris gradu ſuccinum, ſine particularum integralium ſeceſſu, nec cornu bovinum per ſe, nec ebur, ullo liqvore affuſo, emollire potuerit; idem tamen cornu bovinum, & chelonium cum aqva cocta ad flexibilitatem & mollitiem egregiam perduxerit, qvam ipſam non niſi poſt triduum aut qvatriduum depoſuerint, qvamqve adeo variis exinde parandis utenſilibus credit inſervire. Ne autem impenſæ, ad machinam hanc parandam neceſſariæ, emolumentum inde expectandum videantur ſuperare, ſupputationem & collationem hujus illarumqve ſub finem ſcripti annectit, cum paucis adhuc notis, uſum machinæ commodiorem concernentibus.

Eclipſis Lunæ Totalis cum morâ, Anno 1682, die 21 & 22 Febr. veſp. & manè ſt. n. *obſervata* GEDANI *à* JOH. HEVELIO.

Tab. VII.

Temp. ſec. hor. ambulator. Hor. / //	Ordo Phaſium.	Digiti Ecliptici	Per qvas maculas tranſiverint Umbræ ſectionis, & qvæ inſuper notata & obſervata fuerint.	Tempus ex Altit. Correct. Hor. / //
8 41 18			Altitudo Palilicii 39° 53′	8 40 46
8 44 9			Eadem altitudo 39 27	8 44 20
8 48 14			Denuò repetita 39 0	8 47 59
10 8 20			Initium penumbræ dilutiſſimæ	10 9 0
10 12 50			Penumbra denſior	10 13 20
10 19 5			Penumbra adhuc craſſior	10 19 36
10 23 50			Penumbra denſiſſima	10 24 24
10 24 30			Initium Eclipſeos circa 125° limbi, in 95° ſc. à puncto ſuperioris lineæ perpendicularis Nonageſimi, ortum verſus contigit.	10 25 5

Temp. sec. hor. ambulator. Hor. / //	Ordo Phasium.	Digiti Ecliptici	Per qvas Maculas transiverint Umbræ sectionis, & qvæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altitud. Correct. Hor. / //
10 29 45	1	1¼ digit.	Incedebat per Montem Germanicianum, ad mare Syrticum & Montem Acabe.	10 30 30
10 32 13	2	2. ferè	Per Montem Porphyriten, loca paludosa Inf. Cercinnæ, Sinum Syrticum, per M. Sacrum & M. Casium.	10 32 50
10 36 30	3	2½ ferè.	Ad M. Baronium, Inf. Æthusam, per medium Sin. Syrbonis, & M. Pharan.	10 37 10
10 43 25	4	3⅝	Per Sinum Apollinis, M. Ætnam, Inf. Letoam, ad Inf. Didymam.	10 44 10
10 47 25	5	4⅛ dig.	Ad Inf. Majorcam, Vulcaniam, Lemnos Carpathos, & M. Horeb.	10 48 15
10 52 20	6	5¾	Ad Lacum nigrum Majorem, per M. Argentarium, Sipylum, Masicytum, Tabor, Sinai, & desertum Raphidim.	10 53 10
10 55 45	7	6½	Per Scopulos hyperboreos, Inf. Besbicum, M. Olympum, Didymum, & M. Antilibanum.	10 56 40
11 0 33	8	7¾ dig.	Ad Inf. Cyaneam, M. Horminium, Montes Uxii, & M. Coibacaranos.	11 1 30
11 4 30	9	8½	Per M. Ambonum, ad I. Apolloniam, & Sin. Athenienſem, Per M. Moschū, Uxii & Coibacaranos.	11 5 30
11 9 59	10	9¼	Per Lacum Hyperboreum superiorem, Pal. Byces, Per M. Herculis, & Sinum extremum Ponti.	11 10 55
11 13 30	11	10. digit.	Per Lac. hyperb. infer. M. Cimmerium, & ad S. infer. Maris Caspii.	11 14 27
11 16 30	12	10½ ferè.	Per M. Riphæos, P. Mœotidem, Inf. Alopeciam. ad Inf. majorem Maris Caspii, per Montem Nerosum.	11 17 17

Temp.

Temp. sec. hor. ambulator. Hor. / //	Ordo Phasium.	Digiti Ecliptici	Per qvas Maculas transiverint Umbræ sectionis, & qvæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. Correct. Hor. / /
11 19 10	13	11¼	Ad Ripam Paludis Mœotidis & Mont. Hippoci.	11 20 10
11 22 0	14	11½	Per M. Alaunum, & lacum occident. minorem.	11 23 0
11 26 30		12 digit	Totalis obscuratio circa 297° limbi, in 94°sc.à puncto super. lineæ perpendic. Nonagesimi ortum versus deprehensa.	11 27 30
11 35 36			Altitudo Pollucis 52° 13′	11 37 4
11 37 35			Eadem Altitudo 52 0	11 38 42
11 38 50			Rursus repetita 51 42	11 39 35
12 58 20	die 22 Febr. mane		Recuperatio luminis, circa 118° limbi, in 88° sc. à puncto Superiori lineæ perpendicularis Nonagesimi occasum versus extitit.	1 0 8
1 0 40	15	¼ digit.	Ad M. Alabastrinum, Pentadactylum, Audum & P. Maræotidem.	1 2 31
1 3 35	16	1¼	Per M. Porphyritem, ad Mar. Syrticum, & per Mont. Eoum.	1 5 32
1 8 10	17	2 ferè.	Per M. Baronium, Loca Paludosa Inf. Cercin. inter Mare Syrticum & Ægyptiacum ad Sinum Syrbonis.	1 10 13
1 11 48	18	2½ dig.	Per Sinum Apollinis, Inf. Taraciniæ, I. Æthusam, Sinumqve Syrbonis.	1 13 54
1 16 20	19	3¼	Ad Inf. Majoream, per M. Ætnam, M. Neptunum, Zachyntum, Inf. Letoam, Inf. Didymam & M. Lyon.	1 18 33
1 20 50	20	4½ dig.	Ad Inf. Corsicam, per Inf. Vulcaniam & Carpathos, ad Mare Mortuum, per desertum Sin.	1 23 6

Temp.

Digitized by Google

Temp. sec. hor. ābul. Hor. / //	Ordo Phasium.	Digiti Ecliptici	Per qvas Maculas transiverint Umbræ sectiones, & qvæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. Correct. Hor. / //
1 24 39	21	5 1/4 dig.	Ad M. Argentarium, Mare Pamphilium, Inf. Cyprum, per M. Horminium.	1 27 0
1 26 15	22	6 ferè	Per M. Apenninum, ad Lac. Trasimenum, ad M. Sipylū, per M. inf. Libanū.	1 28 40
1 28 32	23	6 1/2	Ad M. Carpathos, per Inf. Besbicum, M. Olympū, Didymū & M. Dalangueros.	1 31 0
1 31 12	24	7 1/4 dig.	Per M. Peuce, Byzantium, ad M. Horminium, & per M. Antitaurum.	1 33 44
1 35 59	25	8 1/4	Per Sin. Circinitem, Inf. Macram, Inf. Apolloniam, Medium Montem Moschum, atqve Montes Sogdianos.	1 38 37
1 39 33	26	9 dig.	Per lacum hyperb. inferiorē, Pal. Byces, M. Strobilum, per Sin. extremum Ponti ac M. Paropamisum.	1 42 15
1 41 45	27	9 3/8 dig.	Inter Palud. Byces, & Lac. Coroconda-metis, per M. Herculis, & Montem Caucasum inferiorem. (rosum.	1 44 30
1 44 19	28	10	Per M. Cimmeriū, M. Tancon, & M. Ne-	1 47 9
1 47 20	29	10 1/2	Per Paludē Mœotidē, Inf. minorē Maris Caspii, Montemq; Nerosum superiorē.	1 50 14
1 51 44	30	11 paull. plus.	Per M. Alaunum, M. Sanctum, Montesqve Hippoci.	1 54 42
1 56 12		12 digit.	Finis circa 294° limbi, in 97. sc. gradu à puncto superiori lineæ perpendicularis Nonagesimi occasū versus corrigit.	1 59 17
1 57 10			Densissima Penumbra.	2 0 17
2 1 15			Satis adhuc crassa.	2 4 27
2 2 30			Paullò dilutior	2 5 45
2 10 20			Penumbra dilutissima.	2 13 42
2 12 [illegible]			Finis Penumbræ.	2 15 0
2 [illegible]			Altitudo Pollucis 29° 12′	2 19 7
2 17 [illegible]			Eadem Altitudo 28 46	2 22 8

Ani-

Animadvertenda

In Eclipsi Anno 1682, die 21 & 22 Febr. GEDANI *observatâ.*

CUm Tabulæ Rudolphinæ bene notabilem hâc die Eclipsin,& qvidem totalem cum morâ ostenderent, qvales exqvisitè observare rarò aliàs contingit: proinde summâ alacritate ad illam ex meâ rursus, DEI Benignitate, erectâ Speculâ, attendi; præprimis cùm cœlum omnino sudum extiterit, ut qvævis exoptatissima, hoc in parte, mihi pollicerer. Totam igitur diem 21 Febr. impendi, partim ut horologia ad Sciatericum lineæ Meridianæ applicatum dirigerem, atqve sic omnia parata haberem, qvæ ad ejus generis observationes reqvirunturur.

Ingruente Eclipsi Umbra erat valde diluta, limbusqve ejus qvasi anfractuosus, & minimè terminatus, sic ut difficulter admodùm ab initio phases determinari potuerint, nec accuratè distingvi, per qvas Maculas umbra transibat: successu tamen temporis, crescente Eclipsi, distinctius omnia deprehendebantur. Color ab initio videbatur satis tristis, obscurus, & fuliginosus, ac si hæc Eclipsis, eâdem ratione, circa maximam obscurationem, ut illa Anno 1642 Mens. April. adeò sese obumbratam sistere vellet, qvò vix conspiceretur; sed res planè aliter cecidit, siqvidem Luna cùm jam omninò esset eclipsata, totus tamen ejus discus satis clarè in oculos incurrebat: color namqve ejus tum omninò rubidus sive sangvineus, aut rubiginosus erat, qvi eousqve perseverabat, donec Luna ad medietatem lumen suam recuperasset, atqve tum rursus satis obscura & fuliginosa apparuit; adeò ut omnium optimè phases omnes, per qvas nimirùm Maculas Umbra transierit, annotatæ fuerint. In summâ, hujus Eclipseos observatio ex voto nobis succesit; non solùm enim Initium & Finem, sed etiam ipsum momentum Totalis obscurationis, & Recuperationis luminis, cum 30. phasibus (qvòd rarò admodum contingit) diligentissimè mihi deprehendere cœlum indulsit. Per qvas verò Maculas Umbræ sectiones incesserint, tum qvid amplius notatu dignum, sub tempore Eclipseos

extiterit, ex ipsâ observatione atqve delineationibus ad oculum clarè patet, non minùs ex subsequenti Tabella, qvousqve Calculus Rudolphinus ab hâc observatione, atqve sic ab ipso cœlo discedat.

	Ex calculo Rudolphino. Hor. / //	Ex Observatione. Hor. / //	Differentia. / //
Initium Eclipseos	10 13 33	10 25 5	11 32 Tardiùs
Totalis Obscuratio	11 10 11	11 27 30	17 19 Tardiùs
Maxima Obscuratio	0 5 43	0 13 49	8 6 Tardiùs
Recuperatio luminis	1 1 15	1 0 8	1 7 Citius
Finis Eclipseos	1 57 53	1 59 17	1 24 Tardiùs
Duratio total. obsc.	1 51 4	1 32 38	18 26 brevior
Tota duratio Eclipseos.	3 44 20	3 34 12	10 8 brevior

Eadem ECLIPSIS *observata* LIPSIÆ.

Temp. sec. horolog. ambulat. Hor. /	Altitudines. G. /	Tempus correctum H. / //	
8. 35	36. 0	8. 16. 32	Altitudo Reguli. dub.
9. 8½	40. 20	8. 49. 48	Altitudo Palilicii.
9. 13	39. 32	8. 55. 40	Eadem altitudo.
9. 49	15. 30	9. 34. 0	Altitudo Arcturi. Penumbræ vestigiū.
9. 52		9. 37. 0	Penumbra.
9. 58		9. 43. 0	Penumbra.
10. 6½	18. 22	9. 52. 44	Altitudo Arcturi.
10. 10	18 56	9. 56. 28	Altitudo denuò capta,
10. 15		10. 1. 0	Initium æstimatum, aut Penumb. dens.

Tem-

Temp. sec. horolog. ambulat. H. /	Altitudines. G. /	Tempus correctum. H. / //	
10. 15½		10. 1. 30	Initium verum, in parte Africæ, prope montem Audum in mari Eoo.
10. 28	21. 48	10. 14. 56	Altitudo Arcturi.
10. 44	24. 8	10. 31. 0	Eadem altitudo.
10. 54	26. 0	10. 41. 56	Altitudo Arcturi.
10. 57	26. 20	10. 44. 4.	Eadem altitudo.
10. 59	26. 30	10. 45. 8	Rursus capta.
11. 3		10. 50. 0	Palus Mœotis obscurari incipiebat.
11. 5		10. 52. 0	Sectio umbræ per medium Palud. Mœot.
11. 11	28. 27	10. 57. 36	Altitudo Arcturi. Immersio in umbrâ.
12. 45½		12. 38. 0	Emersio ex umbrâ.
12. 47	43. 55	12. 39. 36	Altitudo Arcturi.
12. 51½		12. 44. 0	Palus Maræotis in medio inter umbram & marginem Lunæ.
12. 57		12. 49. 30	Mons Porphyrites in medio inter umbram & marginem Lunæ.
13. 2		12. 55. 0	Sinus Sirbonis totus ex umbrâ.
13. 5		12. 58. 0	Mons Ætna diametro sui ipsius ab umbrâ.
13. 10		13. 4. 0	Umbra per medium Montis Sinai.
13. 11		13. 5. 0	Mons Sinai totus ex umbrâ.
13. 12½		13. 6. 30	Mons Sinai diametro sui ipsius ab umbrâ.
13. 15	21. 54	13. 8. 50	Altitudo lucidæ Lyræ.
13. 17	22. 10	13. 11. 2	Eadem altitudo.
13. 31		13. 25. 0	Sectio umbræ per medium Paludis Mœotidis.

Temp. sec. horolog. ambulat. Hor. /	Altitudines. G. /	Tempus correctum. Hor. / "	
13. 35		13. 29. 0	Palus Mœotis tota ex umbrâ.
13. 39 3/4	..	13. 34. 0	Finis Eclipseos, prope Insulam majorem in mari Caspio, ubi Hippoci montes sunt.
13. 44	25. 47	13. 38. 16	Altitudo lucidæ Lyræ.
13. 47	26. 13	13. 41. 28	Eadem altitudo.
13. 53 1/2	27. 10	13. 48. 34	Rursus capta.

Fuit ergò	H.	/	"	Ex Tab. Riccioli H.	/	"
Initium Eclipseos	10.	1.	30.	9.	29.	53.
Immersio in Umbr.	10.	57.	30.	10.	29.	23.
Medium Eclipseos.	11.	47.	45.	11.	25.	4.
Emersio ex Umbrâ.	12.	38.	0.	12.	20.	45.
Finis Eclipseos.	13.	34.	0	13.	20.	15.
Digiti Eclipsati				21.	51.	0

Cometarum Natura, Motus & Origo, Secundùm JOH. HEVELII & P. PETITI Hypotheses declarata, à JOH. CHRISTOPHORO STURMIO, Math. & Phys. Prof.

Altdorfi in 4. 1681.

ARgumentum hoc, qvod seculo abhinc integro celeberrimorum Mathematicorum fatigavit ingenia, occasione nuperi Cometæ Anni 1680, ita sibi tractandum sumsit Auctor: ut expositis Cometarum sesqvisæculo abhinc accuratè observatorum phænomenis, Binam Hypothesin Cometarum, è Planetarum qvidem, & præcipuè Solis, effluviis in æthere fluidissimo genitorum, motuqve rectilineo aut parabo-

parabolico trajectorum, ad HEVELII; Mundo autem coævorum, & sub certâ periodo, circuli aut ellipseos lege, in conspectum redeuntium, PETITI, tanqvam præcipuorum harum Patronorum, placita dilucidè explicaret; suamqve tandem, utra phænomenis magis respondere, & qvid in unaqvâqve desiderari jure posse, sibi videretur, ἔνιξιν subnecteret.

Itaqve post phænomenon generalium contemplationem, ex institutâ Cometas inter & Novas stellas, circa inexpectatum exortum, frequentiam, durabilitatem, comparatione; conditâ durationis illorum, præcipuè novissimi (qvem matutinum primò, pòst vespertinum, & hîc, & in Epitrisi contra Dn. MONTANARIUM prolixiùs, pro eodem habet) historiâ; aliisqve circa apparitionis tempora, plurium concursum, vicinas Planetarum conjunctiones, adnotatis: specialiùs I Capitum seu Nucleorum Cometicorum magnitudinem, figuram, alterationes, incrementi & decrementi, colorumqve vices, locum in Universo, & species: II Caudarum situm ad Solem ejusqve vationem, longitudinem ac latitudinem, inflexionem, vibrationem, in ramos aut radios divisionem, colores &c. III Motum Com. duplicem, communem & proprium, & hunc sub circulo utplurimùm maximo, notatâ qvorundam, nuperrimi cumprimis, ab eò deflexione; ejus porrò inæqvalitatem, non tamen irregularem; varium per signa, in eodem diversisqve, incessum; arcûs in cœlo descripti qvantitatem; veri deniqve & apparentis motus similes, qvandoqve & contrarias vicissitudines, compendioso delectu habito, nec citra unius aut alterius censuram, è Cometarum historiâ recenset.

Juxta HEVELII deinde Hypothesin: Cometarum genesin, è probatis partim, partim suppositis Planetarum Atmosphæris, Maculasqve Solares inter & Cometas convenientiâ, ita describit, ut & phænomena supra memorata salvet singula; &, qvod palmarium, motum trajectorium, à principio ad usqve metam, non inconcinnâ ratione, è *Cometographiâ Cel.* HEVELII deducat.

Circa alteram: PETITUM, occasione Cometæ anni 1664, pensato regulari Cometarum motu, inductum statuisse, refert:

Cometas corporibus cœlestibus coævos, inter opaca & lucida medios, i.e. semilucidos, aut in circulo; sive toto extra sphæram Planetarum posito; sive, qvod probabilius, eandem totam, aut maximâ

parte, ambiente; aut (qvod retrogradatio Cometæ dicti ipsum, mutatâ priori sententiâ decernere docuerit) in ellipsi, circa perigeum saltim conspicuos, moveri. Unde, cum necessum sit, eosdem absolutâ periodo in conspectum denuò prodire: collato illo superiori, cum Cometâ Anni 1618; divisis etiam, juxta intervallum, qvod inter utrumqve est, annorum 46, anterioribus temporibus; qvia complures Cometas in confiniis hujus periodi historia memoret: verosimile esse, unum eundemqve diversis istis vicibus comparuisse. Ex qvo porrò & posteris, de reliqvorum periodis, & reditu determinandis, rationem aliqvando constituram.

Comam verò & Caudas ex effluviis æthereis generari: qvæ obviam Cometis facta, & ob peculiarem illorum fabricam circum ipsos collecta, dum sibi invicem cohærere connitantur, partim comam, partim appendicem caudiformem constituant, lumineqve mutuatio illustratam, utramqve Terris ostendant; Soli autem, velut expurgando ætheri, devoranda objiciantur.

In Epicrisi, commissis cum utrâqve Hypothesi argumentis, qvæ easdem aut fulciunt, aut premunt:

Cometarum perpetuitatem, cùm è manifestâ Caudarum à Sole dependentiâ; tùm præcipuè è mutationibus singularibus, & incrementis realibus ac evidentissimis corporis Cometici; ut & difficultatibus, concidendi motum, sive circularem sive ellipticum, cum phænomenis, rejicit: laudatâ interim non tantùm PETITI, sed & ex *Lubieniczio*, institutaqve consimili, inter Anni 1577 & 1680 Cometas comparatione, suppletâ & magis instructâ, revolutionis annorum 46 per complures Cometas deprehensæ, observatione.

Generationi verò HEVELIANÆ, tàm capitis qvàm caudæ cometicæ; motui item rectilineo, aut ab hoc non multum diverso, tanqvam maximis apparentium motuum anomaliis, ad causas opticas scitè reducendis, aptissimo, potiores defert: dilutis illis, qvibus PETITUS, è naturâ Macularum Solarium, generationis modum; & motum, rectæ tangentis hypothesi nixum, è dissensu observationum, oppugnaverat. Circa assignandas autem causas, qvibus, juxta HEVELII Hypothesin, Cometa ex orbe nativo rectâ lineâ ejiciatur; prope Solis porrò perpendiculum, nullo accedente novo impetu, motum intendat; ad sphæram deinde natalem retrahatur; toto verò cursu suo

ſuo planiorem diſci faciem Soli objiciat; circa nodos etiam, à Tellure ſive motâ ſive immotâ, nexos, uti plurima ſcitu digna diſcutit: ita omni parte abſolutam nobis nondum eſſe ſcientiam Cometicam concludit.

FRIDERICI SPANHEMII, F.

Specimen Strictturarum ad Libellum nuperum Epiſcopi Condomienſis, cum Præfationis ſupplemento. Accedit de Præſcriptionis Jure adverſus Novos Methodiſtas, Exercitatio Academica.

Lugduni Batav. in 8. Anno 1681.

COllectum hoc eſt Scriptum ex Diſputationibus ibidem habitis, (*in præfat. pag. 1. & de præſcript. pag. 119.*) adeòqve ex toto Polemicum, imò Elenchticum;

PRIMARIO contra *Expoſitionem Doctrinæ Catholicæ Jacobi Benigni Boſſveti*, Epiſcopi olim Condomienſis, pòſt Delphino Galliæ ab informatione, hodie Meldenſis Epiſcopi:

SECUNDARIO contra Præſcriptionem Novorum Methodiſtarum inter Romano-Catholicos, è qvibus Fratres Walenburgios impugnat cumprimis; qvâ in Appendice, de re nec novâ nec ignotâ, ulterius nihil eſt annotandum. Expoſitio verò Boſſveti primum edita fuit A. 1671, recentiſſimè iterum A. 1679 (apud *Spanhemium in Specimin. p. 107.*) ſcripta ad emollienda Catholicorum, qvæ Reformatis improbantur, dogmata, & qvidem non, ut Romano-Catholici & Reformati tolerent ſe mutuò; ſed ut hi ad illos reduci ſe patiantur. *Aliud enim (á Conciliatoribus,) illi inſtitutum, non doctrinæ ſuorum repurgandæ, verùm palliandæ modò, ac ſanctitati illius, etiam qvalis in Concilio Tridentino definita eſt, perſvadendæ Reformatis; Spanh. in præfat. p. 26.* In hunc finem decreta Concilii Tridentini paſſim inflectit; nonnunqvam etiam ab ipſis reverà diſcedit: contrà Spanhemii præcipuus labor, detegere has artes atqve declinare.

Boſſvetus Libellum ſuum (ſic *Spanhemius* ipſe *in Strictur. p. 29.*) duobus ferè partibus diſtinxit; qvarum prima *Generalis*, propoſitionem & hypotheſes; altera *Specialis*, ſingulorum Capitum declarationem com-

complexa. Hæc rursum orditur ab iis, qvæ ad *Cultum* pertinent; facto hinc transitu ad *doctrinæ* capita, de justificatione & annexis; tùm ad controversias *Sacramentarias*, in specie de Eucharistiâ, Transsubstantiatione, Missæ sacrificio, Communione sub unicâ; tandem ad Fidei principium, *Traditiones* seu Verbum non scriptum, hinc & *Ecclesiæ Autoritatem*. Ad calcem, subjunctâ paræneſi, leges præscribit cuicunqve suum hoc scriptum adorturo. Has binas decernit. Prima est, ne qvis *doctrinam eo comprehensam confutandam suscipiat*, aut ad *Theologorum* suorum Disputationes *expendat, qvi probandam explanandamve Tridentini Concilii doctrinam*, variis inde *argumentando deductis*, susceperunt. Altera, ut in arenam descensurus, probet Romanæ Ecclesiæ *fidem non esse hîc sincerè expositam*; aut eâ ipsâ expositione admissâ, *relinqvi qvæstiones integras & validas objectiones* nostratium; aut deniqve sic explicatam Tridentinorum doctrinam nihilominus *fidei fundamenta convellere*.

Duas etiam partes Refutationis suæ fecit Spanhemius; *Præfationem*, in qvâ excerpit nonnulla dogmata, qvæ refutet; & *Strictturas*, in qvibus κατὰ πόδα persequitur Adversarium, sed in primis Expositionis capitibus tantùm, è qvibus institutum ejus, methodum ac hypotheses eruit ac refellit; otium nimirum facientibus ipsi nonnullis Reformatis in Galliâ, qvi Animadversiones ad hoc Scriptum in lingvâ Gallicâ, translatas nuper in Belgicam, in lucem publicam jam tum emiserant; *præfat. pag. 1. & 2. & Scrictur. pag. 1.* Imò ne Rom. Cathol. qvidem hæc Expositio omnino placuit. Hinc Clemens X calculo eam suo probare noluit; nec Innocentius XI id fecit, *nisi tertio Pontificatûs sui anno labente*; permotus *crebrò Legati Gallicani comitio ac multâ persvasione plurimarum ex libello conversionum, miraq; propagationis orthodoxæ fidei; Spanh. in strictur. p. 112. 113.*

Notatu digna est ingenua Spanhemii Confessio

1.) De Syncretistis inter Reformatos, *in Strictur. Non omnibus promiscuè Lutheranis jus Communionis à Reformatis oblatum, non iis certè, qvi eandem horrent, qvinq; juxta cum Româ Pontificiâ hæreseos nos postulant & anathematismis feriunt; pag. 81: sed professis consensum mutuum, in necessariis Capitibus; Ubiqvitatis illo haud relato in fundamentalium censum; pag. 81.*

2.) De Lutheranorum cultu, *in qvo nihil idololatriæ, in qvo nihil super-*

Digitized by Google

superstitionis; quod Carentonensis Synodi assertum ille facit suum & prolixè probat ex doctrina & praxi nostra in S. Cœna; *ibid. pag. 91.*

SELEUCIDARUM IMPERIUM,
sive *Historia Regum Syriæ ad fidem Numismatum accommodata,*
per I. Foy-Vaillant Bellov. D. Med. & Regis Antiqvarium.
Lutetiæ Parisiorum, 1681. in 4.

QVam integro, coqve profundæ eruditionis libro ante annos aliqvot asseruit *Ezechiel Spanhemius* præstantiam ac usum Numismatum, tantum abest ut hoc tempore qvisqvam vocet in dubium, ut certatim velut ac æmulatione qvadam Historiæ ex Numismatibus illustrandæ Viri docti incumbant. Et Romanæ qvidem Historiæ qvanta lux ex Nummorum fide superiore nostroqve sæculo allata sit, Eruditissimorum virorum, *Hub. Goltzii, Carcli D. Arschotani, Gorlæi, Occonis, Erizzi, Urstisii, Augustini, Stradæ, Vici, Tristani, Oudart, Vaillantii, Patini, Oiselii*, pluriumqve aliorum commentarii publicè extantes, ignorare neminem patiuntur. Ast non omnem tamen nummariæ rei usum in Romana tantùm Historia spectari, sed latiùs multò patere, uti in aliis Eruditæ Antiqvitatis Historiæqve partibus explicandis non pauci dudum comprobârunt; qvorum catalogum in Bibliotheca nummaria *Phil. Labbeus* contexuit; ita nuper Parisiis Triumviri celeberrimi, *Molinetus, Fresneus, Vaillantius* illustribus exemplis confirmârunt. Nam anno 1679. *Summorum Pontificum Historiam* à Martino V. ante qvem nulla Romanorum Pontificum Numismata visa confitetur, ad Innocentium usqve XI. hodieqve superstitem, ex Nummis jussu eorum, aut in illorum honorem cusis illustratam, *Claudius du Molinet* Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ, in lucem dedit. Eodem anno *Carolus du Fresne, Dominus du cange*, Dissertationem *de Imperatorum Constantinopolitanorum*, seu de inferioris ævi vel imperii, ut vocant, *Numismatibus*, Glossario ad Scriptores mediæ & infimæ latinitatis subjunctam: anno 1680. verò justum *de Familiis Byzantinis* Commentarium edidit, eoqve & Historiam Byzantinam, Principumqve qvi Constantinopolitanum ante Turcas

Imperium tenuerunt, qvin & Dalmaticarum & Turcicarum qvarundam Familiarũ, Genealogias, ex Numiſmatibus, & viciſſim Numiſmata ex Annalium fide magno utiliſſimoqve ſtudio illuſtravit. Superiore deniqve anno 1681. *Seleucidarum ſeu Syriæ Regum* Hiſtoriam, ad eorum item Numiſmata accommodatam, Antiqvarius Regis Chriſtianiſſimi *I. Foy-Vaillantius*, idem qvi ann. 1674. Romanorum Imperatorum Numiſmata ediderat, publicæ luci expoſuit; Ptolemæorum etiam Ægypti Regum Hiſtoriam pari ſe ratione cum tempore adornaturum pollicitus.

De *Seleucidarum* verò illa *Hiſtoria* ut pro inſtituti ratione memorentur pauca, laudanda utiqve doctiſſimi Auctoris induſtria eſt, qvam in colligendis Regum illorum Numiſmatibus, maximam partem rariſſimis adhibuit, ut eorum ope integram Regum Syriæ à *Seleuco*, primo Regni poſt Alexandri M. obitum conditore, ad *Antiochum uſque XIII*, qvo pulſo in provinciæ formam Syria à Populo Romano Pompeji M. auſpiciis redacta eſt, poſtqvam CCXLIX. annis Seleucidæ eam tenuerant, ſeriem exhibere: tot præterea Reges cognomines, qvos Hiſtorici ludicris ſæpè & ad ignominiam compoſitis, in nummis verò nuſquam conſpicuis, appellationibus notârunt, accuratè diſtingvere: Chronologiam deniqve in Syriaca alioqvin Hiſtoria intricatiſſimam evolvere poſſet ac reſtituere. Qva in re adjutum ſe celeberrimorum Virorum, *Gvilhelmi Lamonii*, *Achillis Harlai*, *Petri Carcavii*, *Franciſci de la Chaize*, liberali opera, in præfatione Auctor honorifica ſingulorum cum mentione deprædicat. Præmittitur Operi primùm *Index Regum Syriæ*, qvorum fuêre viginti ſeptem: pòſt *Tabula Genealogica*, Seleucidarum Stemma exhibens: Deniqve *Canon Chronologicus*, qvo præcipuarum rerum geſtarum, juxta *annos Olympiadum*, *ante Chriſtum natum*, *Seleucidarum*, & ſingulorum *Syriæ Regum*, conſpectus ſiſtitur. In Opere ipſo illi plerumqve viæ inſiſtit Auctor, ut Regum geſta ex Scriptoribus antiqviſſimis recenſeat, ac dein ſubjungat eorum Numiſmata, æri eleganter inciſa, ac eruditè dilucidata; notatis etiam qvibusdam Auctorum recentiorum, *Huberti Goltzii* inprimis, erroribus. Ubi Lectori Chriſtiano voluptati haud dubiè erit, qvæ in *Machabæorum* libris traduntur, ex profanis Scriptoribus, Nummisqve antiqviſſimis ſuppleta hic ac explicata legere. Nec enim fallemur, ſi *Vaillantium*, dum Hiſtoriam Seleucidarum

cidarum componeret, doctissimum nobis in Machabæorum libros Commentarium dedisse dixerimus, collatis diligenti studio Auctorum celebriorum, *Polybii, Appiani, Justini, Diodori Siculi, Livii, Athenæi, Strabonis, Josephi, Nicolai Damasceni* aliorumqve monumentis. Subjiciuntur deniqve Operi tres Indices, primus Geographicus, Nominum alter ac rerum, tertius in Numismata, singulari industriâ compositi.

SAMUELIS RACHELII,

Institutionum Jurisprudentiæ Libri qvatuor, Jus universale & Romanum certâ methodo, & utriusq; Capita ex genuinis principiis exhibentes.

Kiliæ & Francofurti, 1681. in 4.

Secuti tùm variis in lucem editis φιλοσοφήμασιν aliisqve publici Juris Exercitationibus, tùm Extraordinariâ ad nupera Pacis Neomagensis Consilia Legatione, magnum sibi nomen comparavit eruditissimus Auctor: ita rem & Philosopho & JCto omnino dignam fecit hoc Institutionum opusculo in publicum emisso, non planè qvidem ad filum Justinianei, sed methodo nonnihil diversâ contexto. Scopum verò ad qvem utroqve oculo collineat, ipse in præfatione ad solidioris Jurisprudentiæ Studiosos in fronte libri præmissâ, prolixiùs exponit. Cùm enim qvatuor potissimùm causas corrupti hactenus, nec eò, qvò decuit, nitore exsplendescentis Juris studii, *Universalis* scilicet *Jurisprudentiæ cum singulari Romano Confusionē, Corporis Justinianei ἀμεθοδίᾳ, castioris Latii neglectum*, nec non *Philosophiæ Practicæ & Analytices contemptum* enumerasset, notatisqve variis inde natis incommodis ac erroribus, hunc præ cæteris, qvod in Practicis nulla detur Demonstratio, nec vera Juris Scientia, sed omnia sint in incerto, & JCti atqve Judices ex dubiâ & cum formidine oppositi luctante semper conscientia lites decidere possint, confutâsset, pressiùs paulò, qvid in Institutionibus hisce præstiterit exeqvitur, se id datâ operâ egisse scribens, ut non modò Jurisprudentiam Romanam Universali passim superstrueret, eumqve ordinem, qvem nemo πεπαιδευμένῳ reprehendere jure possit, eligeret, sed tyronibus qvoqve qvandam Juris nomenclaturam daret, arctamqve Practicæ Peripateticorum Philosophiæ,

(cui præ Carteſianâ & Hobbeſianâ Morali primas defert) & Juris-prudentiæ inter ſe neceſſitudinem, ac inſignem, ſi hæ conjungantur, utilitatem oſtenderet, nec non Demonſtrationum Practicarum viam atq; materiam ob oculos poneret. Hunc in finem ſe omnium rerum Definitiones, qvales qvidem natura earum permitteret, Cujacium in nonnullis ſecutum, concinnâſſe, his varias à qvatuor Cauſarum generibus petitas diviſiones, aliasqve univerſaliores & evidentes apprimè Juris regulas attexuiſſe, interdum verò axiomatum & hypotheſium locò admiſcuiſſe qvædam, qvæ methodo magis, qvàm demonſtrationi inſervirent: ſingulis demùm aphoriſmis uberiorem ἐξήγησιν ſubjeciſſe, ſicqve per omnia has inſtitutiones adornâſſe, ut tàm futuris aliqvando Anteceſſoribus, qvàm Togatis & forum ſectantibus uſui eſſe poſſent. Hujus itaqve inſtituti memor à generalioribus ad ſpecialiora ſemper progreditur, nec ſolùm theſes ſuas ex Ariſtotelis & Grotii doctrinis moralibus ad illuſtrandam Juris Romani, qvam mox ſubjungit, hypotheſin, & faciliorem ejus intellectum, confirmat; ſed etiam cognatas paſſim materias, qvæ aliàs partim in Pandectis & Codice, partim Jure Publico & Feudali tractari ſolent, convenientibus locis interſerit, potiſſimùm verò in tradendo Obligationum jure ita verſatur, ut cum multis in hôc doctrinæ genere occupatis de palmâ contendere videri poſſit. Qvibus omnibus cùm Saxonici qvoqve Juris placita tantùm non ubivis accedant, merentur omnino hæ Inſtitutiones Rachelianæ cupidæ legum Juventuti præ compluſculis aliis libellis Iſagogicis commendari.

CHRISTIANI MENZELII, Ph. & Med. D. Elect. Brand. Architatri

Index Nominum Plantarum multilingvis, Univerſalis. Berolini, 1682. fol.

CUm nullibi magis, ac Vegetabili in Regno, opes ſuas tantâ ubertate ac varietate depromere ſoleat Natura Parens Rerum, haud levis momenti negotium incumbit Botanicis, ut aptis nominibus partim tot Vegetabilium ſpecies, & unicuiqve multiplices differentias deſignent, partim certas in claſſes luxurioſam eorum multitudinem concinno ordine redigant. Poſterius hoc, Botanicis magis proprium, lauda-

laudabili conatu præ cæteris aggressi sunt *Bauhini, Cæsarus & Johannes*, Fratres, Medici Basileenses, haud rarò tamen sibi contrariantes, & qui omnibus hic palmam reddit dubiam *Rob. Morisonius*, Prof. Botanicus Oxonienſis. Prius verò istud, nominum scil. impositio, commune qvasi omnibus concessum videtur Privilegium; unde non solùm in qvavis lingva specialis plantas denominandi ratio notatur, sive ab Eruditis sive Plebejis profecta, sed etiam plura & distincta, haud rarò penitus diversa nomina, eidem simplici Plantæ in unâ eademqve lingvâ imposita fuerunt; id qvod in Latina præcipuè obtinet. Turbat ista nominum multiplex varietas non leviter Rei Herbariæ studioſos, & in Lectione Scriptorum, tam Latini, qvam cujusvis alterius idiomatis insigniter subinde eosdem remoratur, specialibus istis & propriis, iisqve variis plantarum Nominibus non æqve semper cognitis, nec ubivis obviis. Incommodis his medicinam afferre nititur Autor præsenti scripto, indicem Herbarum multilingvem, à filio ejus Exercitii Botanici causâ ex optimis Autoribus compilatum, sed ab ipso Parente adornatum ulterius & perfectum, comprehendente. Prostant in eodem nomina Plantarum, tot seculis in hunc usqve diem ab omnibus tanqvam usitatissima recepta, instar fasciculi in unum collecta, & juxta Alphabeti Latinorum seriem ordinata; Eaqve non solũ, qvæ in Latina, Græca, & Germanica Lingvâ usitatiora sunt, sed etiam, qvæ aliarum gentium, Europæarum inprimis, hinc & Asiaticarũ, Africanarum & Americanarum lingvis iisdem imposita observantur. Ut ita non solum cujusvis plantæ in qvavis Lingva appellatio uno qvasi intuitu pateat, sed etiam Lectori cuilibet in sua lingvâ evolvendi libros herbarios detur ansa, si qvid circa qvamlibet herbam ulterius scire desideret: adeò ut index hic minoris Lexici Botanici, nunqvam non amplificandi, cum indies in re Botanicâ suboriantur nova & addenda, tam verba sive nomina, qvàm subjecta sive res ipsæ, loco inservire qveat. Collecta fuerunt nomina ex qvibusvis Scriptoribus, tam superiorum qvàm hujus seculi, qvotqvot ad præsens institutum aliqvid conferre potuerunt, Botanographis pariter ac Medicis, qvàm Lexicographis, qvorum etiam genuina loca ubiqve citata prostant, ut ex amplo eorundem Catalogo, in & post præfationem conspiciendo, patet. Nec in solâ Nomenclatura hæsit autor, sed & species & differentias plantarum suis qvasi generibus subjunxit, & specialiores florum differentias, juxta ordinem colo-

rum in Iride cœlesti observabilium, disposuit, simulqve virtutes herbarum, parciùs licet, ex *Dioscoride* adjecit. Additur his in fine Pugillus plantarum rariorum cum figuris æneis, ab Autore in variis Europæ regionibus observatarum, nec ab aliis descriptarum, qvarum, ut & intextarum plantarum nonnullarum Brasiliæ, nondum editarum, ac qvarundam Breynii rariorum in *Fasciculi Rarior. Plantar. Prodromo* contentarum, indiculus, in calce operis accessit. Ubi Autor simul spem facit, edendi à se aliqvando *Theatri rerum Naturalium Brasiliæ, in IV. Volum. digesti*, continentis imagines qvadrupedum, aviū, piscium, & Plantarum Brasilienſium, jussu Principis Mauritii Nassovienſis in ipsâ Regione Brasiliâ qvondam depictas, indeqve in Europam transportatas, sed qvæ privatim in Bibliothecâ Elect. Brandenburgicâ hactenus asservatæ, publicæ luci nondum expositæ fuerunt.

OBSERVATIO CIRCA PROPORTIONEM partis purpureæ ac substantiæ seroso-gelatinosæ Sangvinis, intra vasa animalium fluctuantis.

MAssa Sangvinea tria involvit, serum aqveum, substantiam gelatinosam seu fibrosam, ac Tincturam rubicundam, i. e. sangvinem κατ' ἐξοχήν sic dictum. Qvoniam verò in Sangvine per Venæ sectionem educto & coagulato gelatinosa dicta portio partim tincturæ purpureæ intertexta est, & spissitudinem huic confert, partim à sero aqveo dissolvitur atqve diluitur, duplex tantùm, serosa sc. ac purpurea, substantia hactenus observata & credita fuit, donec sub medium præsentis seculi accuratius fluidi hujus animalis examen gelatinam illam nutritiam detegeret qvidem, qvalis tamen sit has inter sangvinis partes integrantes proportio, ulteriori investigationi destinaret. De sangvificationis proin organo ac modo aliqvando sollicitus ambigebam, aut potiùs augurabar, tantillum forsan Purpuræ sangvineæ esse, qvod tantas de sua causa efficiente atqve productionis ratione turbas & contentiones inter Anatomicos magnæ famæ excitasset, tantamqve viscerum ἀιματοποιητικῶν, sc. epatis, lienis, cordis &c. compagem ac ambitum postulasset. Porrò per microscopium in sangvine observabilium globulorum rubicundorum sero limpido innatantium molem

ubi

ubi cum ſeri mole comparabam, illam huic maximè diſparem & longè minorem dignoſcebam : qvia tamen multum adhuc gelatinoſæ ſubſtantiæ eosdem globulos purpureos implicare probabile, imò certiſſimum erat, ſolo oculo, qvantum Tincturæ rutilæ Liqvori Sangvinis vitali adhuc ſubeſſet, diſcernere ac determinare me poſſe haud præſumebam. Aſt aliis encheiriſibus in ſubſidium vocatis, in diverſis animalibus, diverſisqve pariter individuis humanis, deprehendi, qvod tincturæ hujus partem unam modò decem, modò undecim, modò plures, nunqvam pauciores, ſeri atqve gelatinæ partes comitentur : ultimum autem, qvod in ſangvine hominis optimè valentis hujus theoriæ causâ adornabam, experimentum erat ſeqvens. Uni nempe aqvæ calidæ Libræ tantum ſangvinis ex aperta vena profilientis influere permittebam, donec aqvam pondere Unciarum trium & drachmæ unius auctam, hinc tantundem ſangvinis ab illa abſorptum & dilutum fuiſſe, obſervabam. Solutio hæc filtrata, in filtro gelatinæ ſpiſſioris unciam dimidiam cum drachma una relinqvebat, dum ejus reliqvum leni deſtillatione ſubſtantiæ aqveæ libram unam cum Uncia una & drachmis ſex funderebat, remanentibus in fundo retortæ grumi ex rubro fulci drachmis duabus cum ſemiſſe, ita ut ſubſtantiæ aqveæ drachmæ tres cum dimidia vel à charta filtri hauſtæ fuiſſe, vel inter deſtillandum in auras exhalaſſe viderentur. Qvia tamen diverſus hujus cruoris color, qvem microſcopio adjutus conſpiciebam, aliqvid gelatinæ adhuc complecti cruorem evincebat, maſſulam iſtam, qvo gelatinam omnem eluerem, denuò cum aqva tepida macerabam, poſtmodum filtrabam : & poſt lenem exſiccationem grumi ejusdem ſeu tincturæ ſangvineæ drachmæ non niſi duæ cum granis tribus i. e. vix duodecima maſſæ ſangvineæ pars, reſtrabant, adeoqve exile admodum eſſe, qvod ſangvini ſpeciem atqve nomen dat, declarabant.

BENEDICTI PAULINI PETROCORII de Vitâ B. Martini Carminum Libri ſex, cum Franciſci Juretii Notis, Caſp. Barthii Animadverſionibus, & Jo. Fred. Gronovii Obſervationibus, editi à CHR. DAUMIO, qvi & ipſe Notas adjecit.

Lipſiæ apud Hæred. Frid. Lanckiſii 1681. in 8.

Trium

TRium Paulinorum ad nos veniſſe Poemata, qvibus aliqvis etiam qvartus adnumerari poſſit, Libro XIX. Adverſar. cap. 8. Caſpar Barthius monuit. Ex iſtis peculiari Commentario eum illuſtrandum hic ſibi ſumſerat, qvi *de Beati Martini Turonenſium Epiſcopi Vitâ*, qvam Sulpitius Severus, Venantius Fortunatus, & Gregorius Turonenſis etiam expoſuerunt, ſex Carminum Heroicorum libros, & bina poematia alia, reliqvit. Non *Aqvitanus* ille Nolæ Epiſcopus; (qvod perſvaſum vulgo erat, viſum etiam Jureto, qvi tamen ſententiam poſtea mutavit) verùm *Benedictus Petrocorius*, ſive ut alii, *Petricordius*; qvod Sirmondus, Labbeus & Barthius notarunt. Promiſerat autem poſtremus hic Paulinorum omnium editionem in Adverſariis, ſed qvam non dedit; Petrocorii ſaltem Martinianæ Vitæ libros Commentario illuſtravit, qvem ab Autore olim impetratum, ipſius etiam manu unà cum Textu & Jureti Notis conſcriptum, poſt ipſius obitum nactus V. CL. Chriſtianus Daumius nunc demum edidit. Qvo ſtudio de bonis literis optimè meritus eſt: nam præter *textum* Paulini, ſeorſim excuſum extra Bibliothecæ Patrum vaſta Volumina vix reperiendum, doctiſſimi Jureconſulti *Franc. Jureti* Notas, *Barthii* item antea nondum in publicum miſſas Animadverſiones, & *Gronovii* emendationes, ex ipſius Obſervatis in Scriptoribus Eccleſiaſticis depromptas, in libelli non magni modum coegit, ſubjectis Doctorum iſtorum Virorum commentationibus accuratis *Indicibus* & Notarum *Spicilegio*: in qvo, ubi Euchariſticon Paulini Pellæi, Auſonii Nepotis, illuſtrat, nævos proſaicos, qvibus tùm librariorum vitio, tùm autoris culpâ iſtud ſcatet, diſtinctè & eruditè perſeqvitur; ſimulqve aliorum Chriſtianorum poetarum in ſyllabis & numeris negligentiam, licentiamqve oſtendit. Opuſculo omnium Poetarum Chriſtianorum & eorum editionum præfixit *Syllabum*, cui præmittitur *Præfatio*, in qvâ *Gloſſarium* & *ſecundas curas* ſuas ad Paulinum hunc Petrocorium nos expectare jubet.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Maji, Anno M DC LXXXII.

JOHANNIS MABILLON,
Presbyteri ac Monachi Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri,
DE RE DIPLOMATICA LIBRI VI.
In quibus quicquid ad veterum Instrumentorum antiquitatem, materiam, scripturam, & stilum; quicquid ad Sigilla, monogrammata, subscriptiones, ac notas Chronologicas; quicquid inde ad Antiquariam, Historicam, Forensemque disciplinam pertinet, explicatur & illustratur, &c.

Lutetiæ Parisiorum 1681. in fol. chartæ Augustæ.

QVod si præclarè de Historiarum studio merentur, qvi varia Numismatum genera in apricum proferunt, velut certissimos Antiqvitatis testes; præferre eidem non parum qvoqve videntur lucis, qvorum labor priſca Regum & Principum Diplomata, ex intimis Archivorum recessibus depromta publico conspectui sistit: atqve ita sistit, ut rationem simul vera & genuina hoc in genere qvæ sunt, à falsis & suspectis discernendi subministret.

Nec aliud in præsenti lucubratione propositum sibi habuit Dn. MABILLON. Chartarum enim Veterum, qvæ per Galliam hinc inde è Monasteriorum Archivis ostenduntur, fidem Scriptores qvidam hujus temporis, qvorum nomina infra exprimuntur, in tantum elevaverant, ut *in toto Francorum Regno nullam omninò chartam reperiri* dicerent *sinceram atqve genuinam ante regnum primi Dagoberti; paucissimas autem sub illo atqve post illum usqve ad Reges secundæ stirpis scriptas haberi, qvæ vel autographæ dici mererentur, vel ex au-*

iographo fideliter desumta: Archivum præterea Dionysianum *in* eam suspicionem adduxerant, ac si nil nisi officina falsorum esset diplomatum, Pontificiorum ac Regiorum: imò, qvo nihil gravius videri ejusdem ordinis viro poterat, corruptionis hujus causam præcipuè in Monachos conjecerant: *qvi cùm vidissent à Potestatibus Secularibus undiqve accidi immunitates ac possessiones suas, non magno crimini sibi duxerint, pro ipsis tuendis fingere, qvæ in nullius cessura præjudicium, solùm videbantur conductum tuendæ æqvitati;* qvamvis largiantur *postea ad Clericos qvoqve mali exempli licentiam pertinuisse.* Istam igitur maculam qvo deleret Autor, qvóve pristino suo Diplomata nitori, &, qvâ pollere in judiciis debent autoritati, suæqve Cœnobia dignitati restitueret, Francorum Veterum, ut Pontificum nunc taceamus, monumenta Regum, primæ, & secundæ stirpis, ut & tertiæ usqve ad Ludovicum Sanctum (nam ut in hoc consisteret, nova vitro persvasit rerum facies) splendido hoc in opere, ex variis per universas Galliæ provincias Monasteriorum, Ecclesiarum, Cœnobiorum Grammatophylaciis & Bibliothecis eruenda, illustranda, ac vindicanda sibi duxit: idqve & summo studio, & animi stiliqve moderatione singulari.

Et qvamvis non defuisse fateatur, qvi varias sparsim regulas, ubi de singulari Instrumento agebatur, tradiderint; qvo nomine *Leonis Allatii* commendat *Animadversiones ad Fragmenta Antiquitatum Etruscarum*, nec non *Hermanni* nostri *Conringii Censurum Diplomatis Ludoviciani pro Cœnobio Lindaviensi;* neminem tamen ad hoc usqve tempus peculiari tractatione rem aggressum fuisse ante *Danielem Papebrochium S. J.* editis Antvverpiæ *Sanctorum Actis* Clarissimum Virum: qvi *in Propyleo ad Aprilis tomum secundum* datâ operâ discutiendam eam suscepterit anno MDCLXXV; tanto cum successu, ut eum, modò Archivorum tantum, qvantum Actorum suorum usum habuisset, omnium felicissimè hanc exornare spartam potuisse judicet. Qvo ipso salebrosi & asperi hujus itineris glaciem à Papebrochio fractam esse haud obscurè videtur innuere; utut regulis ab eodem constitutis non per omnia postmodùm consentiat, imò in plurimis locis easdem corrigat, ipsâ diplomatum inspectione aliud edoctus.

Tametsi verò totum Opus in Libros sex distingvitur, præcipuè tamen susceptæ rei summam Autor ipse exeqvitur primis tribus. Nam in *primo*

Digitized by Google

in *primo* de variis agit Diplomatum *generibus*, qvando chartarum alias Eccleſiaſticas, Regales alias, alias Pagenſes ſeu privatas facit, ad ſumma earundem capita cùm hic, tum alibi reſpiciens: tum de Diplomatum *Antiqvitate*; ubi adverſus laudatum Papebrochium contendit, 1. Privilegia Monaſteriis ſeu Eccleſiis Seculo ſeptimo imò & præcedenti à Romano Pontifice fuiſſe conceſſa; 2. Conſtare cùm ex Beda venerabili, tum ex aliis, Scripturam in transferendis prædiis eodem ævo uſurpatam apud Angloſaxones; 3. apud Gallos à Chlodoveo Magno, primo Chriſtiano Francorum Rege, ad ejusdem poſteros nullum ferè Francorum Regem exſtitiſſe, à qvo in Monaſteriorum gratiam condita Diplomata non fuerint, idqve ex Gregorio Turonenſi de primis Regibus conſtare. Æqvalem dein Chartarum privatarum ætatem ex veteribus demonſtrat Ripuariorum legibus, ex ſecundo Marculfi libro Pagenſes formulas complectente, tum ex Legis Romanæ ſeu Codicis Theodoſiani edictis, ex variis illius temporis exemplis, nec non ex donationibus, qvas à Seculo VI. Monaſteria obtinuerint, diverſisqve Regulæ S. Benedicti capitibus. Ad falſorum hinc originem delatus & variam Inſtrumentorum veterum fortunam, refutatâ rurſus Papebrochii ſententiâ, religionem Monachorum undecimi Seculi vindicat, potiſſimasqve Originalium corruptorum cauſſas explicat, caducitatem, jacturam, & dolum malum; qvæqve his opponi remedia poſſint.

In contemplatione *Materiæ* cùm In, tum Ex qvâ Diplomata reperiantur ſcripta, non deeſſe Scripturam obſervat, qvæ in ſaxis & lateribus, in arborum florumqve foliis, libris item arborum, hoc eſt, corticis interioribus tunicis; in tabellis ligneis, in cereis citreisqve pugillaribus, in libris elephantinis ſeu pugillaribus ex Ebore; in plumbeis lamellis, in linteis voluminibus, & Papyro Ægyptiacâ; in membranis, & vulgari chartâ noſtrâ; in corio, piſciumve pellibus, ac ſerpentum inteſtinis exarata olim fuerit & excepta. Imò fuiſſe, qvi ſuum ipſius aſſociis ſui naufragium in teſtudinis dorſo perſcripſerit. Ex hoc tamen materiarum cumulo qvinqve tantùm genera in qvæſtionem nunc adducit: chartam nempe membranaceam ſeu coriaceam, corticeam ex ligno, & papyro Ægyptiacâ, plumbeam, & noſtram communem. Et Ægyptiacæ qvidem chartæ uſum in Europâ, maximè in Galliâ, & Italiâ, longè poſt Chriſtum natum, imò ad Seculum usqve X.

viguisse, ex veterum Scriptorum non obscuris testimoniis evincit; ut Dionysiani Archivi diplomata hoc nomine, qvòd in cortice exarata sint, pro falsis haberi neqveant. Pro materiâ verò Ex qvâ scripta, non modò atramentum, sed & rubricam seu minium; qvo passim Imperatores Orientis usi, qvin & ex Carolinis Regibus nonnulli; liqvorem item aureum, & argenteum genuinis Diplomatibus fuisse docet.

A materiâ ad literarum ductum transit, & de *Scripturarum* varietate, de priscâ scil. Scripturâ Gallorum, Romanâ, (cujus tres numerantur species: pura, Semigothica, & minuta seu minutis literis constans) Runicâ, Longobardicâ, Francogallicâ seu Merovingicâ, Carolinâ; Germanorum, Anglosaxonum, aliisqve, nec non de Tironis compendiosis notis eo potissimùm disserit consilio modoqve, ut ex recitatis capitibus verorum semper discrimina à falsis colligat & ostendat.

Secundum Librum in Diplomatum Stilo, subscriptionibus, Sigillis, & Notis occupavit Chronologicis. Initio enim *stili* barbariem excusat vel eo nomine, qvod ex ruditate seculi & Notariorum imperitiâ partim, partim ex communi usu seu formulis usitatis, nec non ex Notariorum affectatione, imò ex Orthographia, literarum puta adjectione, detractione, immutatione, & transmutatione, qvandoqve provenerit. Jam in qvibus stilus consistat traditurus, uberius de Diplomatum agit inscriptione, de præmissâ Invocatione, de Titulis, qvos Romani Pontifices in suis, nec non Episcopi, Archiepiscopi, Abbates &c. adhibuerunt. Qvo loco observat inter cætera, qvod titulum, *Universalis*, seu *Catholicæ Ecclesiæ Pontifex* sive *Episcopus*, Johanni Constantinopolitano Episcopo abrogari voluerit Gregorius Magnus, nec ipsemet usurpare eum affectarit, ratus id præjudicare aliorum Episcoporum dignitati, coqve tendere, ut unus censeretur Ecclesiæ Episcopus, cæteri qvasi illius vicarii: qvodqve insequentes Romani Pontifices hoc qvidem nomine usi reperiantur, sed ad designandam suæ modò sedis præeminentiam; aut eo certè sensu, qvo Leo Magnus in Epistolâ ad Theodosium Augustum, *Papam Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ* se nominat, id est, Ecclesiæ Romanæ, qvæ Catholica est: & qvidem longè potiore jure, qvàm Armeni & qvidam Patres Asiatici, qvi propter Diœcesis suæ amplitudinem *Catholicos* se volebant appellari: Præterea, cùm *Papæ*, tum *Summi Pontificis* nomina & aliis à Romano Episcopis, & Archiepiscopis tributa fuisse qvondam; neminem tamen præter

Roma-

Romanum ea sibi arrogasse: nec deesse literas, in quarum inscriptione Pontifex suum nomen ejus ad quem scripsit nomini postposuerit ipse. Inde ad Francorum Regum de prima stirpe diplomata eorumque stilum reversus notat, titulum *Illustris* præ aliis iisdem placuisse, quòd Illustratus inter honoratorum gradus tres, *Illustrium*, *Clarissimorum*, *Spectabilium*, potior ac magis præcipuus haberetur: Tum quas Carolingi, Pippinus, Carolus Magnus Rex, idemque Imperator, Ludovicus Pius, & sequentes usque ad Ludovicum S. in literis suis initiales formulas usurparint, explicat: ut & illas, quæ Imperatoribus, Regibus Italiæ, Siciliæ, Angliæ, & Hispaniæ; quæque privatis pro vario Notariorum genio, apud Francos, Germanos, & Italos placuerunt. Ut omittamus, quæ porrò de vocabulis in Chartâ singularibus, cognominumque ratione & origine, de Diplomatum imprecationibus & pœnarum quatuor generibus in chartâ apponi solitis, hoc loco inseruntur.

Excussis quæ ad stilum pertinere videbantur, *Subscriptionum* & Sigillationum formulas persequitur, quis primus è Francorum Regibus Monogrammatis usum in regia diplomata invexerit, & quibus monogrammatis usi fuerint Pontifices, recensèt. Hinc de Cancellariorum subscriptionibus in regiis literis usitatis, eorumque, ut & Notariorum, & Archi-Capellanorum officio agit, adjecto Cancellariorum Franciæ Catalogo. Ad *Sigilla* veniens, anulorum primò signatoriorum usum tradit, materiam, & cælaturam, quodque Francorum Reges eos aliquando usurpaverint. Posteà de Sigillis loquitur in anulorum locum succedentibus: & quidem de Pontificum, Episcoporum, Capitulorum, Abbatum, Abbatissarum, Conventuum, & Monasteriorum; mox de Sigillis Francorum Regum pro discrimine stirpium diversis, de fasciâ eorundem gemmeâ, & imaginibus, sceptro, baculo, manuque Justitiæ, quæ in Regiis conspiciuntur: de lemniscis item sive appendiculis, & diversi coloris cerâ formam sigillorum exprimente: De Sigillis Magnatum, Nobilium, Militum, & posterorum, nec non integrorum Collegiorum, atque Urbium apud Francos. Tandem *Notarum Chronologicarum* examine, quod ex earum maximè instituit inductione, quas Pontifices, Reges Franci, & Imperatores in Diplomatibus suis adhibuerunt, librum hunc concludit.

In *tertio* libro Diplomata autor examinat, quæ pro verorum exemplaribus

emplaribus proposuerat Papebrochius, Dagobertinum nempe pro Sancto Maximino, Carolinum, & aliud Regis Lotharii, monetque ista specimina saltem de eorum esse genere, quæ sunt anomala, nec in exemplum trahi posse. Tum Papebrochii, monitum à Joh. Mareshamo datum in Propylæo ad Monasticum Anglicanum: *Cautè intuenda sunt ejusmodi chartæ, quæ fidem habent eò minorem, quo majorem præferunt antiquitatem:* approbantis, imò vehementer laudantis sententiam de vetustis instrumentis refellit, & Archivum Dionysianum ab eodem impugnatum vindicat: adhæc, quæ Scriptor quidam nuperus, quæque Conringius ex Naudæo Monachis objecerat, diluit & amolitur. In parte libri reliqva *Notitiarum & Chartariorum* varia recensentur genera: Illæ in autenticas sive *publicas*, quæ editæ coram Magistratu, & *privatas*, quæ à privato Notario conditæ: hæc in *bifloricas*, *autenticas*, & *privatas* distinguuntur; nec originem tantum eorum, usum, & delectum, sed valorem quoque & vim probandi expendit: tandemque Conringii sententiam, quod nullus circa veritatem & falsitatem usucapioni, nullus proinde præscriptioni possit esse locus, quoniam veritas aut falsitas enunciationum dominio aut arbitrio humano non sit obnoxia, commendat.

Libro *quarto* de Francorum Regum Palatiis agitur, & villis Regiis in quibus Diplomata fuêre data & concessa. Quæ ipsa CLXIII. numero, totidem sectionibus, juxta Alphabeti ordinem, non tam Autoris, quàm ejusdem Socii, Dn. Michaëlis Germani verbis commemorantur: ita quidem ut verorum: Carisiaci v. g., Mamaccarum, Silviaci, Basivi, Verni situs inter eruditos etiam controversi illustrentur: fictitia verò & ex perversi diplomatum lectione nata, quorum exemplum in *Corsinitisca* num. 43. habes, rejiciantur, detectâ erroris origine & verâ lectione restitutâ.

Quinto libro, ut quàm inter se præcepta & experimenta hujus rei congruant intelligatur, distinctis duodesexaginta tabulis veterum Scripturarum specimina, studio singulari & arte in æs incisa exhibentur, adjectisque notis explicantur: *primò* nempe Specimina veterum Codicum & Inscriptionum cum variis Alphabetis: *secundò* Specimina Diplomatum Regiorum à Dagoberto primo ad S. Ludovicum: *tertiò* Specimina Chartarum Ecclesiasticarum; quibus præter compendiosas Tironis notas, è Regio quodam codice expressas & vetustissimæ chartæ Ra-

tæ Ravennensis specimen cum difficillimæ lectionis interpretatione annectitur; cujus monumenti Scripturam Petrus Lambecius incognitam existimaverat, in Cæsareæ Bibliothecæ tomo 8.

Sexto denique libro Diplomata & instrumenta amplius ducenta in præcedentium librorum probationem adducuntur, & serie temporum servatâ, brevibus cum Annotationibus referuntur, pleraque ipsis ex Archetypis desumta. Ex his sub finem Autor aliqua deduxit Corollaria, ad Cœnobii Dionysiani maximè dignitatem facientia; quibus denique universalis totius index Operis subjungitur. Nec parum adjumenti videtur concinnando operi attulisse Antonii Wionis Herovallii, Cardinalis Casinattæ, Achillis Harlæi, Petri Careavii, Stephani Baluzii, Antonii Magliabeci, Petri Lambeci, Caroli Fresnii Cangii in Doctissimum Autorem benevolentia; quippe quæ veterum præcipuè Scripturarum Speciminibus auctum illud & ornatum, teste Præfatione, dedit.

ECCLESIÆ GRÆCÆ MONUMENTA studio atque operâ Johannis Baptistæ Cotelerii, qui è MSS. exemplaribus depromsit, Latinè interpretatus est, Notasque adjecit.

Tom. II.

Lutet. Parisior. A. C. 1681. in 4.

ANtiquâ manu exarata monumenta, quæ rei literariæ vel ampliandæ vel illustrandæ inservire possunt, è latebris suis, ubi cum situ, caries, tineis, blattisque non sine magnô irreparabilis jacturæ periculô colluctantur, in lucem protrahere, magni sanè laboris, nec minoris emolumenti res est. Fecit id inter alios ætatis nostræ Philologos, qui hæc Ecclesiastica veteris pariter & degeneris Græciæ monumenta divulgare cœpit, *Johannes Baptista Cotelerius Sorbonicæ Societatis Theologus & Regius Linguæ Græcæ Professor*, de cujus reliquis lucubrationibus Orbi Literato jampridem notis non est hîc differendi locus. Ad præsens Opus quantum attinet, varium illud est & multiplex, quo *Exegetica, Canonica, Juridica, Liturgica, Ascetica, Ethica, Historica, Chronologica, Geographica, Dogmatica, Polemica*, unà cum *Homiliis, Quæstionibus, Symbolis, Dissertationibus, Epistolis, Scholiis, Carmini-*

Carminibus, Actis Martyrum, Vitis Sanctorum, Elogiis, Eclogis, Fragmentis, cæterisqve cujusqve generis ſcriptis continentur. Cum enim *Illuſtriſſimus Colbertus* Cotelerio & Regiam & ſuam Bibliothecam liberaliter aperuiſſet, hortatus, ut pro inſigni ſuâ Lingvæ Græcæ peritiâ & ſummô erga bonas literas amore Manuſcripta Græca recognoſceret, &, qvæ aliqvod operæ pretium factura viderentur, publici juris faceret, is negotio huic & manum ſuam & ingenium non ſegniter admovit, Græcos Codices MSS. pervolvit, ἀνεκδότους annotavit, perlegit, qvi præ aliis magis arriſerunt deſcripſit, relegit, cum aliis exemplaribus contulit, à mendis librariorum repurgavit, interpretatione Latinâ donavit, & notis illuſtravit. Sunt autem notæ illæ duplicis generis, aliæ marginales, qvæ varias lectiones, emendationes, locorum collationes, & Autorum allegationes complectuntur, aliæ ad calcem ſingulorum voluminum rejectæ, in qvibus id potiſſimum Eruditus Autor agit, ut Criticorum more pro re natâ Variorum Autorum loca aut depravata corrigat, aut obſcura & difficilia explicet, & minùs obvia animadvertat, cum in tantâ literarum luce prolixis commentariis, diſſertationibus, & Locis Communibus haud opus fuiſſe exiſtimaverit. Cæterùm in plures Tomos ſe hæc Sylloge diffundit, è qvibus primus A. C. 1677. lucem publicam aſpexit, ſecundus autem ob varios Autoris morbos freqventer interruptus ſuperiore demum annô prodiit, qvo ſeqventia comprehenduntur:

Aſterii Amaſenorum Epiſcopi, qvi circa ſeculi qvarti finem doctrinæ, eloqventiæ, & pietatis famâ floruit, *in Pſalm. V. VI. & VII. homiliæ.*

Synodi Sextæ Generalis labente ſeculô ſeptimô ſub auſpiciis Conſtantini Pogonati adverſus Monotheletas congregatæ è prima Agathonis Epiſcopi Romani epiſtola *fragmentum.*

Baſilii & Apollinaris epiſtolæ mutuæ, qvas ab Arianis vel Apollinariſtis eum in finem, ut magnum illum Eccleſiæ Doctorem Baſilium Apollinariſmi ſuſpectum redderent, conflictas Cotelerius in notis p. 553. ſuſpicatur.

Nonnullæ aliæ *Baſilii* nomen gerentes & duæ *Libanii ad Baſilium epiſtolæ* exigui momenti.

Amphilochii Iconienſis in Lycaonia Epiſcopi epiſtola qvædam Synodica, qvæ Spiritus S. Divinitatem contra Pneumatomachos aſſerit.

Photii

Photii CPlitani Patriarchæ epistola invectiva ad Stauracium, in qva multa de capitonis (qvi ad mugilum genera pertinet,) inter alios pisces singulari abstinentiâ & justitiâ præfatus, Præfectum illum Cypri reprehendit, qvòd homines cum facultatibus suis impudenter deglutiat.

Alia ejusdem *Photii* epistola seu potiùs *oratio*, in qva variis humanæ vitæ molestiis qvalecunqve remedium & levamen adhibere conatur.

Dominici Gradensis Patriarchæ, qvi circa medium undecimi seculi claruit, *epistola ad Petrum Antiochenum*, cum ejusdem *Petri responsò*, in qvo Archiepiscopo Gradensi seu Aqvilejensi ac Veneto de Patriarchæ titulo controversiam movet, & de Azymis contra Latinos prolixè disserit.

Michaëlis Cerularii CPolitani Patriarchæ epistola ad Petrum Antiochenum, in qva eum, ut Latinos multis erroribus, qvos ordine recenset, obnoxios aversetur, nec ampliùs Papam Romanum in sacris diptychis referat, admonet, cum *Responso Petri Antiocheni*, qvi ad concordiam cum Latinis proclivior nonnullos qvidem Latinorum errores, qvibus etiam Processionem Spiritus S. à Filio Symbolo additam perperam adnumerat, fugiendos omnino & detestandos esse, aliqvos tamen sanabiles aut dissimulatione dignos, qvosdam etiam Latinis fortasse affictos asserit, & Michaëlem Cerularium, ut de rigore suô aliqvid remittat, obtestatur.

Alia *Michaëlis Cerularii epistola*, in qva Petro Antiocheno, qvomodo Legati ab Argyrô Italiæ Duce dolosè subornati potiùs, qvàm revera à Papâ Romano missi, pittacium seu libellum excommunicationis in sacrâ Mensâ deposuerint, & qvomodo ipse hanc injuriam contrario anathemate ultus fuerit, exponit.

Arsenii Testamentum, in qvo persecutiones suas enumerat, & Michaëlem Palæologum, qvòd juramenti sui immemor imperium invasisset, legitimum Imperii Hæredem oculis privasset, & alia iniqva facinora perpetrasset, excommunicatum Satanæ potestati tradit.

Alexii Comneni Novella, in qva de corrigendis Ordinis Ecclesiastici corruptelis solicitus ut ii tantùm, qvi dicendi peritiâ & laudabili vitâ alios antecellunt, ad Pontificatum & alias Dignitates Ecclesiasticas provehantur, jubet.

Digitized by Google

Vita Euthymii celebris in Palæstinâ Monachi à Cyrillo Presbytero & Monachò Scythopolitanò compositæ, &, ut Cotelerio in not. p. 604. videtur, *à Simeone Metaphraste interpolata*, in qva præter visiones, miracula, & res monasticas, nonnulla ad Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos historiam spectantia referuntur.

Capita nonnulla ex Johannis Moschi seu Eucratæ Prato Spirituali, qvæ Græcè hactenus desiderata fuerant.

Neophyti Presbyteri Monachi & Incluſi, qvi seculò 13. vixit, *qverela de calamitatibus Cypri ab Anglis captæ* & Latinis venditæ; nec non duæ *Germani CPolitani ad Cyprios epistolæ*.

Johannis Zonaræ responsum de matrimoniò duorum Sobrinorum cum unâ Fœminâ.

Theodori Balsamonis epistola de jejuniis, in qva asserit, qvod præter Paschæ Festum qvatuor alia Festa, nimirum Festum Apostolorum, Transfigurationis, Dormitionis Deiparæ & Natalis Christi cum jejuniis celebrari debeant.

JOH. RODOLFI VVETSTENII, Oratoriæ in Acad. Basil. Prof. ORATIONES APOLOGETICÆ PRO GRÆCÂ & genuinâ Linguæ Græcæ pronunciatione, contra novam atqve à Viris doctis passim propugnatam pronunciandi rationem: & alia qvædam diversi argumenti.

Amstelædami 1681. in 8.

UNicus ætatis nostræ scopulus aut verius naufragium cùm, Daniele Heinsio judice, Græcarum Literarum imperitia & contemtus sit, minimè lusisse operam censentur, qvi modis omnibus in id incumbunt, ne qvid cultus & elegantiæ suæ perdat Græcia, deliciarum illa omnium, cùm ore suo loqvitur, atqve venustarum Mater. Nec vulgari id ipsum curâ atqve studio, præstitisse Autor in Apologia deprehenditur, qvam pro genuinâ hujus linguæ pronunciatione nunc adornavit, & novem orationibus, Programmata ut taceamus præmissa singulis, inclusit.

Primam

Digitized by Google

Primam siqvidem in occasione, origine, & statu hujus de Græcarum literarum sono & valore controversiæ exponendis sic occupavit, ut argumentis simul non proletariis, ex Historiâ maximè evincat, Pronunciationem Græcam neqve à Vulgo tantùm esse petitam, neqve vel à Græcis vel à Barbaris corruptam. *Secundâ*, à Græcis introductam Literarum Συντοφωνίαν ostendit esse licitam, imitatione Latinorum cùm in vocalium, tum in Diphthongorum permutatione expressam, & propter incommoda non mutandam sed tolerandam potius. Qvo loco minuendæ etiam ἀμφιβολίας rationem submínistrat, ex identitate sonorum fortè resultantis. *Tertiâ* de Vocalium H & Y differit potestate, & postqvam originem usumqve prioris ex Plinio, Plutarcho, Eusebio, Scaligero, & aliis exposuisset; qvin & testimonia, brutorum sonos, atqve rationes pro sono τῦ H *Etha* vel *Ætha*, à Beza, Ceratino, Meckerchio, Gretsero, Cheko, cæterisqve dissentientibus allatas resolvisset, posterioris sonum genuinum vindicat. Succedunt Vocalibus Diphthongi, de qvarum recta pronunciatione Oratio *qvarta* non in genere modò agit, sed in specie qvoqve docet, Diphthongos EI, OI, YI, AI, AY, & EY malè ut EI, OI, UI, AI, AU, & EU enunciari; rationes præterea discutit, qvæ horum pro sonorum defensione solent urgeri, qvæqve moventur ab aliis pro durisculo literæ B & Γ, aliud γ, κ, χ, ξ, præcedentis sono, curatiùs examinat.

Qvintâ oratione expediuntur arma & molis machinæ majoris pro Autoris sententiâ. Pronunciationem enim hactenus assertam demonstrat viginti Seculorum usu antiqvam esse, Græcis universis in oriente cognitam, ab Eruditis è Græciâ allatam, suaqve svavitate maximè jucundam: alteram è diverso superiori demum seculo excogitatam, novam origine, Græcis auribus sono barbaram, incertam, & à confusione nullatenus immunem. Porrò, potestas genuina literæ Η *ita* Græcorum pariter atqve Latinorum autoritate, ut & utriusqve lingvæ collatione, adhibitis eam in rem & codicibus & nummis antiqvissimis, stabilitur Oratione *Sextâ*. Qvemadmodum & *Septimâ*, pro eodem literæ hujus sono argumenta proferuntur solida, ex Hebræorum, Syrorum, Chaldæorum, Rabbinorum, Arabum, Persarum, Coptorum, Russorum, Germanorum, Gallorum denique, & Italorum lingvis; ubi scilicet H in I convertunt; nec non è

graviſſimis Græcorum partim, partim Latinorum teſtimoniis deſumta. *Octavâ* vocalem T & diphthongos EI, OI, TI, à Græcis rectè inſtar ἰωτᾶ ſimplicis efferri, antiqvitatis ſuffragio confirmat: & *ultimâ* deniqve defendit Autor, qvòd è diphthongis AI ut E laxum ſeu Ē; AT, ET & HT, ut *af*, *ef* & *if*; è conſonis verò B *vita*, & Dante Γ, K, Ξ, X, inſtar N, rectiſſimè à Græcis exprimantur.

Reliqva libri parte aliqvot miſcellæ Orationes d ſparis exhibentur argumenti. Par primum de Fœderibus deqve Fœdere Helvetico in ſpecie, nec non de Fide agit Helvetica: De Exilii miſeria, & huic opponendo ſolatio, alterum. In extremo trium generum utiliſſimos reperias indices, Græcum, Latinum, & Autorum.

ULRICI OBRECHTI
Rerum Alſaticarum Prodromus.
Vol. I.

Argentor. 1651. in 4.

VEteres Alſatiæ incolas *Triboccos*, poſtqvam Romanum jugum ſubierunt, *Auguſtus* Imp. *Germaniæ ſuperiori* ſeu *primæ*, qvæ Rheni fontibus, ſicut inferior ejusdem oſtiis, propior eſt, adſcripſit. Romanis autem in Alſatiæ regimine, poſt Alemannos Tulpiacenſi prælio a *Clodoveo* ſuperatos, & poſſeſſione ſuâ dejectos, Franci ſucceſſerunt. Ubi eorum notandus error, qvi confuſis temporum gentiumqve diſcriminibus, terras, qvæ eis Rhenum (Dn. Obrechti Argentoratenſis ore loqvor) Alpibus & Oceano Germanico includuntur, Helvetiorum, Seqvanorum, Lotharingiorum, Moſellanorum, Ripuariorum, Belgarumqve, in antiqvum qvoddam *Auſtraſiæ Regnum* compingunt, & pro verâ ac primitivâ Coronæ Francicæ hæreditate venditant. Enimverò ſi de titulô primigeniæ hæreditatis Francia Cisrhenana ſeu Occidentalis cum Orientali contendat, potiora momenta pro Orientali ſeu Transrhenaria militant. Et hæc ipſa cum Cisrhenanis aliqvot provinciis belli jure adjectis vetus Auſtraſiæ Regnum à Neuſtraſiâ diſtinctum compoſuit, cujus ſtatum & terminos *Adrianus Valeſius* & *David Blondellus* prolixiùs deſcribunt.

Qvamvis verò vetus Franciæ Regnum Germanicum fuerit, nova ta-

va tamen in Alſatiâ Germanici regiminis origo, ab eo tempore procedit, qvo Gallia & Germania ita à ſe invicem divulſæ & ſeparatæ ſunt, ut duo planè diverſa Regna conſtituerint. Atqve hic gradus qvidam, per qvos poſt varias Regni Francici diviſiones Germanico Imperio Alſatia coaluit, obſervandi veniunt. Nimirum qvod à Parente ſuô *Carolo M.* acceperat Imperium *Ludovicus Pius* inter Filios diſtribuens, *Lotharium* Imperii conſortem adſciverat, *Pipinum* Aqvitaniæ, *Ludovicum* Bajoariæ Regem dederat. Verùm hi limites modò ob *Carolum* è ſecundâ Uxore poſtea genitum, modò ob bella inter Patrem & Filios geſta, modò ob alias cauſas cum ipsâ *Ludovici Pii* fortunâ ſubinde fuerunt immutati, donec ille tandem humanis rebus eximeretur. Qvô factô *Lotharius* ut ſolus rerum potiretur, Fratres Regnis ſuis deturbare conatus eſt. Sed dum Regnum ſuum præter fas augere concupivit, minuit, & præliô Fontanidenſi victus prorſus amiſiſſet, (ſiqvidem jàm *Ludovicus* & *Carolus* victores fœdere Argentorati ictô totam paterni Regni hæreditatem excluſô *Lotharió* inter ſe partiti fuerant,) niſi Annô ſeqventi DCCCXLII. inter *Lotharium*, *Ludovicum*, & *Carolum*, qvi hactenus ingentibus præliis & ſe mutuò & univerſam Rempubl. miſerè afflixerant, pax tandem Viroduni inita in eas conditiones convenifſet, ut *Carolus* occidentalia Regna à Britannicô Oceanô uſqve ad Moſam, *Ludovicus* orientalia, omnem ſcilicet Germaniam uſqve ad Rhenum cum nonnullis civitatibus & pagis in occidentali Rheni ripâ ſitis, *Lotharius* autem inter Utrumqve medius incedens, Provinciam & Italiam, & Regnum, qvod poſtea Lotharianum dictum eſt, inter Scaldim & Rhenum obtineret.

In hac Regni Francici diviſione Alſatia *Lothario* obtigit, qvi eam, cùm ſe Regnô abdicaret, & id inter Filios divideret, cum univerſo Regno Lotharianô Filio cognomini *Juniori Lothario* reliqvit. At hôc mortuô, cum & Alſatiam & reliqvam ejus hæreditatem Patruus ejusdem *Carolus* occupare niteretur, alter Patruus *Ludovicus* eum repulit, & ut dimidiam Regni Lothariani partem ſibi traderet, coëgit. Itaqve A. C. DCCCLXX. Lotharingicum Regnum inter duos iſtos Fratres, *Carolum Calvum*, & *Ludovicum Germanicum*, æqvis partibus, qvas Annales Bertiniani deſignant, eſt diviſum. Ægrè id tulit *Ludovicus II.* Imperator Lotharii junioris Frater, ſed crebræ ejus obteſtationes & conſilia contra hanc diviſionem agitata, cùm morte abrumperentur, nihil valuerunt.

Alſatia

Alſatia igitur, quæ cum aliis Lothariani Regni partibus per fœdus cum *Carolo* Gallicanô ſeu *Calvô* pactum ſub *Ludovici Germanici* ditionem & imperium venit, ita Germanico Imperio his temporibus accrevit, ut Gallis nihil in eam juris reliqvum maneret. Qvamvis enim poſt *Ludovici Germanici* obitum *Carolus Calvus* occaſionem totius Lotharianæ hæreditatis occupandæ non omitteret, cum Patre ſe, non cum Filiis pactum cavillatus, *Ludovicus* tamen Junior Germanici F. portionem Patri ſuo tributam, & Germaniæ aſſertam, extorqveri ſibi minimè paſſus, imô Patrui ſui iniqvitatem magnâ Galliæ clade ultus eſt. Extinctô paulò pòſt *Carolô Calvô* Filius ejusdem *Ludovicus Balbus* cum Conſobrinô ſuô Ludovico Juniore pacem & priſtinam Lothariani Regni diviſionem, juxta Paternæ Transactionis formulam, firmavit. A qvo tempore poſt *Ludovicum* Juniorem ejusdem Frater *Carolus Craſſus*, & hoc ab Imperiô dejectô, *Arnulfus* altero Ludovici Fratre *Carolomannô* genitus, & hujus Arnulphi deniqve Filius *Ludovicus IV.* Alſatiam qvietè poſſederunt.

Toto autem cœlô errant, qvi cùm in *Ludovico IV.* denatô ramus Carolinæ Stirpis Germanicus exaruiſſet, ſupremum Alſatiæ dominium ad *Carolum Simplicem*, qvi in Gallia tum ſuperſtes erat, Ludovici Balbi F. Caroli Calvi N. jure hæreditariô devolutum, & poſtea in Familiam Capetinam translatum cum *Davide Blondellô* aſſerunt. *Carolo* enim *Simplici* jus ſuccedendi in Franciam Orientalem per legitimam *Conradi* electionem eſt præcluſum, cùm Franci Orientales non minùs juſtam cauſam habuerint, cur præteritô *Carolô Simplice Conradum* eligerent, qvàm Franci Occidentales, cur poſt *Ludovici V.* exceſſum proximo ejus cognato *Carolo* Lotharingico *Hugonem Capetum* anteferrent, utriusqve Regni rationibus & utilitatibus poſt diviſionem adeò divulſis, ut alteri Regno minùs aptus cenſeretur, qvi alterius commodis inſerviret. Unde Francorum Proceres, qvi cùm jam *Conrado* fidem ſuam obſtrinxiſſent, mutatis poſteà animis in *Carolum Simplicem* inclinârunt, à *Conradô* armis coërciti, in Annalium monumentis rebellionis infamiâ notantur. Qvod ſi vel maximè, ſive ſucceſſione, ſive Procerum inclinatione *Carolus S.* jus in univerſum Lotharingicum Imperium ſibi acqviſtviſſet, eſt tamen illud omne ſolenni & juratâ ceſſione iterum extinctum, cùm ipſum *Conradi* Succeſſor *Henricus*, ut Germaniæ ablata pleniſſimô jure reſtitueret, adegit.

Nullam

Nullam igitur omnino juris speciem, qvam suis vindicandæ Lotharingiæ conatibus obtenderet, habuit Caroli Simpl. F. *Ludovicus Transmarinus*, qvi alienæ potius conjurationis impetu, qvàm causæ fiduciâ, Alsatiam invasit, ab *Ottone I.* Henrici Successore mox repulsus, & in ordinem redactus. Ejusdem *Ludovici Transm.* F. *Lotharium* bis Lotharingiam infestis armis ingressum annales referunt. Semel enim ob controversiam de Comitatu Montensi arma expedivit, cujus expeditionis is eventus fuit, ut, qvod apud *Sigebertum* & in *Chronicô Franco-Saxon. MSC.* legitur, pace inter Ottonem & Lotharium sancitâ *Lotharingiam Lotharius abjuraret.* Neqve dissimilis alterius Lotharingicæ expeditionis exitus fuit, qvam, cum *Otto II.* jam vivis excessisset, *Lotharius* suscepit. Pace enim eum *Ottone III.* stabilitâ *Lotharius* omnia, qvæ occupaverat, restituit, & *Lotharingici Regni possessio*, fatente Blondellô, *penes Ottonem III. illibata mansit.*

Qvomodo igitur à postremis Gallicæ Lineæ Carolinis, *Ludovicô Transmarinô*, & *Lothariô*, & ejusdem Filiô *Ludovicô V.* in Capetinam Familiam transferri potuit, qvod ipsi nunqvam habuerunt Alsatiæ dominium? qvam, sive belli jus valeat, victoriæ, sive pacis fides attendatur, pacta toties jurata Germanico Imperio vindicarunt. Qvi verò è *Capeti* Successoribus *Philippum Pulchrum* novum juris in Alsatiam titulum, per transactionem cum *Alberto I.* Imp. initam, Coronæ Francicæ acqvisivisse putant, oppidò falluntur, cùm hodie istius transactionis tabulæ neminem amplius morari possint, postqvam *Puteanus* omnem fabulæ larvam detraxit, & ex intimis Chartophylacii Regii recessibus errorem ipsum, & erroris originem detexit.

Qvamobrem Coronæ Gallicæ meliùs consulunt, qvi omnem Gallici in Alsatiâ regiminis originem, non è turbulentis incertorum titulorum lacunis, sed è liqvidâ potiùs Pacis Westphalicæ scaturigine deducunt, qvam etiam pro normâ habere convenit, juxta qvam istius regiminis limites determinentur. Qvamvis enim cessioni Imperatoris & Imperii Germanici, inter ipsa pacis negotia, ab Hispanis eidem obnunciantibus haud levis difficultas objecta fuerit, qvæ ad Pyrenæos usqve Tractatus, *Chifletiô* interim & *Blondellô* acriter inter se disceptantibus, pependerit, & ex ipsis Pacis Tabulis, inter Galliam & Imperium Germanicum Domumqve Austriacam multæ eædemqve graves controversiæ fuerint exortæ, qvarum decisio privati calami

calami arbitrium transcendit, & sublimius tribunal flagitat, liqvida tamen & expedita est designatio ditionum Alsaticarum, in qvas Regno Galliæ, sive superioritatis, sive qvodcunqve aliud jus est concessum, cum Pacis Instrumentum Superioris & Inferioris Alsatiæ Landgraviatum, & Præfecturam decem Civitatum Imperalium in Alsatiâ sitarum nominet. Qvæ autem enumeratis his partibus non comprehenduntur, nec ab iis dependent Alsatiæ ditiones, in eas nihil juris Gallia vindicare sibi potest.

Episcopatum Argentinensem qvantum attinet, sunt qvi eum à *Dagoberto* Francorum Rege fundatum existimant. Sed vulgarem illam traditionem, qvamvis *Jodocum Coccium* & alios assertores nacta fuerit, *Godofredus Henschenius* & ejusdem Hyperaspistes *Jacobus Masenius* funditus evertunt, cum trecentis ante *Dagobertum* annis *Amandus* Episcopus Argentoratensis Sardicensi & Colonensi Synodo interfuerit, cujus Successores usqve ad *Heddonem*, qvi A. C. DCCXXXIV. Episcopus creatus est, *Erckenbaldus* carminicè recensetur. Qvod autem Argentoratensibus Episcopis *Dagobertus* Urbem subjecerit, æqvè falsum deprehenditur; unde *Fr. Gvillimannus* fatetur, doceri non posse, qvòd ante Henrici II. tempora Argentoratus Episcopis suis subjecta fuerit. Qvasi verò *Henrici II.* Autoritate Wernerus ejus temporis Episcopus Urbem hanc subjectam sibi reddiderit, qvod ex Wernerianô Instrumentô, qvo tota hæc conjectura nititur, probari minimè potest, cùm de Urbe Episcopis subjecta nihil in isto instrumentô contineatur, & præterea fides ejus instrumenti, à prorumpentis undiqvaqve falsitatis indiciis haud possit liberari.

Ejusdem fidei sunt Instrumenta *Francisci Rosierii in Stemmate Lotharingicô* producta, è qvibus aliqvi Alsatiæ Ducatum cum Ducatu Lotharingiæ conjunctum, vel partem ejus fuisse, evincere conantur. Certè pleraqve diplomata operi illi promissa *Browerus* & *Masenius* manifestæ falsitatis arguunt, & Autorem istum plura contra historiæ fidem Lotharingis tribuere annotat *Thuanus*, qvi Rosierium coram Rege in genua procumbentem, & multa à se calumniosè dicta confitentem, & librum ejus coram ipso laceratum memorat.

Hæc & alia ad Antiqvitates Alsaticas spectantia, unde Tribocci nomen suum acceperint, qvando Alsatiæ vocabulum audiri cœperit, num Argentoratus, cum vicus antea fuisset, *Julianô* demum aut *Valentinianô*

Ientiniano imperante circumdatis mœnibus in urbem evaserit, utrum Mediomatrices à Triboccis sedibus suis ejecti & ad interiora migrare compulsi fuerint, qvæ Ducatus, qvæ Landgraviatuum, qvæ Imperialis Præfecturæ in Alsatia origo fuerit, & similia *Cl. Obrechtus* Magni Bœcleri Gener, nec degener in Cathedrâ Academicâ Successor, in hoc Alsaticarum Rerum Prodromô è variis Chronicis & Annalibus, privilegiorum, donationum, fundationum, & pactorum instrumentis, & optimis qvibusqve historiæ præsidiis, editis ac ineditis, antiqvis ac novis, diligenter eruit, & qvæ vel à fingentium vanitate, vel à credentium ignorantiâ & superstitione, ortum suum habent, à sincerâ rerum gestarum commemoratione tam nervosè segregat, ut apud omnes, qvi primum hoc Volumen delibarunt, magnum reliqvorum Voluminum appetitum excitaverit, qvem ut propediem citra ullum impedimentum satiet optamus.

A NEVV SYSTEME OF THE MATHEMATICKS, Composed by Sir Jonas Moore Knight.

London. 1681.

h. e.

NOVUM SYSTEMA MATHEMATICÆ, Compositum à Dn. Jona Moore, Eqvite.

Londini in 4to 1681.

Occasio adornandi hujus Systematis Illustri huic Viro subnata est, ex Præfecturâ Xenodochii Christi Londinensis, qvo munere annis ante obitum aliqvot solerti curâ defunctus est. Institutâ enim inibi Regiô sumtu Scholâ mathematicâ in gratiam puerorum rei nauticæ aliqvando admovendorum; id Ipse laboris sibi sponte sumsit, ut conscripto hoc opere, & partes definiret matheseos, Scholæ isti necessarias, & rationem insimul illarum tradendarum. Totum verò opus cùm qvatuor partibus complecti constituisset: ea, qvæ nunc (junctis Euclideis & Algebrâ) Tomum priorem absolvunt, ad Primam retulit: reliqvis tribus, Tabulas Astronomicas, succinctam Geographiam, & ex Elementis Euclideis libros sex priores, undecimum, duodecimumqve, ut & Algebram destinavit; qvo ordine non usqve qvaqve certum.

Editis enim Arithmeticâ, Geometriâ practicâ, Trigonometriâ & Cosmographiâ Autor in adornandâ Nauticæ occupatus, post absolutam Algebram, Euclideosqve libros Melderianis & Domini Barrovv Figuris instructos, satis concessit, affectumqve opus fortunæ posthumorum reliqvit expositum. Adnitentibus autem Illustribus (qvorum Præfatio non sine laude meminit) Viris, succollantibusqve præcipuè & sumtus facientibus Domino Hanvvay, & Dn. Potenger, defuncti Generis, accedente porrò liberali, in Nauticâ, Sphæricâ & Geographiâ perficiendâ, Domini Perkinsi, Flamstedii, & Halleii operâ, Systema duobus Tomis comprehensum, tandem prodiit: serie partium insequenti.

Tom. I. proponitur 1. Arithmetica tam Naturalis & Decimalis, qvàm per species aut Principia Algebræ. 2. Geometria practica, cum sex Elementis prioribus, undecimo & duodecimo Euclidis, symbolicè demonstratis. 3. Trigonometria plana & sphærica. 4. Cosmographia. 5. Nautice, sive Navigandi ratio per Planum, Chartas Mercatoris, & Arcum circuli maximi. 6. Doctrina Sphærica motui Terræ juxta Systema vetus Pythagoricum aut Copernicæum innixa.

Tomo II. 7. Tabulæ Astronomicæ, & Logarithmorum, naturalium & Artificialium, Sinuum, Tangentium & Versorum Sinuum. 8. Nova Geographia, sive descriptio potissimarum Mundi Regionum & Tractuum, cum eorum chartis, Tabulisqve Longitudinis & Latitudinis.

Opus tradendæ, docentium æqvè ac discentium insigni compendio, Mathematicæ apprimè accommodum: & qvod præter commendanda alia, in doctrinâ Surdarum qvantitatum Tom. I. subnexâ, Tabulisqve Logarithmicis Differentialibus, pro Logarithmis numerorum vulgarium 10000 & 1000000 intermediorum, & vicissim, inveniendis habeat, de qvibus sibi gratulari possit Lector: cujusqve Nauticæ (juxta Præfationem) ob succinctam triplicis Navigationis explicationem; triplicem propositionum solutionem: certam & infallibilem cursus navium dimensionem; descriptionem Instrumentorum Nautices, usumqve eorum ostensum, hactenus editis palmam indubiè præripiat.

D. BUR-

Digitized by Google

D. BURCHERI DE VOLDER,

Medicinæ & Philoſophiæ Doctoris, hujusqve in illuſtri Academia Lugduno Batava Profeſſoris Ordinarii celeberrimi

Diſputationes Philoſophicæ,

De Rerum Naturalium Principiis, ut & de Aeris Gravitate.

Lugdun. Batav. 1681. in 8.

Diſputationes iſtas antehac habitas qvi edidit, continuis numeris textum copulando in duos libellos congeſſit. Ipſe verò doctiſſimus earundem Auctor in iis, qvas de Rerum Naturalium Principiis inſtituit, has ponit primorum principiorum conditiones; primam, *ut clarè diſtinctèqve percipiantur*, ſecundam; *ut non ſint alterius cauſæ naturalis ſive corporeæ effecta*; tertiam, ut *ipſis nulla adſcribatur proprietas cogitationis aut mentis*; qvartam, *ut ex ipſis omnia hujus mundi phænomena qveant deduci*; qvintam, *ut principia certò demonſtrentur eſſe vera*; qvam tamen ultimam non neceſſariò reqviri autumat, qvod effectus naturales à diverſis cauſis pendere qveant. Qvibus explicatis evincere conatur, conditiones eas genuinas principiorum neqve materiæ & formæ Peripateticorum, neqve atomis & inani Democriteorum, neqve Sali, Sulphuri & Mercurio Chymicorum, neqve ὁμοιομερείαις Anaxagoræ competere; omnes autem convenire Materiæ & motui, ideoqve hæc duo ſola eſſe principia rerum genuina.

In Diſputationibus verò de Aëris Gravitate, Aërem, qvi tellurem noſtram ambit qvemqve ſpiritu ducimus, gravem eſſe i.e. premere tellurem & corpora in ejus ſuperficie hærentia, probat 1. experimento Torricellii. 2. experimento Ottonis Gvericke Conſulis Magdeburgenſis, qvi duo hemiſphæria avulſa ſeparataqve ſibi invicem impoſita, interjectâ cerâ conglutinavit, deinde ex hoc concavo aërem ope Antliæ eduxit, qvo ipſo animadvertit tantâ vi ſibi invicem cohærere hæc hemiſphæria, ut pro variâ eorundem latitudine, non niſi notabiliſive eqvorum numero ſive ponderum appenſorum qvantitate qveant ſejungi. Qvem admirandum effectum aëris gravitati deberi

ita oſtenditur: Cum aër immediatè ſubjacens inferiori hemiſphærio à gravitate aëris lateralis ſuperiora verſus feratur, nec qvidqvam in Sphærâ ſit, qvod huic preſſioni reſiſtere valeat, oportet hoc hemiſphærium ad alterum, qvod eâdem aëris ſuperioris vi & gravitate deorſum premitur, comprimi totâ vi & preſſione ſubjacentis aëris, qvæ qvod tota dependeat ab eâ, qvâ Aër lateralis deorſum ruit gravitate, ſeqvitur omni hujus gravitatis vi & impetu hæc hemiſphæria ad ſe invicem compelli. 3. Experimento proprio, qvo bilance accuratâ non tantùm in genere aërem gravem demonſtrat, ſed & datæ cujuscunqve maſſæ aëreæ certam gravitatem & pondus determinat.

PHILOSOPHIA CURIOSA
ſeu *Univerſa Ariſtotelis Philoſophia juxta Communes ſententias expoſita,*
ab
Adalberto Tylkovvsky è Soc. Jeſu.

Typis Monaſterii Olivenſis S.O.Ciſt. Anno 1680. in 8.

PArtes hujus Philoſophiæ Curioſæ, Phyſicam & Meteorologiam, priusqvam omnes junctim prodirent, impreſſas Cracoviæ Indeх Librorum Anno ſecundo Ephemeridum Naturæ Curioſorum adjectus docet. Inſtitutum Auctoris eſt Ariſtotelis doctrinam, qvam nonnulli inſufficientem & ineptam pronunciant ſolvendis experimentis, à calumniâ ipſi religioni noxiâ liberare, oſtendereqve ejus principia naturalibus effectibus ſatisfacere. Operis univerſi qvatuor ſunt partes I. Logica. II. Phyſica in ſex partes ſubdiviſa. III. Metaphyſica. IV. Moralis, qvæ omiſſis cæteris doctrinis, ferè omnis in parte Oeconomicæ abſumta eſt de re agraria ad cœlum & morem Poloniæ inſtituenda. Pauca excerpimus ex Phyſica Curioſâ memorabilia ad hiſtoriam naturalem pertinentia.

I. Viſtula Pruſſiæ fluvius ante magnos imbres ſubitò deficit, qvoniam fontes ejus, qvi ſunt in montibus Carpathiis, in vapores attolluntur, qvi poſtea reſoluti dant pluviam.

II. Spiritus Vini Thermoſcopiis infuſus, incongelabilis, qvia ardentiſſimus, hiemem conſtanter ſuſtinuit, monſtravitq; aëris variationem

tionem ac gradus remittentis intendentisqve frigoris, ſed ubi acceſſit ætas, minimâ aſperitate aëris in tantum ſublatus eſt ac hieme ſummo frigore.

III. In Pruſſiæ Epiſcopatu Camoratu Allenſteinenſi ad villam Buttini lacus ſeptennio abſoluto evaneſcit cum piſcibus, datqve pratum, qvod minimum centum qvadrigas fœno oneret, poſt ſeptennium redit cum piſcibus.

IV. Sinus Prutenicus & aliæ aqvæ certis temporibus florent, qvibus inutiles ſunt certis uſibus; hæc efflorescentia ex fermentatione orta qvousqve diſperſa eſt inconſpicua, colligitur ac apparet, ubi in aliud flumen aqvæ irrumpere parant.

V. Retulit Jeſuita Chanovvsky duos pagos Bohemiæ contiguos, in qvorum uno, dum eſt hiemale frigus, alter hilareſcit calore æſtivo: hic meſſis, ibi viride frumentum; hic ros, ibi pruina. Suſpicio eſt, uni nitrum, alteri copioſos ignes ſubeſſe.

VI. Terra Sigillata in Polonia ac in ripis Viſtulæ propè Varſaviam eruitur, licet viribus debilior, ut in duplicatâ doſi exhibenda ſit.

VII. Gemmæ omnis generis propè Varſaviam collectæ expoliuntur.

VIII. Sal foſſilis, qvi largo proventu ex fodinis minoris Poloniæ inſtar grandium ſaxorum effoditur, qvamdiu ſub terra, minus ponderis habet, ſupra terram eſt gravior. Cauſa refertur vel in aëris ſubterranei denſitatem, in qvo Sal uti lapis infra terram, utpote in denſiori medio minus premit; vel qvod aëris recentis afflatu rigeſcat fiatqve denſior Sal & gravior.

IX. Succini, cujus fodinæ propè Regiomontium in Pruſſiâ haut procul mari Balthico alibiqve in Polonia ſunt celebres, minera ſimilis planè apparuit loco, in qvo olim ligna ſecabantur, ubi ſarmenta, cortices arborum, ramuſculi cum terrâ miſcentur & ad terram declinant vetuſtate: habuit qvid ſimile corticum terrâ obrutorum, aliqvid radicum atqve ramorum, & ſingulis intra nigram arenam adnatas particulas flavi ſuccini ſparſim neqve tamen adhærentes. Fruſtum exhibitum parte ſuccinum, parte reſina fuit, cui tamen ſe admiſceat bitumen, alumen, nitrum & vitriolum atqve Sal. Modum colligendi ſuccinum diverſum obſervant. Muſcæ, viperæ, ſoſices, paleæ & alia, qvæ ſuccinum exhibet portenta qvaſi involuta, ludibria ſunt mera, nam ubi frangis, nihil habes. Vidit Hollandus qvidam in

frusto succini grandem numum aureum apud qvendam civem Regiomontanum, cupidineqve auri pretio majore succinum emit; qvo facto se deceptum cognovit.

X. Parelior um causâ, motus, locus, significatio & historia per multa secula ad nostram ætatem continuata diligenter exponitur.

XI. Qvæ in montibus aliqvando reperta vulgus credit ossa tibiarum, dentes, crania de Gigantibus reliqva, ea in litore Vistulæ non procul à civitate Casimiria inventa Jesuita ostendit, ex luto molli seu marga formari.

XII. In Lituaniâ nullæ nascuntur spinæ. Causam Auctor opinatur frigus regionis.

XIII. In oppido Prussiæ Holland qvidam in suo viridario arbusculam tiliam vertice suo in terram defixit, qvæ post multos annos in arborem amplissimam & ramosissimam provecta est, ramis qvidem deorsum ab trunco vergentibus, postea se rursum reflectentibus, radice verò, qvæ cœlum spectabat, plurimis ex eâ fusis obstitâ surculis. Jesuita Peripateticam doctrinam secutus, qvæ nutritionem plantarum per attractionem succi fieri asserit, cum intelligat alimentum in arbore inversâ non potuisse vi tractrice sursum provehi, ad cœlum & astra confugit, qvorum calore contra naturam arboris elevatum sit.

XIV. Heliotropium Solem seqvi decantatum est. Auctor in Italiâ, ubi plantæ vigent, diligenter attendens non potuit deprehendere, indeqve conjicit ex amphiboliâ vocis opinionem ortam; qvia flos similitudine Solem exprimit, dictum Solem seqvi, qvod perversè de motûs seqvela acceptum fuerit.

XV. Gemmas Sambuci sursum detractas per os purgare, deorsum tractas per inferiora, confirmat experientiâ suâ. Detrahebatur, inqvit, medius ex Sambuco cortex & hydrope correpto cingulo tenus supponebatur. Si detrahebatur cortex deorsum, descendebat, si deradebatur cortex sursum, adscendebat hydrops.

XVI. Qvod spectaculum lapis Bononiensis multo apparatu, hoc putre lignum pineum dat sine ulla præparatione, maximè, si bene prius pluviis perfusum Sol ingressus est. Illatam enim lucem cameræ retinet per justum spatium, qvam tandem dimittit. Qvâ occasione adjicit, qvod compertum habuit de vermiculis noctu lucentibus, qvi oriuntur ex granulis copiosis per Poloniam totam, esse rubra ea modica cujus-

cujusqve herbæ maximè illius, qvam vocant auriculam murium radicibus adhærentia; in Majo debere legi, in Junio versa in vermes avolare & nocte lucere. Ex qvo arbitratur ipse, semina esse vermium, qvi alia radici affigunt dum ipsi animantur, qvæ foru terræ in vere adolescunt; histingi serica illa pretiosa; horum tabe scarlata, qvæ tanto venire fecit vanitas rubescere. Hieme, æstate & autumno deprehendi semen hoc non posse obexilitatem. Postqvam vermis avolavit, solam relinqvi vacuam vesiculam tanqvam ejus secundinam, intra qvam coaluit.

XVII. Ad finem Physicæ Appendicem geminam attexuit, unam de podagra, alteram de Plica Polonicâ, qvi morbus est Polonorum ferè solorum capillos complicans instar filtri, & paroxismos similes epilepticis, excœcationem aliaqve gravia symptomata inducens.

XVIII. Deniqve Partibus singulis Physicæ suæ adjicit Problemata & Paradoxa, qvæ ex sparsim dictis solvenda rel nqvuntur: v. g. *An qvis in eodem loco manendo currere possit? an foramen melius clausis qvam apertis oculis videatur? an homo infinitus haberet cerebrum in capite? an debilis oculis juvetur perspicillis in vacuo? an de facto culex detur, cujus una ala totam ternam possit tegere? an possit qvis cribro aqvam haurire? an detur aqva non madefaciens? an majus monstrum sit culex unius ulnæ, qvàm cetus 100. ulnarum? an possit audiri campana, qvæ nunqvam extitit? an unus homo simul cqvis mille possit insidere? an in guttâ aqvæ posset navigare classis Xerxis? an possit esse tantum frigus, qvod verba congelet? an sufficiat truncus unus, ut qvis se centum annis calefaciat hieme? an melius sit gigantem esse instar turris, an pygmæum instar psittaci? an converti possit lapis in Ciceronis Orationem? an Eva sit filia vel soror Adami? an aliqvis existens in Polonia possit videre Regem Mogoris? an qvis possit gustare alienæ mensæ fercula ipse alibi existens?* &c.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII, Curationum Propriarum & Consiliorum Medicorum Decades X. Opus Posthumum.

Augusst. Vindelic. 1681. 4.

Ut

UT editis in publicum scriptis plurimus notissimus est *Welschius*, ita non pauca, qvorum in istis spem nobis fecit, restare adhuc videntur edenda, fato licet jam functus suo fuerit Autor. Posthuma hæc inter, primò in lucem publicam prodierunt *Decades X. Curationum & Consiliorum Medicorum*, operâ *Lucæ Schrockii* junioris, Med. D. & Phys. Augustani, qvi memoriam Welschianam, seu Vitæ ejus amplam Historiam, cum librorum ejus tum editorum, tum edendorum catalogo jam anno 1678. mox ab Autoris obitu divulgaverat. Continent, autem Decades prædictæ Casus in Praxi Medica subinde occurrentes, qvorum curationis historiam Autor primò recenset, hinc prolixum ejusdem examen, tam theoreticum qvàm Practicum subjungit, & morbi cursum seu successivas mutationes juxta siderum motus simul perpendit. Examina ista juxta Veterum, Græcorum præsertim & Arabum (qvorum lingvæ exactissimam habebat notitiam, & scriptorum eorundem interpres erat accuratissimus) Placita instituuntur, Modernorum tamen hypothesibus ubiqve insertis, cum Virinexhaustæ lectionis existeret. Præ aliis verò similis argumenti Scriptoribus peculiare hoc obtinet, qvod plurimorum morborum motum & exitum ad leges astrorum curiosè trutinat, & criticas vel propriè tales, vel his affines mutationes observat; ita tamen, ut Criticarum Dierum enumerationes, non solis numeris Pythagoricis & Hippocraticis, qvaternariis scil. & septenariis, prout communissimè fieri amat, aut humorum conditionibus & proprietatibus Fracastorianis, aut Naturæ modificatis operibus, similibusqve aliis adsignet, sed lunæ motum in iisdem primariò respiciendum jubeat, non exclusis penitus cæterorum planetarum benignis malignisve aspectibus; & qvidem non Lunæ Phases, singulis mensibus consvetas, sed solummodo Lunæ motum per qvadrata Zodiaci signa, eumqve inæqvalem, nec semper septenario respondentem; unde sæpius octavus Criticus esse soleat, tunc scil. cum Luna qvadratum, respectu sui sub morbi principio Loci, attingat. Adeò incerta esse omnia asserit, qvæ vulgò de qvaternariis & septenariis diebus docentur, nisi ad leges sideralis scientiæ exigantur, & Hippocratis Arithmetice Latitudine qvadam explicetur, non alia, qvàm ejusmodi cœlestium motuum observationibus definienda. Qvæ ipsa adjunctis Schematismis, Lunæ Phases & aspectus, sub morbi motu & mutatione exprimentibus, pro faciliori apprehensione ulterius illustrat. *OLAI*

OLAI BORRICHII

De Somno & Somniferis, maximè Papavereis Dissertatio.

Hafniæ & Francof. 1681. in 4.

SOporifera alioqvin papavera haud leviter nihilominus hoc seculo ad sui scrutinium solertiora excitarunt ingenia, qvæ inter & Autor occupatus est in facultatibus eorundem circa occultarum qvalitatum opem, clarius dilucidandis. In anteceſſum monet, sibi non displicere sententiam eorum, qvi censent, somnum *ex clementiori qvadam Spirituum animalium in cerebro qviete dependere*, ita ut per somnos in cortice cerebri (ubi generationis eorum cum Williſio ponit exordia) Spiritus velut in nebulam cogi videantur, & minus promptè separari, minusqve alacriter moveri. Qvoad denſationis hujus causam in castra transit Stagiritæ, dum ex alimentis, vaporis habitu, *corporeum aliqvid*, seu corpuscula oleosi generis, eaqve in minutias seu Spiritus attenuata, à calore nativo excitata, motu cordis juvante, in cerebrum ascendere, ibiqve Spirituum animalium, ceu corpuscolorum Salinorum volatilium subtiliſſimorum, vivaciſſimum motum, adventu suo nonnihil suspendere, & procursum vehementiorem impedire asserit. Id qvod per craſſamentum ex S. V. rectific. & spirit. Urin. permiſtis natum illustrat, hac tamen limitatione, qvod blandius ista in corpore animali contingant, ubi satis sit, si in tenuiorem saltem nebulam denſentur Spiritus. Progreditur hinc ad papaveris, ejusqve producti, Opii, ceu somniferorum anteſignani, anatomen chymicam, cogniturus, an tale oleum mite, ac spiſſans, idqve copioſum, & facilè qvod distribui poſſit, in iisdem hoſpitetur; præmittendo prius consideratione controverſiæ toties agitatæ, calidum an frigidum sit papaver & opium, eamqve ita dirimendo, ut *reſpectivè* consideratum, ad corpus scil. animale, & operationes, qvas ibidem exercet, frigidum omnino illud pronunciet, cùm qvietem senſibus inducat, non motum, immoderatiusqve sumtum, gelationem & livorem artuum sudoresqve frigidos inducat, & noviſſimè frigidam mortem: sin verò *abſolutè* spectetur, particulas ejus potiſſimas, in calefacientibus numerandas esse, *ex oleoſorum* scil. genere censeat. Id qvod per Pyrotechniam Chymicam comprobare satagit: dum ex

ſem. papaver. unc. xvj igne arenæ elicit, aqvæ unc. iij, olei perqvam fumoſi, unc. ix, relicto in vaſe capite mortuo ad unc. iij, & paulò amplius, æliqvũ odoris ſubtiliſſimi formâ, per vaſorũ commiſſuras, triplici licet veſicâ munitas, evanuit: pariter ex Opii unc. j, aqvæ limpidæ guttas 60. olei fumoſi admodum, ſive qvod fumi albiſſimi formâ, partim per collum vaſis, undulato lapſu properaret, partim excipulum ſatis capax oppleret, & per omnia ſpiracula exitum qværeret, unâ cum parte ejus craſſiori, è roſtro retortæ ſubinde ſtillante ad unc. ß, elicuit. Subjungit his experimenta, cum oleis iſtis deſtillatis, ut & cum Opio crudo, mediante Spiritu Vini, felibus & columbæ propinatis inſtituta, (qvæ ipſa, ut & modò enarrata Spagyrica anatome ejus videri qvoqve poſſunt in Act. Med. Hafn. Voſ. V. obſ. 124. p. 331.) ex qvibus (incidenter notando, non opium tantùm, ſed & ſimplicem Vini Spiritum, feli venenum eſſe) concludit, opii narcoſin, à ſale & Spiritu qvidem actuoſi rem reddi, proficiſci verò primariò ab oleo, cujus particulæ, cum minutiores ſint, qvàm aliorum oleorum, facilius aſcendant habitu albiſſimi vel fumi, vel vaporis, & inſtar nebulæ perreptent corpus, & ubi inciderint in liqvores, eosdem nebulæ ſuæ involutos ſiſtant, ſive motum eorundem excitatiorem impediant. Ultimo loco Opii uſum explicat, tam qvem per ſe, Spiritus denſando, eorumqve & humorum impetum ſiſtendo, qvàm qvem per accidens, ſudores, urinas, ſeceſſus & vomitus movendo, præſtat: hinc fructus ejus, qvos in humano corpore ſub cura morborum pollicetur, exponit, obſervando brevibus, qvibus in affectibus magis minusve conducat, & qva methodo adhibendum veniat; circa qvam ultimò monet, minus ſecurè Opium jungi Lapidi bezoard. gemmis, Cinnab. antimon. diaphor. &c. alliſqve pharmacis mitibus & inſipidis, qvàm manifeſtè calidis; cùm ſi qvam noxam imprimat frigus Opii, eam ſuperveniens calor aromatum corrigat; & qvidem aromatum potius, qvàm Spirituum, qvod illa actionem Opii pedetentim ſeqvantur, hi ut omni vinculo ſoluti, vel antecedant vel turbent comitando.

DE PRINCIPIIS RERUM LIBRI TRES, cum Appendice duplici,

Authore GVILHELMO LAMY.

Pariſiis, 1680. in 12.

Sicut

Digitized by Google

Sicut ex Titulo Scripti hujus conſtat, illud ab Autore in tres libros ac duas appendices digeri: Ita in *priore* Peripateticorum principia phyſica explicat atqve refellit, hincqve primis ſtatim capitibus eorum materiam primam examinat & annihilat, nullamqve loco hujus aliam, præter extenſionem ſolidam atqve impenetrabilem, concipi poſſe, declarat. Pariter illorum formam ſubſtantialem ſub examen revocat, partim argumenta, pro hac facientia, recenſendo ac ſolvendo, partim ratiocinia, qvæ formarum iſtiusmodi exiſtentiam ſuſpectam reddunt, ſubnectendo, qvæqve contra hæc moveri poſſint, inſtantias declinando. Porrò Corporum diſtinctionem Peripateticam in incorruptibilia & corruptioni obnoxia, numerum elementorum qvaternarium, qvalitatum extra corpora horumqve modos realium, & qvidem tam manifeſtarum, ſeu ſenſibilium, qvàm occultarum ſive inſenſibilium magis, tàm rerum inanimatarum, qvàm animatarum, tàm activarum, qvàm paſſivarum, exiſtentiam atqve formalitatem dubiam reddit: nullamqve tandem finis in rebus naturalibus rationem eſſe habendam; Vacui verò fugam Ariſtotelicorum abſurdam evincit. *Librum ſecundum*, in qvo Philoſophiam Carteſianam examinat, in duas partes ſubdividit, atqve in harum prima oſtendit, neminem Carteſii philoſophandi viam, qvia de rebus omnibus dubitandum, omnesqve noſtras cognitiones ſeponendas ac rejiciendas eſſe docet, ingredi poſſe; ipſamqve, qvamvis aditu poſſibilis foret, ad immaterialitatis tamen atqve immortalitatis animæ rationalis & Exiſtentiæ DEI notitiam atqve demonſtrationem nullatenus conducere, ſed utramqve hanc rem declarandam partim obſcuriorem reddere, partim falſis fundamentis inniti, imò contra proprias leges peccare, qvatenus paſſim tales propoſitiones pro axiomatis ſupponit, de qvibus tamen dubitare qvasqve falſas potiùs pronunciare decebat. In parte ſecunda, poſtqvam Carteſii ac Democriti & Epicuri principiorum conformitatem atqve diſparitatem monſtravit Lamy, eſſentiam materiæ neutiqvam ex Carteſii mente in extenſione ſola conſiſtere, nec materiam juxta eundem in infinitum diviſibilem eſſe, argumentis diverſis declarat, præprimis cum illis hypotheſibus admiſſis non determinare liceat, qvid ſit locus, qvid motus, & qvomodo fiat, nec fluidorum corporum natura, nec durorum diverſitas explicari qveat; tandemqve legum illarum naturæ trium,

qvas de motu corporum materiæve, tanqvam diversorum motuum causas secundarias atqve particulares, finxerat Carteſius, falſitatem evincit. *Tertius* liber pariter bimembris eſt, utpote in qvo primò Epicuri principia eo modo, qvo à Lucretio tradita ſunt, exponit & qvæ in his paradoxa reprehendit Autor, v. g. qvibus creationem impoſsibilem & materiam æternam eſſe, Atomorum indiviſibilitatem à vacui excluſione oriri, motum atomorum ſupernè deorſum, motum declinationis, hincqve dependentem hominis libertatem, aſſerere conabatur, indigitat. Cùm verò qvoad plurima Doctrinam Epicuream præ cæteris magis veriſimilem, ac univerſo & phænomenis naturalibus explicandis commodiorem habeat, principia hæc deinceps paululum immutata proponit atqve confirmat, ita tamen, ut illa, qvæ de æternitate atomorum, harum motûs, numero infinito æternisqve earum conjunctionibus per rationem meram ſibi conceperat, fidei lumine corrigenda eſſe moneat.

Deniqve qvoad ſcripti hujus binas appendices, prior Cauſas effectuum, qvos Ariſtotelici Fugæ Vacui, Recentiores nonnulli Aëris Gravitati, attribuunt, poſtqvàm aëris vim Elaſticâ explicuit, huic aſſignat, v. g. cur Mercurius in altitudine duorum circiter pedum cum qvadrante conſiſtat? cur Aqva machinas hydraulicas & ſiphonem conſcendat? cur aër pulmones inſpiratione ingrediatur &c. ſimulqve argumentis Paſchalii atqve Gaſſendi, qvibus aëris gravitatem comprobare ſatagebant, ſatisfacit. Poſterior Naturam & modum Fermentationis, hujus ac Efferveſcentiæ differentiam, Fermenti eſſentiam & agendi modum, ſecundum eadem Epicurea & à ſe correcta principia, exponit.

CANONICI JURIS INSTITUTIONUM Libri tres.

Operâ Franciſci de Roye, Anteceſſoris Andegavenſis, Pariſ. 1681. in 12.

IN concinnandis juris Canonici Inſtitutionibus eandem Auctor methodum, qvam Juſtinianus Imperator olim in Inſtitutionibus Civilis Juris, ſervavit. Nam ut is Inſtitutiones ſuas ſic partitus eſt, ut de perſonis primùm, pòſt de rebus, ac poſtremò de actionibus atqve judiciis ageret: ita eandem viam ſtrictè Noſter, qvantum paſſa eſt argumenti

gumenti ratio, perſeqvi voluit. Itaqve præmiſſâ Juris Canonici, ex Canonibus Conciliorum, Decretis Summorum Pontificum, dictis S.S. Patrum, & Principum nonnullis conſtitutionibus conflati Hiſtoriâ, *primo libro* perſonarum jura exhibet, ac de Clericis in genere, eorumqve ordinatione, electione, conſecratione, de Summo Pontifice, Patriarchis, & Cardinalibus, de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Canonicis, Monachis, perſonisqve Eccleſiaſticis aliis agit. *Altero* res Eccleſiaſticas, tàm qvæ ſimpliciter, qvàm qvæ aliqvo modo juris divini ſunt, perſeqvitur, omnemqve adeò de Sacramentis, & Bonis Clericorum temporalibus doctrinam evolvit. *Tertio libro* circa actiones ſeu judicia occupatur, deqve Clericorum foro competenti, de eorundem judiciis, jurisdictione, delictis, pœnis, & qvæ alia ſunt hujus disqviſitionis, agit. Ubiqve verò id inprimis propoſitum Auctor habuit, ut juris originem ac progreſſum diligenter expenderet, & ſenſim ad ſua deduceret tempora, innueretqve adeò, qvæ Eccleſiaſtici juris, antequam Imperatores ipſi Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt, qvæ poſtea, ratio fuerit, & qvæ ex Canonico jure locum hodieqve in Eccleſiâ Gallicana obtineant, qvæ non. Nec enim diſſimulandum, Auctorem Inſtitutiones haſce ſuas ad Gallicanæ potiſſimùm Eccleſiæ Statum accommodáſſe, eoqve non uno loco aliter ſentire ac loqvi, qvàm Romæ fortaſſe fuerit permiſſum. Nam e.g. *Politico Magiſtratui in Clericos jurisdictionem, de Eccleſiaſticis Bonis imò rebus ad Eccleſiaſticam Diſciplinam pertinentibus cognitionem*, nec non *facultatem bona Eccleſiaſtica curandi legesqve de iis condendi, exigendiqve à Clericis tributa* vindicat: *Summi Pontificis poteſtatem Concilio generali, ex Eccleſiæ Gallicanæ, omniumqve Galliæ Parlamentorum & Univerſitatum ſententiâ* ſubjicit: *nuptias liberorum deficiente paterno conſenſu initas, ipſo jure nullas atqve irritas*, repudiatâ Concilii Tridentini opinionem hanc anathemate ferientis auctoritate, pronunciat, *Principibusqve ferendarum legum, qvibus certi generis matrimonia non prohibeantur tantùm, ſed & irrita fiant*, jus aſſerit: *Jurisdictionem forenſem Eccleſiæ nonniſi conceſſione ſecularium Principum competere, Clericum Eccleſiaſtico foro validè poſſe renuntiare, ſeculares judices directam in Clericos jurisdictionem obtinere*, ejusqve generis alia non omnibus fortè Romanæ Curiæ paulò devotioribus probanda, tradit.

JO. SCHILTERI INSTITUTIONES Juris Canonici ad Ecclesiæ veteris & hodiernæ statum accommodatæ.

Jenæ 1681. in 12.

QVemadmodum *Joh. Paul. Lancellottus* ad Ecclesiæ Romanæ & Hierarchiæ Pontificiæ, *Franciscus de Roye* verò ad Gallicanæ Ecclesiæ, suis qvas vocant Libertatibus gaudentis: Ita *Dn. Schilterus*, JCtus ac Consiliarius Saxonicus, ad Ecclesiarum Evangelicarum ac juxta normam primæ & Apostolicæ Ecclesiæ repurgatarum Statum Canonici Institutiones Juris accommodavit. Itaqve non solùm *Jus Canonicum κατ' ἐξοχήν* ita dictum, qvod à generalibus præcipuè Conciliis vim accepit, & in Decreto Gratiani collectum est; multò minùs *Pontificium*, qvod à Curiâ tantùm Romanâ profectum in Decretalibus magis cernitur: sed *Ecclesiasticum* Sacrumqve *Jus* omne, ex Jure Divino, Conciliorum Canonibus, Legibus Imperatorum, Pontificum Decretalibus, ac Statuum Imperii Evangelicorum Ordinationibus Ecclesiasticis, usuqve fori, justâ ac concinnâ methodo propositum habuit tradere. Id qvod duobus libris, qvorum primus jura personarum Ecclesiasticam Societatem constituentium, alter rerum jura persequitur, eâ dexteritate præstitit, ut qvæ sit inter Protestantes, postqvam per Pacem Religiosam Romanæ Curiæ Jurisdictione liberati sunt, Ecclesiastici regiminis ratio, qvàmqve singula in Evangelicis Ecclesiis ordinatè ac decenter, contra qvàm persvadere sibi amant nonnulli, peragantur, nullo negotio intelligatur. Subjungitur libello, S.S. Theologiæ non minùs qvàm Juris Cultoribus utilissimo, Opusculum aliud, Differentias Juris Civilis & Canonici in Compendio exhibens; in Academiâ Julià primùm A. 1635. à *Christoph. Wegnero* per modum Dissertationis Academicæ propositum, pòst ab *Henr. Hahnio* aliqvoties recusum, nuncqve denuo in cupidæ Canonum Juventutis gratiam à Nobilissimo *Schiltero* adjectis brevibus notis editum.

B. AM-

Digitized by Google

B. AMBROSII ABBATIS GENERALIS CAmaldulenſis Hodœporicon, à Nicolao Bartholini Bargenſi C. R. congregationis Matris, DEI publicæ luci aſſertum.

Florentiæ ac Lucæ. in 4.

UT integritas collapſæ in Italia diſciplinæ monaſticæ qvodammodo reſtitueretur, anno recuperatæ gratiæ M CCCCXXXI. Eugenii IV. P.R. autoritate, *Ambroſius Camaldulenſis*, cum ſocio ſuo Silveſtro miſſus eſt, qvi monaſteria per Italiam luſtraret, corruptosqve monachorum ac virginum clauſtralium mores emendaret. Hujus officii partes, qva fide, zelô & prudentiâ impleverit *Ambroſius*, qvâqve ſolennitate in diverſis locis fuerit exceptus, in hoc ſuo hodœporico ipſe exponit, nominatis etiam claris viris, qvos in itinere ſalutavit; annotatis item libris, qvos in Bibliothecis vel conſpexit vel evolvit. Romæ Origenis in Lucam XXXIX. Homilias ab Hieronymo traductas; Mantuæ inter multa Græca ſcriptorum volumina Orationes qvasdam Juliani Cæſaris, Homeri vitam ab Herodoto ſcriptam, item Qvintiliani Muſicam & alterius Senis de Muſica opus cum aliis ſcriptis perluſtravit. In eodem itinere Chryſoſtomi qvædam ſcripta, ejusqs vitam ex Græco Latinè vertit, ac Pontifici Eugenio dedicavit. De cujus affectu erga Concilium Baſileenſe, & fugâ propter Romanorum inſidias ſuſcepta ſimul qvædam commemorat. Coſmi & Laurentii Florentinorum virorum excellentium, qvod illo tempore contigit, exilium cum deſcribit, eorum virtutes qvoqve laudat. Editor hujus Hodœporici Dn. *Nicol. Bartholini* in adornanda ejusdem editione liberalem operam Domini Antonii Magliabechi Sereniſſ. Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarii, viri ob humanitatem & ſtudium augendi rem literariam celeberrimi valde prædicat, & ſub finem laudatî *Ambroſii* Epiſtolas cum elogiis illius edendas promittit; de qvibus doctiſſimus Voſſius, qvi libro III. de Hiſtor. Latin. hujus Ambroſii ſcripta allegat, nihil habet.

ÆGIDII MENAGII POEMATA.

Pariſiis apud Petrum le Petit. in 12.

Qvi

QVi Poëtarum monumentis non ab antiqvitate, sed nativâ elegantiâ pretium ponere norunt, venustissima Gallorum elegantissimi eruditissimiqve Abbatis MENAGII, Carminum gloriâ Veteribus paris, Poëmata sæpiùs in unum collecta corpus prodiisse, & sexies antehac Parisiis & Amstelodami excusa fuisse, gaudent: sed jam novâ hac & *septimâ* prioribus locupletiore editione ea iterum typis vulgata esse, tantò magis delectabuntur, qvò plura Latina & Græca, Gallica & Italica nova Carmina accessisse antea vulgatis cognoscent.

PETRI ALLINGÆ FAX DISSIDII EXTINCTA, seu Exercitationes Pacificæ, Ad nonnullas qvæstiones Problematicas, qvæ hodie in Belgio potissimùm moventur.

Amstolædami 1682. in 4.

BElgium nimirum, exortô Cartesianismo & Coccejanismo, in duas abiit factiones; qvibus sua etiam nomina, inter plures alios, dederunt Leydekkerus & Allinga. Ille contra Cartesianos & Coccejanos in lucem publicam emisit Facem Veritatis; qvam cùm à se refutatam, tametsi nondum editam esse, fassus esset Allinga in præfatione, Erotematibus suis præfixa, ægrè id ille tulit, facemqve suam inextinctam & vi veritatis nunqvam extingvendam esse, gloriatus fuit in Corollario disputationis 22. Febr. A. 1679. habitæ. Qvô in arenam se provocatum esse putans Allinga, Refutationem illam, qvam hactenus in scriniis suis reservaverat, evulgavit, *ut ita*, ceu loqvitur ipse in præfatione, *Fax illa dissidii, ad confusionem vanæ Professoris jactantiæ, penitus ac omnino extingveretur*. Hinc Titulus Libri; qvi proinde non de Pace, sed de Triumpho est accipiendus, qvem super Face veritatis Leydekkeri (*face falsitatis & dissidii* jam ante Allingam *à Burmanno in Narrat. p. 27.* dictâ,) canit. Qvemadmodum etiam qvæstiones has in Titulo qvidem problematicas vocat; parum tamen Orthodoxè Leidekkerum inter probandum agere, capite statim primo §. 6. censet. Totum itaqve scriptum cùm sit Elenchticum, vestigia etiam Adversarii sui ubiqve premit, eundemqve ordinem observat, & verbis ejus plenè allegatis suas subjicit responsiones, postqve octo & octoginta capitâ finem operi in octogesimo nono imponit.

Obser-

Digitized by Google

TAB. VIII. ad A. 1682 pag. 161.

fig. 3.



fig. 3.

fig. 3.



fig. 4.

fig. 2.



fig. 1.

Digitized by Google

OBSERVATIONES QVÆDAM ABBATIS DE Catelan, Oculos Insectorum concernentes, ex Ephemeridibus Eruditorum Parisiensibus

n. XXIV. 1680. n. XII. & XVIII. 1681. *excerptæ.*

INter reliqva, qvibus Insecta nos in sui naturæqve providentiæ admirationem rapiunt, *Dn. Catelan* horum oculos refert, dispari satis ratione & numero in illis conformatos. Sc. gaudere, inqvit, *primò* eorum multas species, etiam minutissimas, y. g. pediculos, pulices (sqvammis munitos) & exigua illa animalcula, qvæ in canistris, & scatulis, muscarum aut papilionum, qvibus vescuntur, cadavera continentibus, reperiuntur, ac tineas, qvæ æstate chartas, libros, mensasqve transcurrunt, qvarum figuram Tabula VIII. n. 1. exhibet, instar animalium majorum, duobus saltem oculis nigris, rotundis, satis duris & magnitudine corpori reliqvo proportionatis, in qvibus tamen nullas adhuc palpebras deprehenderit. Econtra & *secundò* aliorum insectorum capita naturam pluribus, qvamvis eò minoribus, oculis stipasse: illorum nempe, qvibus numerus tantus necessarius videbatur, i.e. maximæ alatorum partis. Et inter hæc qvidem alia nonnisi unam saltem oculorum speciem gestare, sc. Scarabæos, exceptis cornutis paucisqve aliis, qvi integrâ oculorum serie globulos binos, ad latera capitum prominentes, oppleant, qvod itidem in papilionibus proboscide instructis, observare contingat; Dum contrà culicum cristatorum capita, loco harum eminentiarum globosarum, circulus protuberans cingat, qvi totus oculis obsitus cernatur, qvem circuitum nominatus Observator in Fig. 2. lit. L. M. ex viridi rutilantem, totidemqve qvasi adamantibus ornatum testatur. Ab eminentiore verò ejusdem culicum capitis parte T, cujus color ferè gryseus, duas prodire cristas plumatiles, ex fusco rubicundas, in qvarum medio proboscis ejusdem coloris N, sceptrum æmulans, conspiciatur; lateribus autem earum alias binas adstare, qvarum caules, crystallinam pelluciditatem ostendentes, nodis multis, ab omni sui parte infinitas plumas, aurei coloris, emittentibus, gaudeant. TAB. VIII.

Alia verò horum insectorum genera v.g. muscas, formicas volatiles, & perlas seu libellas, qvas Gallicè Demoiselles, germ. Jungfräulein appellant, pluraqve alia, oculos diversæ molis & situs habere, i.e. præter tres majores in antica capitis parte, à *Domino Hire* annotatos, infinitos minores in lateribus & vertice ejusdem. Nimirum sine microscopio in cunctorum horum capitis lateribus duos exiles deprehendi globulos, in muscis ignei, in reliqvis speciebus alterius coloris, qvos ratione numeri, situs & splendoris binos animalculorum horum oculos crediderint; astmicroscopii applicationem duas has eminentias oculis pluribus stipatas & ornatas manifestâsse. Et qvidem in Musca vulgari, secundum Fig. 3. qvæ caput animalculi denotat, in eminentiis B D E magnitudine uvas minores oculos hos æmulari asserit, tres verò majores literis AAA designat Noster. Ambiguus nihilominus, an granula illa exigua lateralia revera totidem oculi essent, bina hunc in finem adornavit experimenta. Nempe primò delineatas muscarum nonnullarum eminentias BDE pice molliore, aliarum capitis apicem, ubi oculi majores AAA, cerâ sigillatoriâ, ac aliarum deniqve omnes has partes simili materiâ obtexit, cunctas verò phiolæ vitreæ immisit, observavitqve semper, qvod duæ priores muscæ, qvibus saltem partes aut AAA aut BDE erant incrustatæ, evolarint, imò postmodum fenestram petierint, qvasi visu satis claro adhuc pollerent: dum reliqvæ, qvarum cunctæ illæ tres proturantiæ cerâ aut pice obvolutæ, leviter saltem in phiola se converterent; exemptæ verò, instar cœcarum, palpando progrederentur, & nunqvam evolarent. Deinde partes AAA & BDE qvàm accuratissimè & subtilissimè à cute separavit, atqve harum faciem inferiorem per microscopium inspiciendo sub AAA tria foramina trianguli I L M, apicibus AAA respondentia, sub BDE autem innumera foramina, in schemate CGH expressa, deprehendit: ita qvidem, ut tria foramina majora ILM aut AAA obvelata fuerint membranâ tenuissimâ & pellucidâ, qvæ rugosa & in diversis locis sangvine tincta observabatur, probabiliter ob rupta ac discissa vasa ac fibras cerebri, qvæ in insectis cum his partibus communicant.

Ast in parva Libella, (notantur enim hujus tres species, magnitudine distinctæ) qvæ Fig. 4. delineata nudo oculo paulò gracilior pau-

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. IX. ad A. 1682. pag. 163.

fig. 1.



fig. 2.



Digitized by Google

pauloqve longior muſcâ communi apparet, alis rectis ac pedibus brevioribus atqve, inſtar Lacertarum, diſtractis gaudet, cute rugosâ & muſci colore tincta, caudâqve in bifurcatum mucronem abeunte, ſeu ſetis albis duabus inſtructa eſt, inter duo hujus cornua pellucida ſeu antennas, tres magnos & virides oculos conſpici, idem *Catelan* perhibet, qvorum duo EE tertio paulò majores exiſtant: præter laterales autem eminentias, exiguis admodum atqve innumeris oculis ſtipatas H g, in vertice qvaſi pileolos ſeu mortariola duo rutilantia, d.c.b. & D G C aſſurgere, pariter oculis multis exilioribus & cœlum ſpectantibus ornata.

PETRI M. KAVINÆ GEOMETRÆ FAVENTINI, Cometa Anni 1680 & 1681, & in eundem Aſtronomici conatus, atqve Phyſicæ meditationes,

Faventiæ 1681, fol.

COmplectitur hoc Schediaſma duas, titulo indice, partes: qvibus hiſtoria Cometæ, à 24. Dec. ſt. Greg. 1680, ad 9. Febr. 1681, ab *Autore* obſervati, brevibus præmittitur.

In priori, cum per qvatuor Problemata, ex datâ Cometæ altitudine & Azimutho, Solisqve loco, ad Obſ. d. 25 Dec. hor. o. 40 ab occaſu Solis habitam, Cometæ declinationem & Aſcenſionem rectam, longitudinem, latitudinem, tempus occasûs, & tunc amplitudinem occiduam Cometæ; Solis porrò hoc poſteriori tempore profunditatem, & circuli verticalis per Solem ducti amplitudinem occiduam deduxiſſet: Problem. V & VI novam diſtantiæ Cometarum à Terrâ inveſtigandæ rationem, ſuppoſitâ prius cognitâ extremi caudæ Cometicæ TAB. IX. altitudine & Azimutho, inſuperqve projectione ejusdem in partem, præcisè à Sole averſam, proponit.

Cui intelligendæ, ſit in Fig. I, A Terra, ad Semidiametrum orbis annui puncti inſtar habita; DG, Horizontis aſtronomici & ſimul orbis annui portio, differentiam azimuthalem Solis, & extremi axis Cometæ T menſurans; C, Cometæ corpus, qvi in eâdem cum Sole ſuperficie ſphæricâ moveri interim intelligitur: ductæqve ſint ex A rectæ, ad B, Solem ſub Horizonte per arcum D B merſum, C, Cometæ caput,

& T extremum caudæ Cometicæ C T: Assumatur A D sive AB, tanquam radius, partium 100000, ut habeatur EB, sinus rectus primus, & A E complementi arcûs DB. Et sit altitudo extremi caudæ Cometicæ T (ubi nihil *Autoris* refert, ipsa Axis extremitas punctum hoc sit, an minus, dummodo ejusdem puncti capiatur altitudo & Azimuthum) angulus GAT, aut GAH; hujusqve Tangens GH.

Factâ deinde, beneficio Perspectivæ, IF æqvali ipsi E B, producantur ambæ æqvaliter ad L punctum lineæ AT, & N, junganturqve rectis NL, BF; hisqve portò parallelæ ducantur TV, VR, RS, ST, occurrentes rectis, exA per L, N, B, F ductis, in punctis T, V, R, S.

Ductâ jam EI, eâqve & angulo dato EAI per rectam AX bifariam divisis, habetur in triangulo EAX, rectangulo ad X, ex angulis & latere AE, latus XE, & inde tota EI.

Habetur etiam in Triang. AEN, rectangulo ad E, ex latere AE, anguloqve NAE, latus EN; & addito EB, tota BN, & huic æqvalis FL: ex qvo in parallelogrammo rectang. BNLF, diagonalis BL & angulus NBL; ex hôc verò & latere EB, in Triang. EBQ, rectangulo ad E, latus EQ; & ex hoc QX ignorari neqveunt.

Pro habendo autem angulo DAC sive EAQ, sub qvo Cometam in puncto C plani Horizontalis, juxta data & suppositа, apparere oportuit, in Triangulo QXA, ex latere QX, & AX (qvod habetur Qvadrato lateris EX, ablato ex Qvadrato lateris AE) inventus angulus QAX subtrahatur angulo EAX, & habebitur angulus EAQ, distantia azimuthalis Cometæ in Horizontis puncto C, à verticali Solis in B.

Atqve ex hujus sive æqvalitate cum differentiâ Azimuthali; per observationem acqvisitâ, sive differentiâ ab eâdem, judicium *Autori* instituitur de fede Cometæ.

Indicat enim differentia Azimuthalis, circuli verticalis per Solem ducti, & Cometæ { æqvalis / minor / major } { ang. EAQ. / Cometam } { Soli æqvidistantem. / Sole { superiorem. / inferiorem. }

Cum ergò *Autori* differentia Azimuthalis ex Probl. III & IV deducta, 52 minutis minor sit angulo dicto:

Jam in Probl. VI ex prius datis, distantiam Cometæ (missis, ob ingen-

ingentem ejusdem distantiam à Terrâ, circa parallaxin altitudinis, aliaqve, scrupulis) ita determinat:

Sit in Schemate II. A Terræ globus, pro puncto usurpatus, B Sol in repertâ & calculatâ profunditate, C Cometa, AD Semidiameter orbis Solis in loco noto ab Apogæo, DB arcus profunditatis Solis, sub Horizontis plano vel circulo. Assumatur AD, uti radius, 100000; AF, DB, FB, uti prius; & huic parallela & æqvalis demittatur AY, perqve eas agatur planum AYBF. Qvoniam verò ducta linea à centro Solis ad extremum axem Cometæ visum in M, ab eodem plano divergere debuit per angulum AYH, in præmisso Probl. NBL vel EBQ: fiat planum HYLC, inclinatum super plano AYBF, per angulum AYH, qvorum planorum inclinatio sive divergentia in horizontali plano ac circulo mensuretur per arcum horizontis DG, cujus angulus sit DAG, respondens angulo præmissæ figuræ EAQ vel DAC; ubi apparere debuit Cometa, si per eandem cum Sole distantiam incederet, ut redigeretur in rectâ lineâ BM. Sed qvia visus est in acutiori angulo differentiæ azimuthalis à Sole, hic repræsentetur per angulum IAC: hoc enim modo servabitur angulus inclinationis axis Cometicæ caudæ, nempe CM, in eodem plano sive inclinatione AYH, prout etiam angulus visus seu observatus IAC.

Excitatis jam super plano horizontali ZAP, sub angulo A (cujus mensura est in Fig. I arcus DG) & ad easdem partes, perpendicularibus RF, TS, producatur secans AT anguli altitudinis visæ caudæ, usqve ad visum apicem in M.

Capiatur dati arcûs DG, ubi Cometa apparere debuit in eâdem cum Sole distantia, tangens, & transferatur ad C, distantiam competentem angulo IAC: & fiat, ut anguli IAC tangens, ad tangentem dati arcûs DG; ita radius AG, ad AC, Cometæ distantiam à Terrâ, in partibus, qvarum semidiameter orbis annui est 100000.

Reliqvis deinde Problematibus, Magnitudinem Cometæ veram, Caudæ vergentiam, longitudinem, distantiam extremi apicis à Terrâ, ex Fig. II; apparentem motum, inclinationem orbitæ & nodos, Perigæum, hypothesin Astronomicam itineris Cometici, per peculiaria Schemata deducit & explicat.

In alterius partis Meditatione Imâ, Veterum Pythagoræorum,

à nonnullis hodiè interpolatam, sententiam, de æternitate, certoqve reditu Cometarum, cùm ad necessaria hypotheseos geometricæ connexa, tùm ad Cometarum, hujus præcipuè, apparentias ita examinat, ut eam geometricis, physicis, opticisqve argumentis labefactari, impossibilemqve adeò Cl. D. Gallet Avenionensis, in Observationibus hujus Cometæ ad se missis futuros Cometarum reditûs, loca & tempora prædicendi rationem promittentis, ausum affirmet.

Ildâ, transit ad Sectam alteram, Generationisqve Cometarum modum verbis Hippocratis l. 1. de diætâ, sect. 6. n. 7. effert: *Generari idem est qvod commisceri; perire, corrumpiqve, ac minui, idem, qvod secerni.* Qvâ ratione admissâ, cœlorum corruptionem ex hypothesi hâc metuentibus succurri posse pronunciat.

Trajectorium Cometis motum, per convexam ad nos qvalemcunqve lineam, Med. Illtiâ describit; impulsum verò, motûsqve cæteras vices, moli Cometæ, turbinationi & facultati Solis, ætheris rarioris interventui, Planetarumqve radiationibus tribuit; Cometæ præcipuè præsentis, ante Solem m. Novembri, dein post eundem conspicui (adeoqve pro uno ab *Ipso* recensiti) phænomena scitè admodùm ex causis allegatis deducit; ut & Med. IVtâ, immutatam caudæ longitudinem, observatamqve ejus à centrali Solis directione deviationem. Vtâ, duas Stellas, unam d. 4 Febr. in Triangulo, cum long. gr. 7. 28 ♓, lat. boreâ gr. 18. 32, magnitudinis qvintæ; alteram d. 22 Jan. in Andromedæ femore australi, qvartæ magnitudinis, long. gr. 3. 10 ♓, lat. bor. gr. 29 ferè observatas sibi, novas, ex collatione cum Catalogis Fixarum, in hanc diem extantibus, statuit. Ultimò deniqve significationem malorum, Cometis aliàs tributam, præcipuè huic, abjudicat: subnexisqve ad Cl. Maliabechium literis, curvaturæ Caudæ Cometicæ in Australem, Lovanii perpetuò observatæ, causam non inconcinnè reddit.

Cæterùm circa ea, qvæ distantiis Cometarum definiendis retulimus, B. L. notare velimus: calculi capita ab Autore *recensa, ea propter à nobis omissa, qvod Problematum horum usum generalius constitutum fuerit ostendere. Cum verò* Cl. Autor *eadem adduxerit,* ut si qvis calculandi error irrepserit, faciliùs ab Astronomis deprehendi posset, cum

Digitized by Google

cum ſibi technas obtrudere animus non fuerit: *fraudi credo apud* V. Doctiſſimum *nobis non erit, indicaſſe, quæ calculum* Ejus *repetentibus diverſa fuerint comperta.*

Et in Probl. quidem IIdo, non ipſe angulus NLG, ſed ejus complementum ad maximam Solis declinationem, i. e. arcus OF, à quadrante BF videbatur ſubtrahendus: ex quo arcum BO 36; GI, latitudinem Cometæ, 41 minutis majorem; CBG verò, ſeu longitudinem, uno minuto minorem nacti ſumus. In IIItio, arcus ED nobis eſt gr. 11. 12; & inde in Probl. IVto, ED gr. 19. 22, correctisque reliquis, amplitudo occiduæ circuli verticalis per centrum Solis ducti, gr. 20. 10.

In Vto porrò, latus EN, facto, ut Sinus totus, ad AE; ita Tangens anguli NAE, ad latus EN, emerſit 90865; quod Autori *(procul dubio loco Tangentis Sinum uſurpanti) ſaltim eſt 66527. Hinc calculo quatenus oportebat correcto, angulus hujus Probl. EAQ nobis non integro minuto minor eò, qui eſt ex ſubtractâ Cometæ Probl. III, à Solis, Probl. IV repertâ amplitudine, Cometam paulò infrà Solem, viciniſſimum tamen (quippe vix 15. gr. ab ipſo diſtantem) conſtituit.*

Ex quo Dn. Kavinæ, Aliisque *etiam, cum* Ipſo *unum Cometam ex matutino veſpertinoque facientibus, tantò fidentius jam decernendum fortaſſis fuerit, de Cometâ in viciniâ Solis, ab inſtituto curſu in viam diverſam tàm violenter abrepto: ut mutatio adeò inſignis, inclinationis orbitæ non gratis facta aſſeratur.*

Nobis certè hæc una cauſa fuit, adnotandorum, quæ in calculo Autoris *animadvertimus; diſſimulaturis cæteroqvin, quantumcunq; etiam* Clmus *hunc* Virum *labi contigiſſet: cum id laudis nihil, aut egregiis* Ejus *cogitatis detracturum, aut Nobis comparaturum fuiſſet; facili utique & calculi lapſu, & erroris deprehenſione.*

Non alienum autem duximus coronidis loco annectere, qvæ benevolè ex Angliâ ſubmiſſa ſunt,

COMETÆ ANNI 1680 & 1681 LOCA EX Obſervationibus Grenovici propè Londinum habitis deducta,

per JOHANNEM FLAMSTEDIUM,
Aſtronomum Regium.

Tempo-

	Tempora post mer.	Longit. Cometæ.	Latit. Borea	Caudæ Deflex.
	H. /.	S. o. /.	o. /.	o. /.
Dec. 12	4. 46	♑ 6. 33	8. 26	0. 49 Au.
21	6. 32	♒ 5. 8	21. 45	
24	6. 12	18. 49	25. 23	
26	5. 14	28. 24	27. 1	
29	7. 55	♓ 13. 12	28. 10	5. 9.
30	8. 2	17. 37	28. 11	5. 57.
Jan. 5.	5. 51	♈ 8. 49	26. 15	6. 28.
9	6. 49	18. 43	24. 13	
10	5. 54	20. 41	23. 44	
13	6. 56	25. 59	22. 17	
25	7. 44	♉ 9. 36	17. 57	
30	8. 7	13. 19½	16. 41	
Feb. 2	6. 20	15. 14	16. 2	
5	6. 50	17. 0	15. 27	

Cometæ loca abejus à Fixis distantiis, Sextâte Telescopico, pedum ferè septem radio, captis fuêre derivata à meipso, adhibitis etiam ad hoc negotium Fixarum locis, è propriis Observationibus deductis; Tychonica siqvidem tria, qvatuor & nonnunqvâ qvinq; integra scrupula prima à veritate abesse comperi.

JO. CHRISTOPHORI RUMETSCHII,

Schediasma Historico-Theologicum de Conjecturis Ultimi Temporis

Francofurti ad Mœnum 1681. in 8.

INter alia hic Autor post institutum brevem Discursum de Judæorũ vel Conversione vel in terram Canaan reductione, sub examen revocat falsas Hypotheses Scriptoris Anonymi, cui per Gallicũ Anagrammatisinum, HABITE EN SION, nomen suum occultare placuit, in *Judæorum Excitabulo Matutino*, sive *Judæo Reduce* (nam ita inscripserat Librum) sparsas. Qvia verò Anonymus iste nihil aliud præstitit, qvàm ut *Judæorum*, *Chiliastarum*, *Origenistarum*, *Weigelianorum*, *Photinianorum*, *Muhammedanorum*, *Fratrum Rosæ Crucis* &c. affanias novo qvodam interpolarit mangonio, hinc & Rumetschio satis visum, fontes saltem, unde sua paradoxa hausit Anonymus, indicare, & ad scripta sive Veterum sive Recentium Scriptorum provocare, ubi jamdudum sunt proscripta omnia ista ex Orco revocata Principia, qvæ si indicata solùm fuerint, pro impiis rejiciantur.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Junii, Anno MDCLXXXII.

MARCI VELSERI,

Reipubl. Augustanæ quondam Duumviri, Opera Historica & Philologica, sacra & profana.

Accurante

CHRISTOPHORO ARNOLDI,

Noribergæ, 1682. in fol.

UTI non uno nomine literatum orbem obstrictum sibi dudum habet vir clarissimus *Christophorus Arnoldus*: ita novâ hac Operum Marci Velseri editione denuo meritus de eodem est præclarè. Quotusquisque enim Eruditorum est, qvi non optimè consultum putet rei literariæ, recusis ac publico velut redonatis egregiis Velseri monumentis, qvæ longo jam tempore nullo pretio potuerunt comparari, & legi tamen ac pervolvi diligenter ab omnibus omnino merebantur? Non fert instituti ratio, ut in laudationes clarorum virorum excurramus: ast sic tamen nobiscum omnes sentient, qvibus Velseri commentarios inspicere contigit, ut fuit vir in omni virâ literarum amantissimus, ac in ornandis iis promovendisqve incredibili studio, ita Boicas præcipuè Antiqvitates neminem eo certiùs seruisse, aut illustrâsse rectiùs; qvem proinde ducem seqvi, spretis *Aventini* commentis, qvi Bavaricæ post illum Historiæ manum admoverunt, *Brunnerus, Raderus, Adlzreuter, Rettenpacher*, nulli dubitârunt.

Præmittitur autem novæ huic Operum illius editioni Præfatio Arnoldi, qvâ instituti sui Clarissimis viris, *Joachimo Camerario, Nicolao Heinsio, Constantino Hugenio Zulichemio, Fr. Ben. Carpzovio, Antonio Magliabechio, Frid. Spanhemio, Jac. Gronovio, Henr. Meibomio,*

Henr. Gümth. Thulemario dudum probati, ac ab iisdem liberali operâ promoti, rationem reddit; doctorum simul virorum de singulis Velseri libris judicia encomiaqve exhibet; & postremò temere ac inexplorate à nonnullis librum, Italico primùm idiomate editum, pâst in Latinum qvoqve lingvam translatum, *Squittinio della Libertà Veneta*, *Scrutinium libertatis Venetæ*, qvo Venetæ Reipublicæ libertas oppugnatur, à *Theod. Graswinckelio* & *Raph. de Turri* contrà peculiaribus Scriptis asserta, Velsero nostro adscribi monet. Præfationem *Vitæ, Genus, & mors Marci Velseri* anno 1558 nati, anno 1614 verò denati, *per* eundem *Christophorum Arnoldum* descripta excipit, qvâ & lectu digna alia, præcipuè de Ferdinandi Archiducis Austriæ cum Philippinâ Velserâ conjugio, ac Venezuelâ Americæ Orientalis provinciâ, à Velseris Caroli V. imperatoris permissu multis annis possessâ, continentur: & Velseri nostri illustre genus, qvod à Belisariis & sexto post orbem redemptum seculo derivatur; familiæ illustres cognatæ ac affines; insignia Gentis; Majorum res pace belloqve gestæ, & qvibus fulserunt, cùm Ecclesiasticæ, tùm Politicæ Dignitates; ipsius Velseri studia, honores, amici, libri nomini illius inscripti, vel auspiciis etiam ac ope ejus editi, similiaqve fusè pariter ac doctè enarrantur; Subjectis insimul Elogiis, qvibus Velseri funus ac memoriam Clarissimi per Europam viri jam olim prosecuti sunt. Adeò Velsero, etsi seriùs qvàm par erat, obtigit tamen felicitas eadem, qvæ diu antè amicissimis ejus coætaneis *Peirescio* ac *Pinello*, qvorum illum Gallia, hunc Italia, perinde ac Velserum Germania, ingentia inter decora sua numerat, ut virtutum suarum ac in bonas literas meritorum præconem nanciscerētur laudatum virum, nec magis *Velserum Arnoldi*, qvàm *Gassendi Peirescium*, vel *Pinellum Gvaldi* pudere unqvam possit.

Ipsâ Velseri opera hoc ordine exhibentur:

I. *Rerum Boicarum libri qvinqve*, Historiam à gentis origine ad Carolum M. complexi, & Augustæ Vindelicorum primùm anno 1602. editi.

II. *Rerum Augustanarum Vindelicarum libri octo*, Venetiis qvondam anno 1594 excusi; qvibus à primâ Rhætorum ac Vindelicorum origine ad annum usqve 552 à nato Christo, nobilissimæ gentis Historia & Antiqvitates traduntur, ac antiqva Monumenta, tam qvæ Augustæ, qvàm qvæ in Agro Augustano, qvin & qvæ alibi

alibi extant ad res Augustanas spectantia, æri incisa & notis illustrata exhibentur.

III. Opuscula nonnulla diversorum Auctorum à Velsero è tenebris in in lucem eruta, & magnam partem Commentariis illustrata. Scilicet *Conversio & Passio S.S. Martyrum, Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, quæ Augustæ Vindelicorum passæ sunt: Vita S. Udalrici Augustanorum Vindelicorum Episcopi: Vita S. Severini ab Eugippio descripta: Narratio eorum, quæ contigerunt Apollonio Tyrio.*

IV. *Fragmenta Tabulæ Antiquæ Itinerariæ, à metatore quodam, ut videtur, olim delineatæ, sed magni in Geographia usus*, à Celte primùm in qvadam Bibliothecâ repertæ, pòst ad Conradum Peutingerum delatæ, ex Peutingerorum Bibliotheca à Velsero cum eruditâ Præfatione edita, & Commentariis illustrata.

V. *Marci Velseri Epistolæ Latinæ & Italicæ ad viros Illustres*, Josephum Scaligerum, Justum Lipsium, Robertum Titium, & alios, qvæ nunc primùm prodeunt.

Denique Velserianis monumentis visum Editori fuit *Sauli Merceri Virgilium Proteum* ab Henrico Meibomio qvondam Marco Velsero dicatum, nec non *Publilii Optatiani Porphyrii Panegyricum Constantino Augusto dictum*, cum Spicilegio notarum Clarissimi Daumii subjungere.

JOH. CASPARI SVICERI, Canonici & SS. Lingv. Professoris Tigurini, THESAURUS ECCLESIASTICUS ex Patribus græcis ordine Alphabetico concinnatus.

Amstelodami Anno 1682. in fol.

Singulari qvadam illecebrâ, & bene de Ecclesia merendi cupidine ad Lingvæ Græcæ studium, inprimis verò ad Antiqvitatis Ecclesiasticæ Scriptorum, qvos Patres vulgò appellamus, lectionem raptus Autor Doctissimus, in eo maximè à primis statim Professionis suæ annis sibi semper existimavit elaborandum, ut nulla extarent Ecclesiæ Luminum, vel etiam aliorum Scripta Græca, qvæ non sedula volveret manu & ἀξιομνημόνευτα inde excerpta in suas conjiceret chartas. In

Digitized by Google

hoc propositō cùm obnixè annorum plus viginti indefessō studio & continuis pergeret laboribus, id est consecutus, ut eum, qvem hic exhibemus, collegerit, ac ordine alphabetico concinnârit *Thesaurum Ecclesiasticum*. Qvale scriptionis genus à multis hactenus frūstra expetitum fuerat. In hoc enim Thesauro omni auro pretiosiore, non tantùm voces ac loqvendi modi apud Patres qvidem Græcos obvii, sed à Lexicographis vel prorsus omissi vel jejunè satis tractati, verùm etiam varii Veterum ritus, atqve dogmata Orthodoxorum æqve ac Heterodoxorum apparent. Multis in locis Heterodoxorum & Hæreticorum nugæ & impiæ sententiæ ex ipsis refutantur Patribus Orthodoxis. Loca Scripturæ, qvavis oblata occasione, ex Antiqvitate illa sancta exponuntur. Summâ, vix qvidqvam apud Patres Græcos occurrit notatu dignum, qvod non ex eruditissimis temporum nostrorum Scriptoribus explicetur. Ut autem Lector memoriæ habeat subsidia, necessarii, iiqve copiosissimi adjiciuntur Indices. *Unus* Autorum, ex qvibus hic Thesaurus est collectus, addito loco & anno impressionis: *Alter* Locorum Scripturæ hîc explicatorum: *Tertius* Rerum ac Verborum in toto Thesauro occurrentium. Cæterum uti hoc ad Cleanthis lucernam elaborato opere immortalem sibi famam Autor antehac ex scripto non uno Clarissimus concilia vit, ita sanè multum lucis bonis Literis fœnerabitur, si qvod promisit in præfatione, ac eruditus orbis nunc avidè expectat, cum *Lexico Græco minori*, qvod sub prelō sudat, *alterum* etiam *Lexicon Græcum Majus*, qvod immensō ferè labore collectum, & methodo naturali dispositum, omnes omnino voces exhibebit Græcas, additis ubiq; exemplis & variis significationibus distinctè propositis, idq; in duos in folio tomos distributum, publicæ luci propediē donaverit.

CAROLI RENALDINI
Operum Philosophicorum Tomus primus, Rationalem Philosophiam complectens, in Dialecticam, Rhetoricam, & Poëticam distributam.

Patavii, 1681. in fol.

INtegro eqvidem opere Philosophiam tripertitam, *Rationalem*, *Naturalem*, atqve *Moralem* tradere; præsertim Physica ex accuratis Naturalium

lium effectuum obſervationibus deducere, & ubi rei natura illud ferr, Geometricè demonſtrare inſtituit Autor, editâ antehac Mathematum Arte Analyticâ Clariſſimus: Hoc primo tamen Volumine non niſi partem Philoſophiæ primam nobis exhibuit, Diſſertationibus Dialecticis, Rhetoricis, atqve Poëticis ita comprehenſam, ut videatur alicujus in Ariſtotelis Organon, in Rhetoricorum, & de Poëtica libros Commentarii vicem præſtare poſſe.

Ac ipſis qvidem Diſſertationibus *Præfatio* luculenta in univerſam Philoſophiam præmittitur, de nomine, dignitate, partitione, ortu, & incremento Philoſophiæ, de variis olim Philoſophorum ſectis, diverſiſqve etiamnum philoſophandi rationibus. Sic enim in contemplatione rerum verſari obſervat nonnullos, ut alicujus autoritate contenti curam omnem in verbis perpendendis & interpretandis ponant, nihil freqventiùs, qvàm Pythagoricum illud, *Ipſe dixit*, uſurpantes: Alios ſibi arrogantes nimium, nullo prorſus duce, audere ſeſe contemplationum oceano committere: In câ rurſus qvosdam eſſe ſententiâ, ac ſi, conſtitutâ hypotheſi qvalicunqve, naturæ penitiores receſſus explorarint, modò Phænomena decretis hypotheſeos ad amuſſim reſpondere demonſtrent: Alios verò inqviſitionem principiorum, rerum, præſertim naturalium, indagini ſubſtruere, & ex his vel naturæ lumine perceptis, vel experimentorum uſu comprobatis diſtinctam effectuum notitiam adipiſci. Qvam poſtremam viam Autor qvoqve hoc in Curſu terendam ſibi duxit ipſe, prioribus damnatis & relictis. Præfationem inauguralis *Oratio* de Rationalis Philoſophiæ laudibus excipit, & hanc aliqva de Dialecticâ cæterarum Facultatum janua *Proluſio*.

Diſſertationes ipſæ *Dialecticæ*, triginta qvidem numero, qvarum qvælibet diverſis ſectionibus conſtat, de rebus Logicis, qvandoqve & Metaphyſicis, agunt, ordine ad libros Stagiritæ in Organo comprehenſos reſpiciente. *Rhetoricarum* diſſertationum prima Naturam Rhetorices conſiderat: cæteræ de Inventione, de probationibus, locis rhetoricis, diſpoſitione, Elocutione, cauſarum generibus, affectibus animi, & amplificatione loqvuntur. In *Poëticis*, qvò & hujus artis natura plenius intelligatur, primo loco Poëticæ, Poëtæ, Poëſeos item, & Poëmatis nomina evolvit; tum de metro, & imitatione (Autorum) ejusq; vitiis, de cauſis Poëſeos effectricibus, & furore Poëtico: hinc de fictione Poëtica, de fabulâ, de ejus adeoqve & poëmatis ordine, magnitudine, & aliis

proprietatibus, de moribus, & de dictione disserit. Postrema dissertationum in divisione poëmatum, in poësi Dramatica, Tragœdia, Comœdia, Epopœia; in Carmine Bucolico, Satyricoromano, Elegiaco; in Epigrammate, Epitaphio, & Elogio explicandis occupatur. Cui rerum tandem & verborum, qvæ primo tomo continentur, copiosum indicem subjungit.

SEXTI POMPEII FESTI ET MARCI Verrii Flacci de verborum significatione Libri XX. in usum Sereniſſimi Delphini Notis & emendationibus illuſtrati ab ANDREA DACERIO.

Pariſ. 1681. 4.

COmplures Latinos Autores veteres, ad veram ſolidamqve doctrinam Sereniſſimo Galliarum Principi Delphino inſtillandam, clariſſimi literis in iſto regno florentiſſimo Viri hactenus juſſu Illuſtriſſimi Caroli Sancta-Maurii Montauzerii Ducis, Franciæ Paris, ediderunt. Is enim ad opus principalium ſtudiorum bonâ fide promovendum à Rege Chriſtianiſſimo adſcitus, primam ſuam eſſe voluit curam, ut in humanioribus literis digna tanto alumno contingeret inſtitutio. In eâ autem principem locum tenere Veterum Autorum lectionem intelligens, iſtam ut tantò faciliorem Principi ſuo redderet, novam eorum omnium editionem adornari volut: in qvâ amotis omnibus diſcendi moleſtiis, reſectis etiam inutilibus & ſuperfluis commentationibus, nihil admodum ſupereſſet, niſi qvod Principem ad lectionem eorum invitaret, eamqve perſpicuam & planam redderet. Editiones igitur has omnes ita à doctis Viris, qvibus id munus delegaverat ſapientiſſimus Regiæ Juventutis Moderator adornari voluit, ut qvatuor partibus bene conſtitutis priores vulgatas editiones longè antecellerent ſuæ: textu nempe Autoris ad optimos Codices emendato rectéqve conſtituto; interpretatione ejus perſpicuâ & continuâ paraphraſi appoſitâ; annotationibus brevibus & neceſſariis adjectis; ac indice omnium vocabulorum annexo, qvi ad qvævis loca reperienda viam commonſtret. Ad has adornandas ſelectos ex omni genere & ordine viros literatos, propoſitis præmiis ampliſſimis, regiâ munificentiâ invitavit Illuſtriſſimus Dux, operam præclaram conferente PETRO DANIELE HUETIO, cui

cuiin regendis Delphini ſtudiis cum Jac. Benigno Boſſvetio ſecundæ ſunt partes, & qvem Interpretum omnium Commentatorumqve verum dicere poſſis Oraculum: qvod conſulant ſi qvibus in demandato hoc opere hærere contingeret, qvodqve ſolvat dignos vindice nodos. Prodierunt ad hanc normam exacti, diverſo ſuccеſſu, elegantiſſimis typis mundiſſimæ chartæ impreſſi plerique veteres Scriptores Latini; ſed cùm ii, qvi de Lingvâ Latinâ ejusqve differentiis ac proprietatibus Verborumqve ſignificationibus monumenta reliqverant, minùs exculti eſſent, eos qvoqve nitoris iſtius expertes ampliùs haud relinqvendos ſtatuit *Andreas Dacerius*, ac proinde Verrii Flacci, Feſtiqve Pompeji libris curas ſuas impendit. Nimirum ſcripſerat M. VERRIUS FLACCUS nobiliſſimus ſub Auguſto Imperatore Grammaticus, de Verborum ſignificatione libros, qvos in epitomen redegit, præteritis intermortuis & ſepultis à Flacco explicatis verbis, SEXTUS POMPEIUS FESTUS, poſteriorum temporum autor, qvem ſub Imperatoribus Chriſtianis viviſſe veriſimile eſt. Fatum verò qvod experti ſunt pleriqve Scriptores ab aliis in epitomas redacti, Verrium qvoqve Flaccum excepit; nempe ut receptis retentisqve hujusmodi breviculis, ipſi integri Autorum libri tandem perirent, vix bene ſuperſtitibus epitomis. Sanè cùm idem Feſtus ex ejusdem Flacci libris & aliunde congeſſerit alterum Volumen *priſcorum verborum cum exemplis*; præter memoriam ejus Libro X. V. in voce *profanum* ab ipſo relictam, hodie nil ſupereſt. Ipſi etiam de Verborum ſignificatione libri mutili ad nos venerunt, culpâ PAULI DIACONI, qvi magnam à poſteritate ſe inituruм gratiam exiſtimans, ſi Sexto Pompejo faceret qvod is Verrio feciſſet Flacco, inepto ſtudio Sexti Pompeji Feſti de Verborum ſignificatione libros fœdè mutilavit, excerptis prout ipſi videbatur voculis, truncumqve cadaver pro integro corpore nobis reliqvit. Unius tamen tantæ cladi ſuperſtitis libri, ſed detrupati, ad præſtantes eruditione viros, Pomponium Lætum, Manilium Rallum, Angelum Politianum, Aldum Manutium, & Antonium Auguſtinum delati beneficio vita qvaſi Feſto reddita eſt. Nam poſtremus hic ab Achille Maffeo, Bernardini Cardinalis fratre, Feſti Codicem nactus eo locupletiorem qvi ad Aldum Manutium pervenerat, qvemqve is cum Pauli epitome conjunxerat, gemino opere in unum conflato; accuratè notato diſcrimine, qvæ Feſti & qvæ Pauli eſſent Lectores monuit, cumqve Fragmentis

tis qvæ è Bibliothecâ Farnesii Cardinalis nactus fuerat, & Commentariis eruditis in publicum emisit. Post eum Josephus Scaliger, & hunc ecutus Fulvius Ursinus diligentissimam operam Festo præstiterunt, emendationemqve eum dederunt: ita tamen, ut multa intacta posterorum industriæ emendanda & restituenda reliqverint. Igitur ANDREAS DACERIUS auspiciis Illustrissimi Montauserii Ducis Scriptorem hunc illustrare aggressus, infinitas ex isto mendas à prioribus editoribus relictas sustulit, mitas verborum trajectiones detexit, multa supplevit, nonnulla in prioribus editionibus prætermissa addidit, varias Lectiones annotavit, sed eas saltem, qvæ alicujus essent momenti, eruditis deniqve Notis universum Opus illustravit: adeò ut divites antiqvitatis Romanæ thesauros & vera totius eloqventiæ fundamenta Serenissimo Delphino detexisse censendus sit. Neqvaqvam enim putandum, studium hoc circa verborum veras significationes ingenia saltem humilia occupare, qvod altissimam exercere eruditionem & scientiam potest: siqvidem, dicente Fabio, non obstant per eas euntibus, sed in iis hærentibus hæ artes Grammaticorum.

ANTIQVITATES ECCLESIÆ ORIENTALIS, Clarissimorum virorum, Card. Barberini, L. Allatii, Luc. Holstenii, Joh. Morini, Abr. Ecchellensis, Nic. Peireſcii, Petr. à Valle, Thom. Comberi, Joh. Buxtorffii, J.H. Hottingeri &c. Dissertationibus Epistolicis enutleata. Qvibus præfixa est Joh. Morini Congr. orat. Paris. PP. vita.

Londini 1682. in 12.

QVòd clarorum virorum epistolæ ac vitæ multum lucis rei literariæ adferant, novo exemplo nuper docuit Autor, qvi *Johannis Morini* vitam & Epistolas inter P. Ameloti libros, post ejus obitum repertas, publicavit. Nam ex illis cognosci potest, qvò animi consilio vir ille doctissimus, non solùm *Pentateuchum Samaritanum*, & *Exercitationes* in illum ediderit; sed & cur, anteqvàm hunc publicaret, *LXX. viralem versionem* codicis S. *Græcam* cum nova præfatione, & postea alia opuscula evulgaverit. Nempe erat Morino ingenium excitatum & glo-

& gloriæ cupidum: qvod ut desertâ prius Religione Reformatâ, adprobaret Ecclesiæ Romanæ ejusqve capiti R. Papæ, librum primò de *Patriarcharum & Primatum origine & antiqva censurarum in cleros praxi*, composuit, in qvô Pontificis R. regimen monarchicum adstruere laboravit. Sed eùm hujus operis minus accuratè scripti ipsum mox pœnituisset, opus molitus est novum edendo *Pentateuchum Hebræo-Samaritanum*, cujus Manuscriptum Parisiis è bibliothecâ Societatis suæ acceperat. Autor ejus instituti ipsi fuit Cardinalis Berullus, Congregationis Oratorii Parisiensis dictæ patronus: qvod Petrus à Valle, qvi annos duodecim in Oriente vixerat, communicato ipsi novo manuscripto Samaritanô, adjuvit. Inde Morinus postea *Exercitationes in Pentateuchum Samaritanum* conficere cœpit, & nactus ex Anglia novos codices Samaritanos, etiam *varias lectiones*, sub nomine *opusculorum Hebræo-Samaritanorum* Parisiis seorsim edi curavit. Scopus Morini in hoc opere fuit præcipuus, *αὐθεντίαν* & authoritatem codici Hebræo S. detrahere, & contra Protestantium doctrinam, ejus versionum, inprimis *Vulgatæ*, autoritatem extollere. Qvemadmodum ipse in Epistolâ ad Cardinalem Barberinum fatetur, *Vulgatam editionem fontibus Ebraicis multò puriorem ac limpidiorem fluere*. Videtur tamen postea sui oblitus esse, cùm Ludovici Capelli Criticam S. Cardinali Barberino commendans, vulgatam versionem corruptam esse Bellarmini & Baronii testimoniô comprobat. Antagonistæ, qvos ob novi Pentateuchi sui Samaritani consecrationem habuit, in vita & Epistolis ipsius memoratis vel allegantur vel notantur, ut Simeon de Muis liter. Ebr. apud Parisinos Prof. Reg. Taylorus & Bootius, Anglus ille, hic Batavus, Joh. Heinricus Hottingerus & Johannes Buxtorfius, ad qvem Epistolam in hoc libro LXX. scripsit prolixam, probaturus *Puncta vocalia apud Judæos recentia esse*. Inter Epistolas heic collectas, curiosiores sunt I. & II. qvarum *illa* est Synagogæ Samaritanorum, qvæ est in urbe Sichem seu Napolous ad Cl. Vir. Josephum Scaligerum, interprete Morino, qvâ fidem ritusqve suos exponunt, & qvâ in re à Judæis discrepent, simul declarant: *Hæc* est Samaritanorum in Ægypto commorantium ad eundem Jos. Scaligerum de eodem argumento. Continent & cæteræ res ad historiam versionum Biblicarum, rituum sacrorum, & chronologiam Muhamedanorum pertinentes, non vulgares, qvæ ut exscribantur hic, ratio nostri instituti vetat.

D. MATTHIÆ ZIMMERMANNI,

Pastoris & Superintend. Misenensis

De Presbyterisis Veteris Ecclesiæ

Commentariolus.

Annæbergæ, A. C. 1681. in 4to.

Cùm qvadriennio abhinc Cl. *Zieglerus* eruditum suum de Diaconis & Diaconissis Veteris Ecclesiæ Commentarium edidisset, amicâ qvadam æmulatione accensus Commentarioli hujus Autor, Presbyteras in theatrum orbis Literati producere animum induxit. Eô igitur consiliô, qvales Presbyteras Ecclesia Primitiva habuerit, qvæ ministeria obierint, an & qvomodo ad functiones suas initiatæ fuerint, qvando & qvamobrem abrogatæ fuerint, nec non qvid discriminis Presbyteras inter & Diaconissas (qvas ab *Holstenio in Dissert. de locis qvibusdam Concilii Niceni*, Valesianis ad Theodoretum Annotationibus & observationibus subjunctâ, perperam confundi probat) extiterit, disqvirit. Qvod dum facit, Scripturæ loca, Patrum dicta, & Canones Ecclesiasticos, in qvibus Πρεσβυτίδων mentio fit, Variorum Autorum, & inprimis *Christiani Lupi*, qvi è suis ad Tertullianum de Præscriptionibus Scholiis haud pauca contribuit, observationibus illustrat, Presbyterarum occasione etiam ad Presbyteros digrediens, & qvæ de illorum nomine, dignitate, ordinatione, ætate, numerô, officiô, sportulis, conjugiô, & de variis eorundem generibus passim notata reperit, exponens. Anteqvam autem ad Presbyteras accedit, nonnulla de fœmineô sexu in genere præfatur, & in fine dissertationis de *Jesuitissis* per Urbani VIII. Bullam extinctis, nec non de Begvinarum secta, & variis Fœminarum Ordinibus aliqva subnectit.

CONAMEN NOVI SYSTEMATIS

Cometarum,

adornatum à

Jacobo Bernoulli, Basileensi.

Amstelædami 1682. in 8.

Spe-

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. X. ad A. 1682. pag. 179.



Digitized by Google

Speciosæ *de Æternitate Cometarum* Hypotheſi, non vulgaribus hactenus verſatæ ingeniis, *Autor* edito hoc ſcripto Syſtema adornavit: qvo vago Cometarum motui leges præſcriberentur, eorumqve apparitiones non ſecus ac Luminarium Eclipſes poſſent prædici. Paucis itaq; de *Ortu & Motu*, qvem circularem putat, Cometarum præmiſſis; *Locum* ipſis, ſpatium intra fixas & Saturnum, 5000 & amplius Semidiametris Orbis Magni (qvod ex Parallaxi Orbis annui Fixarum *Hoockianâ* deducit) extenſum, aſſignat.

Suppoſito deinde, cum *Carteſio*, Deum in plurimos Vortices Univerſum hoc diviſiſſe, in centro uniuscujusqve Fixâ collocatâ, qvam circa totus Vortex gyretur: Vorticis noſtri Fixam facit Solem; & propterea *Solarem* nuncupat, in plures orbes ſive concamerationes, prædomicilio Planetarum, ſubdiviſum.

Porrò; juxta *Schema* I, & II, circa Solem A, primo Mercurii, dein Veneris, Telluris, Martis, Jovis & Saturni Orbes, extimumqve Cometarum, F G ordinat: & ex hujus puncto F, pluribus peripheriis concentricis R H, X N, O P deſcriptis, unicuiqve harum peculiarem Cometam inſerit, totamqve peripheriarum compagem, *Cometarum Vorticem* appellat. Tab. X. Fig. 1. & 2.

Ex hoc duplicem Cometis motum, qvo partim in *proprio Vortice*, circa punctum F; partim unà cum F, à *Vortice Solari* (qvod & *Solaris Vorticis* pars ſit *Cometarum Vortex*, & citra hoc nullus eorum motu proprio ſemicirculum conficere qveat) circa Solem A rotentur, exemplo ſatellitum Jovis tribuit: Cometasqve adeò, Planetas ſecundarios puncti F, à primario qvodam, ſed ob corporis cùm exiguitatem, tum immanem diſtantiam inconſpicuo, haud dubiè occupati, pronunciat. Orbitas ulterius Cometicas, nec in eodem cum Eclipticâ plano, nec æqvaliter omnes ad eam inclinatas; nec oculum noſtrum neceſſariò implicantes; alias etiam in ortum, in occaſum alias rotatiles; centrum verò earum F, vel in, vel prope planum Æqvatoris, Eclipticævè ſtatuit.

Caudæ Cometarum producendæ, Solem tanqvam ignem, circumfuſos Planetas perpetuò coqvere concipit: unde nunqvamnon magna exhalationum copia, è Planetis ipſoqve Sole, *Fig.* I, egreſſa, motu *Vorticis Solaris* ad circumferentiam ejusdem undiqvaqve propellatur; ibiqve à renitentiâ ſuperiorum Vorticum B D E ulterius progredi prohibita, Fig. I.

hibita, affluente subinde novâ materiâ, paulatim condensetur. Hanc Planetis supra Saturninis (post Cometis) per aphelium D incedentibus adhærere, auctamqve accessu novarum exhalationum, dum Cometa ad Perigeum defertur, se in modum lati disci, omni ex parte circa illum, extendere; ita tamen, ut perpetuò altera disci planities Soli obvertatur. Ex qvo porro rationem reddere nititur, *cur Cauda perpetuò in plagam Soli oppositam vergat?* qvod videlicet radii Solis non nisi ex citeriori disci parte I C, in eôdem planô, cum Sole & oculo nostro, existente, ad nos in T reflectantur; reliqvis intra C & M, aliorsum planè reperc ussis. Porro circa nuperum Cometam, ex confecto æqvali motu, bino æqvalium temporum intervallo, Perigæum medio illo tempore, d. 20 Dec. colligit in 0 gr. 20 min. ♐; stationem verò observasse se memorat d. 7 Febr. st. veteri, & arcum à Perigeo ad stationem 99. gr. 51. min.

Unde ad eruendum Cometæ motum proprium, I. qvantum motui apparenti ex (Fig. II) translatione Telluris ab S in I accesserit, id est angulum Z F Y, investigat, & 1. min. asserit. II. Ex collatione Perigæi, Cometæ Anni 1664, d. 20 Dec. in 20 gr. ♊: lineam Perigæi FA, adeoqve punctum F, spacio 16 annorum, evoluto ter Zodiaco, 220 gradibus, 20. min. promotum; ipsamqve revolutionem centri orbitæ cometicæ, annis 47 diebus 157 fieri colligit. III. constructâ Tabellâ motûs Perigæi, compertóqve, Cometam circa centrum F, intra 50 dies, 1 gr. 17 min. provolutum: Ipsum eundem post annos 38, dies 147, in Perigæo suo, 1 gr. 12 min. ♎, denuo compariturum affirmat. IV. motum Cometæ diurnum ex angulis α I U, β I U &c. Triangulorum A F I, β F I &c. (arcu sc. U H, 1 gr. 17 min. pro numero dierum, qvos ab V ad H progrediendo Cometa insumsit, in partes tot æqvales diviso) datis angulo ad F, latere F I, & Semidiametris Fα, Eβ &c. indagari posse innuit.

Atqve ex hoc Systemate evidentem rationem constare vult, Cur Cometæ

1. Plus semicirculo nonnunqvam perlustrent.
2. Omnes aut Ecliptic am, aut Æqvatorem, aut utrumqve trajiciant.
3. Circulos hos omnifariis secent angulis.
4. Nodum Orbitæ mutent.
5. Oculorum judicio nec lineam rectam, nec arcum circuli maximi aliqvando describant.
6. Alii juxta, alii contra seriem signorum incedant.

7. Pe-

7. Perigæa non in eódem Zodiaci locó fixa habeant.
8. Qvantitate motûs diurni varient.
9. Alius alio arcus majores motu diurno emetiantur.
10. Eardam in partem à Sole aversam tendant.

Posse etiam 11. Duos tresve aut plures, qvamvis ratissimè fiat, simul apparere; &

12. 13. Reditûs eorum, locumqve Perigæi prædici.

Claudit argumentum, solutio geminæ objectionis, à reditu Cometæ dicto tempore hactenus non observato; & sublatâ, per talem apocatastasin, Cometarum prænunciâ immmentium malorum significatione, petitæ; cum Examine aliqvo Hypothesevs *Heveliane.*

Ben. Lector: *Dum hæc typis exscribebantur, perfertur ad nos* 13tia particula Ephemeridum Gallicarum de 25. Maji hujus anni: *in qvâ habetur,* Demonstratio Physica, falsitatis Systematis Cometici Bernoulliani, per Dn. La Montre, Professorem Mathematicæ Regium &c. *qvam subjunctturi hic eramus, nisi dispositis jam ad hunc mensem typis, operas typothetarum turbandæ fuissent. Interea dum proximus mensis eam Tibi explicet, Ipsi Tibi, qvæ de Hypothesi isthac videbuntur digerenda, ut post cogitatis* Clmi Montrei *conferas, relinqvimus.*

PHARMACOPOEA PERSICA EX IDIOmate Persico in Latinum conversa.

Lutetiæ Paris. 1681. in 8.

Auctori qvi Persico olim idiomate librum hunc composuit, *Mouzaffer Elen Mouhammed el Hosseni* nomen fuit. Eum verò latinitate donavit nuper monachus qvidam Ordinis Carmelitarum Discalceatorum congregationis S. Eliæ, Missionarii munere per 15. annos in Oriente functus, *Fr. Angelus à S. Josepho*, Missionariis omnibus in Orientem deinceps profecturis hac operâ inprimis consulturus. Nempe cùm Christiani nomen Persis ac Muhammedanis aliis exosum valde sit, adeò ut inter decem res immundas speciali lege declaratas (qvæ sunt, urina, stercus, sperma hominis & animalis immundi, sangvis fluidus, morticinum, vinum, aqva vitæ & omnis potio inebrians, sus, canis, & infidelis) Christianum qvem infidelem vocant, omnium immundorum immundissimum, & præcedentium sordium velut epitomen, censeant, ac à Christianis omnibus non minùs, ac nos à carnificis, Judæi, aut peste infecti commercio, abhorreant: dici non pot-

Digitized by Google

est, qvàm difficilis Missionariis, inexercitatis præcipuè necdum lingvæ peritis, ad Persas aditus sit, æ des pariter ac corda hominibus invisis & qvos fugere lege jubentur, occludentes. Aſt nullâ arte, nullâqve industriâ, tum domus Persarum, tum corda, faciliùs reserari possunt, qvàm Medicinæ beneficio: ut facili negotiò conciliare sibi Persarum animos possint, qvotqvot medicâ, arte excellunt, miseraqve gens non assvescat tantùm paulatim Christianis Medicis, spe valetudinis eorum ope recuperandæ, aut recuperatæ memoriâ, sed & aurem ipsis præbeat de religione differentibus, imò suis eos Doctoribus ac Sacerdotibus ob eruditionem & pietatem præferat, ac velut thaumaturgos veneretur. Tantum ergo Medicinæ in convertendis infidelibus usum cùm perspexisset monachus noster, antiqvi cujusdam Missionarii, *P. Matthæi à S. Josepho* qvi summo studio Medicinæ arcana scrutatus fuerat, qvemqve verum *Horti Malabarici*, superioribus annis editi Auctorem ait, exemplo incitatus, juxta Matheseos studium, qvod & ipsum magno Missionariis esse usui fatetur, Medicinam cum Persicæ lingvæ exercitiò colere atqve facere cœpit, idqve conatu minimè irrito. Ut autem publico, & inprimis Missionariis aliis magis inserviret, præsentes has superiùs nominati Persæ *Compositiones Pharmaceuticas*, in latinum idioma convertit, continentes multa medicamina officinalia Orientalibus cum nostris Pharmacopœis communia, qvædam planè singularia, cuncta verò idiomate Persicô æqvè ac Latinô nominata, ac secundùm ordinem Alphabeti Persici dispositа, unà cum indice duplici, pharmaceutico nempe, ac Pathologico seu Therapeutico potiùs. Qvamvis autem notis selectis singula capita illustrare, ut qvidem in animo habuerat, Romam ad officium Prælectoris Lingvarum Orientalium in Seminariô S. Pancratii vocatus, non potuit, Specimen tamen aliqvod notarum operi subjunxit, ponderum explicationem, ac nonnullorum simplicium magis descriptiones egregias & accuratas continens.

Non prætermittenda etiam est Fr. Angeli à S. Joseph in præfatione Pharmacopœæ Persicæ facta (p. 38.) digressio Critica, circa nævos & errores in versione Persicâ Sancti Evangelii, qvâ usus est *Brianus Waltonus in Bibliis Polyglottis*. In eâ enim ostendit Auctor, errores aliqvos ejus versionis à Briano Waltono & Annotationum auctore Thomâ Gravio observatos qvidem, alios tamen nimis officiosè excusatos. Unde ambigit, qvis magis reprehendendus sit, an antiqvus

qvus Interpres Perſicus Simon Filius Joſeph; An Latinus Interpres verſionis Perſicæ Samuel Clericus; an Compilator ipſe Waltonus; an auctor Annotationum Thomas Gravius trium illorum, ut loqvitur, advocatus. Etenim Simon idiota haut dubiè & incautus, Schiſmaticorum Orientalium more, vulgarem duntaxat rudioremqve patriæ dialectum callens, in fœdos errores facilè lapſus eſt. Specimina eorum ſunt:

1. Spiritum S. *Gi-oun pak*, i.e. animam puram abſolutè vocat, effingens ſenſum Matth. 28. *In nomine Patris, & Filii, & animæ puræ.* Sæpiùs autem eundem terminum ſimul cum Arabicâ voce copulat, videlicet ROUH EL QODOS (p. 39.) Samuel Clericus *Gi-oun* vertit non animam, ſed mentem. Waltonus putat, *ἰσοδύναμα* mentem puram, & Spiritum S. Gravius annotat, *Gi-oun pack*, purum Perſicum Spiritus S. nomen ab Interprete cum Arabicâ appellatione Perſis familiari *Rouh el qoudous* ſæpe conjungi (p. 44.) Sed monet Metaphraſtes Pharmacopœæ, nec Chriſtianos Orientales (ſi fortè ruſticos excipias) unqvam perſonam Spiritus S. appellare Perſicè aut Turcicè *Gi-oun pack*, ſed Arabico nomine *Rouh el qoudous*, nec Perſas Auctores ullos nomen *gi-oun* ſeu animæ, abſolutè DEO tribuere, & in Lexico Perſico Golii alibiqve *Gi-oun* reddi animam ſenſitivam. Hinc non immeritò Simonem haberi Schiſmaticum aut hæreticum circa Spiritus S. divinitatem (p. 42.)

2. Luc. X. 4. *Schuſt gab* baptiſmum vocat, cùm id nomen baptiſmi locum ſeu baptiſterium ſignificet.

3. Joh. V. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*; ſic exprimit, *ſicut Pater vitam in perſona fermenti ſui habet.*

4. Matth. c. 28. Chriſti mittentis Apoſtolos verba, *docete, baptizate, in nomine Patris*, exprimit: *baptizate* h. e. *aqva adhibitâ idololatras ſeu ignicolas facite.* Scilicet non ſolùm Mohammedanis familiaria ſunt ſcommata, qvibus Chriſtianos vocant Infideles, Idololatras aut pyrolatras, ſed & ipſimet Chriſtiani ſub jugo Mohammetico ex puſillanimitate, Turcam, aut Perſam allocuturi, Tu es Muſulmannus (Fidelis) inqviunt, & ego Infidelis. Tales ergo appellationes ab hoſtibus impoſitæ Chriſtianorum innocentiæ, in Interprete Scripturæ ferendæ non ſunt. Cùm ergo Perſica iſta verſio ſtilô & idiomate vili obſoletoqve, vocibus indignis ac nugatoriis ſcripta ſit, narrat Auctor, Miſſionarios illam Perſarum peritiorum manibus non porrigere, ne aut ſcandalum aut cachinnos excitent.

GEN-

GENNADIUS DE PRÆDESTINATIONE, Latinitate donatus & Commentariis illustratus à Carolo Libertino, Societatis Jesu Sacerdote.

Vratislaviæ A 1681. in 4.

DUæ nimirum hujus Libelli sunt partes. In prima legitur Textus græcus Gennadii, illius scilicet, qvi aliàs Georgius Scholarius dicitur, alterô Gennadiô, Presbyterô Massilienſi, integri circiter millenarii ſpatiô, cùm currente ſeculô XV. Patriarcha Conſtantinopolitanus fuerit, junior; Et verſio latina Caroli Libertini; nullâ prorſus mentione factâ ſimilis verſionis, qvam Federicus Morellus antehac adornavit & Pariſiis edidit A. 1618. adeò ut novo huic Interpreti atqve Editori contigiſſe videatur, qvod Philippus Labbe, Societ. J. Theologus, in deſcriptione hujus Gennadii, aliis accidiſſe notat; ab iis nimirum hanc interpretationem atqve editionem obſervatam non fuiſſe. In ſecundâ verò parte ſubjiciuntur Notæ Caroli Libertini, ſcopo Autoris prudenter in omnibus conformatæ. Cùm enim ille duplici conſilio hunc libellum ediderit, primùm qvidem, ut contra Atheos & Epicureos, autoritate Gennadii ejusqve rationibus, aſſereret providentiam divinam; deinde ut ſcientiam mediam, qvam fœtum aliàs Societatis Jeſu vocant, antiqvioribus Scriptoribus incognitam nô fuiſſe probaret; occupatus fuit nô tàm circa voces, qvàm res ipſas, declarans aſſertiones Gennadii de providentiâ Dei, easq; firmans magis magisqve; ſcientiâ verò mediam è textu, imò ex ipſo Auguſtino per excurſionem part. 2. p. 33. ſeqq. deducere annisus; lectu in totô hoc Commentariô, etiam apud Noſtros, ſi paucas de prædeſtinatione ſub conditione meriti dictiones excipias, non indignus.

JO. PICI MIRANDULÆ EPISTOLARUM LIBER, recenſitus & illuſtratus à Chriſtoph. Cellario Smalcaldienſi.

Proſtat Cizæ & Jenæ apud Jo. Bielck. Bibliop. Jen. A. 1682. in 8.

Illuſtris & conſummatiſſimi Viri Jo. Pici Mirandulæ Epiſtolas ad ætatis ſuæ viros clariſſimos ſcriptas, & Lutetiæ, Venetiis & Baſileæ olim non ſine mendis recuſas, nuperrimè recenſuit & emendavit Clariſſimus Vir *Chriſtophorus Cellarius*. Præmiſit ſingulis epiſtolis argumenti ſummam, & pleriſqve etiam notas breves addidit, ut autores atqve teſtes, ad qvos ſubinde, dubiè plerumqve & obſcurè, provocat, non ignorentur. Sub calcem illarum, præter indicem, clariſſimorum virorum teſtimonia, qvibus laudes Pici Mirandulæ illuſtrantur, adjecit.

UNI-

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. XI. ad A. 1682. p. 185. seqq.

Fig. 1



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 2.



Digitized by Google

UNICUM OPTICÆ, CATOPTRICÆ, & Dioptricæ Principium

Autore G. G. L.

Hypothesis primaria his scientiis communis, ex qvâ omnis radiorum lucis directio Geometricè determinatur, hæc constituti potest: *Lumen à puncto radiante ad punctum illustrandum pervenit viâ omnium facillimâ; qvæ determinanda est primum respectu superficierum planarum, accommodatur verò ad concavas aut ad convexas, considerando earum planas tangentes.* Non tamen hic rationem habeo qvarundam irregularitatum, fortasse locum habentium in generatione colorum aliisqve phænomenis extraordinariis, qvæ in praxi Opticâ non attenduntur TAB. XI. Fig. I.

Hinc *in Opticâ simplici, radius directus à puncto radiante* C *ad punctum illustrandum* E *pervenit* viâ brevissimâ directâ, eodem nempe manente medio, id est *in lineâ rectâ* CE.

In Catoptricâ angulus incidentiæ CEA *& reflexionis* DEB *sunt æqvales.* Sit enim punctum radians C, illustrandum D, speculum planum AB: qværitur punctum Speculi E, radium ad D reflectens. Dico id esse tale, ut tota via, CE+ED fiat omnium minima, seu minor qvàm CF+FD, si nimirum aliud qvodcunqve speculi punctum F fuisset assumtum. Hoc obtinebitur, si E sumatur tale, ut anguli CEA & DEB sint æqvales; ut ex Geometriâ constat. Hâc demonstratione usi sunt Ptolemæus & alii vetetes, extatqve tum alibi, tum apud Heliodorum Larissæum.

In Dioptricâ sinus complementi, EH & EL, *angulorum incidentiæ* CEA, *& refractionis* GEB, *servant eandem semper rationem, qvæ est reciproca resistentiæ mediorum.* Sit IE aër, EK aqva, vel vitrum, vel aliud medium densius aëre; punctum radians in aëre C, punctum illustrandum sub aqva G: qværitur, qvâ viâ radiet illud ad hoc; seu qvod sit punctum E in superficie aqvæ AB, radium à C emissum refringendo mittens ad G. Hoc E sumi debet tale, ut via sit omnium facillima. Jam in diversis mediis viæ difficultates sunt in compositâ ratione & longitudinis viarum, & resistentiæ mediorum. Sint rectæ *m* & *n* repræsentantes resistentiam respectu luminis, illa aëris, hæc aqvæ; erit difficultas viæ à C ad E, ut rectangulum sub CE & *m*; à E ad G, ut rectangulum sub EG & *n*. Ergo ut difficultas viæ CEG sit omnium mini-

ma, debet ſumma rectangulorum CE in $m+$EG in n eſſe omnium poſſibilium minima, ſeu minor qvàm CF in $m+$FG in n; ſumto puncto F alio præter E qvocunqve. Qværitur E. Cùm ergo puncta C & G item recta A B, data ſint poſitione, ideò rectas datas ad planum perpendiculares, vocabimus, CH, c; & GE, g; ipſam autem HL, b, etiam datam. At qvæſitam EH vocabimus y, erit EL, $b-y$, & CE, $\sqrt{cc+yy}$, qvam vocabimus p; & EG erit $\sqrt{gg+yy-2by+bb}$, qvam vocabimus q. Debet ergo $m\sqrt{cc+yy}+n\sqrt{gg+yy-2by+bb}$ (ſeu $mp+nq$) eſſe omnium poſſibilium ſimiliter enumtiandarum qvantitatum minima, & ut talis fiat, qværitur y. *Ex meâ methodò de maximis & minimis*, qvæ ſuper omnes hactenus notas calculum mirificè contrahit, primo ſtatim obtutu, ſine ullo propemodum calculo patet, fore $mq.y$ æqval. $np.b-y$, ſeu np *ad* mq, ut y ad $b-y$, ſeu rectangulum CE in n ad rectang. EG in m, ut EH ad EL. Ergò poſitis CE & EG æqvalibus, erit, n reſiſtentia aqvæ reſpectu luminis, ad m reſiſtentiam aëris, ut EH ſinus complementi anguli incidentiæ C E A in aëre, ad EL ſinum complementi anguli refractionis G E B in aqva; ſeu ſinus complementi erunt in reciprocâ reſiſtentiæ mediorum ratione, qvod aſſerebatur. Itaqve ſi E L in uno exemplo vel experimento reperiatur eſſe duarum tertiarum ipſius EH, erit & in aliis omnibus, ubicunqve C & G ſumantur, illud in aëre, hoc in vitro. Si E in aere & G ſub aqvâ; erit EL, $\frac{3}{4}$ ipſius EH circiter.

Reduximus ergò omnes radiorum Leges experientiâ comprobatas ad puram Geometriam & calculum, unico adhibito principio, ſumto à cauſâ finali, ſi rem rectè conſideres: neqve enim radius à C egrediens conſultat, qvomodo ad punctum E vel D vel G pervenire qvàm facillimè poſſit, neqve per ſe ad ipſa refertur; ſed Conditor rerum ita ereavit lucem, ut ex ejus naturâ pulcherrimus ille eventus naſceretur. Itaqve errant valdè, ne qvid gravius dicam, qvi *cauſas finales* cum *Carteſio* in Phyſicâ rejiciunt, cùm tamen præter admirationem divinæ ſapientiæ, pulcherrimum nobis *principium* præbeant *inveniendi* earum qvoqve rerum proprietates, qvarum interior natura nondum tam clarè nobis cognita eſt, ut cauſis efficientibus proximis uti, machinasqve, qvas conditor ad effectus illos producendos, finesqve ſuos obtinendos adhibuit, explicare valeamus. Intelligimus etiam hinc veterum meditationes in his qvoqve rebus non adeò eſſe contemnendas, ac hodie qvibusdam vide-

Digitized by Google

videtur. Nam mihi valdè verisimile fit, summos Geometras *Snellium* & *Fermatium*, versatissimos in Veterum Geometriâ, methodum, qvâ illi usu erant in Catoptricâ, ad Dioptricam traduxisse. *Snellii* sanè theorema, qvod ex ejus tribus Opticæ libris ineditis affert V. Cl. *Isaacus Vossius*, suspicor simili ferè methodo (licet non tantâ opinor, qvantâ hic usisumus, calculi facilitate) repertum fuisse. Ex nostro enim statim seqvi, sic ostendam. Circulus CBG, centro E radio E C vel E G describatur, hujus in B tangenti productæ occurrant C E in V, & E G in T. Sit oculus in C, objectum qvod sub aqvâ videtur in T, & punctum T apparebit esse in V, qvia per lineam rectam C E V videre nobis videmur, cùm tamen videamus revera per fractam C E T, patet E V esse secantem anguli incidentiæ C E A vel ei æqvalis V E B; & E T esse secantem anguli refractionis GEB. Sunt autem, ex notâ trigonometriæ propositione, secantes reciprocè ut sinus complementi, ergò directè E V ad E T, ut E L ad E H, seu (per theorema nostrum) ut *m* ad *n*. Ergò Oculo C existente in alio medio qvàm objectum T, erit radius in medio objecti (aqvâ) apparens E V, ad radium in mediò objecti (aqvâ) verum E T, ut *m* resistentia (aëris) medii oculi ad *n* resistentiam (aqvæ) medii objecti, Qvæ ratio cum semper sit eadem, iisdem manentibus mediis, ideò ratio inter radium verum E T & apparentem E V, semper eadem erit, qvod erat theorema *Snellianum*.

Eôdem modô ratio E L & E H sinuum complementi angulorum refractionis & incidentiæ, cum nobis sit reciproca resistentiæ mediorum, semper eadem erit: qvod est Theorema *Cartesianum*, licet de resistentiâ mediorum diversa nostris imò contraria senserit *Cartesius*. Qvare non abs re CL. *Spleissius* Vir in his qvoqve studiis versatissimus animadverso hoc consensu conclusionum, dubitat annon *Cartesius*, cùm in Batavis esset, viderit Theorema *Snellianum*; notat enim solenne ipsi fuisse præterire nomina autorum, & exemplum affert Mundanorum Vorticum, ad qvos *Jordanus Brunus* & *Johannes Keplerus* ita digitum intenderint, ut tantùm istud vocabulum ipsis defuisse videatur. Accedit, qvod *Cartesius* Theorema hoc suum proprio marte demonstraturus in magnas incidit salebras: qvoniam enim videbat radium C E ex aëre in aqvam delatum, ibi refringi in E G, & ita versus perpendicularem E K, adeoqve illi radio similiorem reddi, cujus fortior est actio, nempe perpendiculari; suspicatus est eum minùs resistentiæ invenire in aqvâ, vel in vitrô, qvàm in aëre. Cùm tamen supponendo contra-

Digitized by Google

rium, qvod multo magis rationi consentaneum est, adhibito nostro facillimæ viæ principio, ad eandem conclusionem perveniatur. Unde rectè collegit *Fermatius*, *Cartesium* non reddidisse veram theorematis sui rationem. Similitudo qvoqve, qvâ illustrare conatur explicationem suam, parùm apta est. Sit in *fig.* 2. globulus A super tabulâ politâ BC procurrens in loco 1 A: is in medio occursu offendat partem tabulæ DE, tapete instratam, ubi curret tardius in 2 A. Eôdem igitur modo putat vitrum aliudve corpus solidum minus morari radios lucis, qvàm aërem, qvi sit magis villosus. Sed (ut taceam & aqvæ partes satis molles esse secundùm ipsum *Cartesium*) sufficit considerare globulum, ubi ex 2 A, tapete DE superato, rursus ad partem tabulæ politam in 3 A pervenit, ibi non recuperare priorem celeritatem, qvam habebat in 1 A, anteqvam tapetem offenderet: cùm tamen radius lucis ex medio magis resistente in medium minus resistens, primo simile, rursus ingressus, priorem statum recuperet, & posito duorum mediorum similium, primi & ultimi, superficies (illius emittentem, hujus recipientem) esse planas parallelas, Directionem recipiat per refractionem posteriorem illi parallelam, qvam habuit ante priorem.

TAB. XI. fig. 2.

Videtur tamen modus, qvo *Cartesius* reflexionem pariter ac refractionem lucis, ad imitationem motûs aliorum corporum explicat, ingenio ejus dignus, nec rejiciendus, sed tantùm emendandus. Nam qvod ad reflexionem attinet, prius explicandum ipsi erat, cur globus aliqvis ut I, secundum perpendicularem IE incidens in planum AB, inde reflectatur; videmus enim, aliqva corpora, ut mollia, non æqvè reflecti. Cujus reflexionis vera causa est Elastrum vel globi, vel plani, vel utriusqve; nam cedet nonnihil planum Elasticum, ut videmus facere membranam tensam, vel vesicam inflatam, lapillo incidente, & qvidem cedet tanto magis, qvanto fortior erit ictus; eoqve majore vi sese restituens, id qvod inciderat, eâ qvâ venerat viâ & celeritate rejicit. Qvanqvam enim *Cartesius* hanc reflexionis explicationem jam suo tempore à qvibusdam allatam, ferre noluerit, ut patet ex Epistolis; hodie tamen rationibus atqve experimentis extra dubium posita est. Cum ergò globus veniat ex C ad E rectâ CE in *Fig.* 1, motuqve proinde compositô ex duobus, horizontali ut CI vel HE, qvâ venit ex CH ad IE, & perpendiculari, ut CH vel IE, qvâ venit ex CI ad HE; utro-

Digitized by Google

utroqve incipiente à C, terminante in E; & ejus in E venientis conatui horizontali ex CH versus IE in rectâ CI vel HE, non opponatur sed parallela sit superficies AB, ideò celeritatem pariter & directionem motus horizontalis illibatam retinebit, & qvantum temporis insumsit, ut veniret ex CH ad IE, insumet etiam, ut veniat ex EI ad RD; positis intervallis inter CH & IE, item EI & RD æqvalibus. Verùm motus perpendicularis, qvo venit ex CI ad HE, retentâ celeritate, in contrariam directionem verterur, ut temporis tantundem insumat, qvo revertatur ex ER ad ID, cùm ergo sit ER æqvalis ipsi EH, & RD ipsi CH, Triangula CHE DRE similia & æqvalia erunt, adeoqve angulus DEB angulo CEA æqvalis. Omnia hæc clariora erunt, si fingamus regulam CID superficiei AB parallelam servato parallelismo per CH, DR, ipsi AB impingere in HR, dum interea globus in ipsâ regulâ CI fertur à C ad I, unde reverâ totus compositus globi motus erit in diagonali CE; regula autem CID repercussa à superficie solidâ AB, eâdem celeritate & viâ qvâ venerat redibit, & æqvali tempore iterum veniet in CID, dum interea globus continuato in regulâ motu eâdem celeritate perrexit, ac proinde eôdem tempore pervenit ex I ad D, per ID æqvalem ipsi CI, nam manente eâdem celeritate æqvalibus temporibus æqvalia spatia percurruntur, itaqve globus motu composito ex proprio super regulâ, per ID, & motu ipsius regulæ per E, redeuntis scilicet ex HR in CD, feretur ex E in D per rectam ED.

Pro refractione explicandâ considerandum est, Medium magis resistens lumini (sine opacitate tamen) illud esse videri, qvod magis impedit luminis diffusionem seu distributionem per plures medii partes, idqve dici poterit minus illuminabile, luminis enim natura se diffundere nititur. Contra, qvanto magis lumen æqvabiliter partes medii, qvod illuminat, afficiet, aut qvo pluribus insensibilibus loci illuminati particulis suam vim communicabit, eo medium magis erit illuminabile, minusqve lumini resistet. Unde qvo partes medii lumine affectæ magis sunt solidæ & exiguæ, aut minus inter se pro aliâ heterogeneâ materiâ à lumine nihil patiente, spatii relinqvunt, eò magis illuminatum esse dicetur medium. Verùm constat ex Mechanicis principiis, eundem ictum pluribus corporibus simul impressum, minorem singulis vim dare, qvàm si uni eorum fuisset inflictus; ideò fiet, ut in medio magis resistente diffusioni luminis, seu secundum

dùm pauciores partes affecto, ſingulæ partes tanto fortius afficiantur; in magis illuminabili plures, ſed debilius, impetuque impreſſo langvidiore. Aſſumendo jam motum globuli loco radii, & ponendo globulum ex G venientem in E, ibi in medium incidere, qvod celeritatem ejus ſeu impetum retardet, proportione ſi lubet ſeſqvialterâ, ergò ſi tempore unius ſcrupuli venit à G ad E in priore medio KE, idem in novo medio EI tempore unius ſcrupuli & dimidii veniet ab E in C, poſito EC & GE eſſe æqvales, ubicunqve demum ſit C. Sed cùm celeritati horizontali, in GK, LE & parallelis exercitæ, ſub primum ingreſſum globuli in novum medium EI ſeu in ipſo puncto E, ſuperficies mediorum ſeparatrix AB non obſtiterit, (hanc enim motus horizontalis LEH tantùm radit) in ipſo autem primo ingreſſûs momento, ſeu in puncto E, (globulum conſiderando indefinitè parvum inſtar puncti, ut & radii ſolent qvaſi ſine latitudine ſpectari) ſtatim determinanda ſit lineæ CE inclinatio: ideò talis ſtatim initio aſſumenda eſt, ut reſpectu motûs horizontalis eadem maneat velocitas, & qvalis initio ingreſſûs in novum medium, aſſumta eſt, talis in eo manet. Ergò globulus, qvi, dum iret in medio prioreà G ad E, abſolverat ſcrupulo temporis horizontali directione intervallum GK vel LE (inter GL, KE); is nunc ſcrupulo uno & dimidio temporis, qvo ire debet ab E ad C, abſolvet in eâdem horizontali directione intervallum EH vel IC (comprehenſum inter EI, & HC) qvod debet eſſe ſeſqvialterum prioris LE, qvia eâdem manente velocitate horizontali, (qvam momentum refractionis non immutat,) ſpatia ſunt ut tempora, eſt ergò *EH ad EL, in ratione* directâ temporum, ſeu reciprocâ celeritatum, ſeu *reciproca reſiſtentiarum*, oſtendimus enim in caſu luminis à reſiſtentiâ medii diffuſionem impediente velocitatem ſeu impetum pro reſiſtentiâ creſcere; & pro majore diffundendi ſui facilitate in ſingulis partibus langveſcere: Contra radium vim ſuam atqve adeò directionem recuperare, cùm iterum in medium venit, ubi minor diffuſio eſt, pluresqve radii in pauciores partes impellendas impenduntur, qvam recuperationem *Carteſius* ſuâ tapetis vel alterius corporis villoſi comparatione explicare, ut ſupra monuimus, non potuiſſet.

OCCUL-

OCCULTATIO PALILICII
Anno 1681, die 1 Januarii vesp. st. n. observata
GEDANI
à JOHANNE HEVELIO.

Eádem die, cùm Cometa à me observaretur, simul feliciter, & qvidem accuratissimè Palilicium à Lunâ gibberosâ ad oppositionem tendente observavi tectum, qvod phænomenum, ut rarissimum est, sic meretur probè notari. Cumprimis qvia non solùm punctum ipsius immersionis, sed & ejus emersionis admodùm præcisè deprehensum est: prout subseqvens observatio & delineatio ostendit.

Hor.	′	″		
6.	47.	0	Palilicium distabat à confinio lucis & umbræ tanto spatio, qvanto M. Christi removetur à limbo Lunæ inferiori.	
7.	37.	0	Stella occultata est ad mare Syrticum, sub Insulâ Cercinnâ, alto Capite Andromedæ	° ′ 50. 32
7.	46.	0	Altitudo capitis Andromedæ observata	49. 24
7.	49.	30	Eadem altitudo capta.	48. 55
8.	46.	0	Palilicium rursùs affulsit ad Insulam Majorem Maris Caspii.	
			Transiit itaqve via ejus itineraria, ratione Macularum Lunarium, per Mare Syrticum, M. Athos, sub Insulâ Lemnos, per Montem Dicymum, sub Sinu Athenienſi, per Fretum Ponticum, atqve Insulam Majorem Maris Caspii.	
8.	51.	0	Altitudo Capitis Andromedæ extitit.	40. 22.

EADEM OCCULTATIO PALILICII
Coburgi in Arce Saxonicâ, Ehrenburg/ observata
à GOTHOFREDO KIRCHIO.

Tempus

Tempus secundum horologium ambulat. H / //	Altitudines. Gr. /		Tempus ex altitudinibus deductum. H / //
6. 40. 0		Palilicium per tubum 2 ped. non procul à Lunâ spectabatur, nudis oculis verò jam inconspicuum erat.	6. 49. 0
6. 50. 0		Nondum obtecta erat Stella.	6. 59. 0
6. 54. 0		Palilicium, extremum Sinûs Sirbonis, & margo inferior Montis Sinai, eandem constituebant lineam rectam.	7. 3. 0
6. 56. 0		Stella à Lunâ jam erat tecta, & tam per tubum 4 pedum, qvàm decempedalem, inconspicua.	7. 5. 0
7. 8. 0	16. 0	Altitudo Lucidæ Lyræ.	7. 16. 12
7. 10. 0	15. 35	Eadem altitudo.	7. 19. 56
7. 12. 30	15. 25	Rursus capta.	7. 21. 28
7. 46. 0		Stella nondum affulgebat.	7. 55. 0
7. 57. 0		Stellam nondum conspicere potui.	8. 6. 0
8 0. 30		Stella egressa erat, & distantia ejus à margine Lunæ occidentali tanta erat, ut exitum circa Hippoc. Montes factum esse existimarem.	8. 9. 30

EXCERPTUM EX COLLECTIONIBUS PHILOSOPHICIS Anglicis, no. 2. 1681. novum genus lampadis à ROB. BOYLE Armigero inventum exhibens.

Figuræ Explicatio.

A B C D. Receptaculum est, ex orichalco paratum ac probè conferruminatum,

BCEF

BC, EF Duo hujus vasis fundi.

FG Tubus, dictis fundis impactus, cujus apertura majorem vasis capaciratem F A spectat. Tab. XL. Fig. 3.

H Foramen in tubô F G, duos inter fundos BC & EF conspicuum

I aliud foramen in tubo FG, cui canalis IG impactus ad G inflectitur.

PP Vasculum, recipiendo Lampadis elychnio inserviens.

LM Tubus angustior, utrinqve patens, operculo AD ad L & fundo EF ad M infixus, ut hujus beneficiô externus aër spatio, binis fundis EF & BC intercepto, communicetur, nec tamen in vasis cavum A F illabatur.

N Tubus brevior, foramini operculi AD impactus, per qvem oleum in cavum vasis A F infundi qveat, subere postmodum probè claudendum.

Hæc qvô impleatur machina, orificium G tubi IG conformi & longiore claudendum est paxillô, ut & L tubi LM. Qvo facto instillatur oleum per tubum N, statim qvoqve exactiùs obturandum: Duo autem illa, sc. G. & L recludenda sunt. Atqve sic oleum per canalem IG ad vasculum annexum P fluet, & hoc eo usqve implebit, donec superficies illius in côdem cum foramine H horizontis plano constituatur.

Atqve jam nullô negotiô deprehenditur, Lampadem sic adornatam omnibus illis incommodis vacare, qvibus Cardani est obnoxia.

Nam (1.) in illam aër non cum impetu & confertim nimis influit, sed ubi oleû in PPâ flamma eo usq; consumptum est, ut ejus superficies infra foramen H descendat, ex cavô AF aliud oleum sensim in PP defluit, propterea, qvod spatium in ventre A F ab hujus destillatione relictum, aëre externô facilè repletur, utpote qvi per tubum LM & foramen H in cavitatem A F penetrat.

(2) Aër in cavitate A F contentus, calore aliqvali si attenuatur, multum olei expellit, qvô ipsô Lampas Cardani facilè extingvitur: ast hic oleum expulsum æqve in locum fundo geminato interceptum, ac in receptaculum PP derivatur. Qvoniam verò spatium hoc inter duos fundos, utpotę amplius, vicies vel tricies plus olei qvàm vasculum PP recipit, contingit, superficiem olei vicies aut tricies minus in hôc receptaculô ascendere, qvàm si omne oleum eò fuisset delatum. Qvare replendæ huic lucernæ dum instillatur oleum, tubus L satis exactè obstruatur, qvo sc. in ter duos fundos BC & EF existens aër, dum nul-

Digitized by Google

lum exitum invenit, impediat, qvò minus oleum ſpatium hoc implere qveat, qvod aliàs, ſi L. apertum relinqvatur ad oleum, qvod ab aeris, intra cavitatem AF contenti, rarefactione propellatur, recipiendum eſt idoneum.

(3) Qvia æqvalem ſemper diſtantiam à flammâ oleum ſervat, elychnium non facilè conſumetur.

(4) Novum oleum lampadi huic infundi poteſt eam haud movendo aut extingvendo: qvatenus ſaltem occludi G & L, oleumqve per N inſtillari debet, prout ab initiò dictum.

Et qvamvis lampas hæc non omnibus illis uſibus inſerviat, qvi ab experimentis illis variis, à Dno. Hooke editis, expectari poterant: nihilominus egregiæ utilitatis æſtimari debet, ideò qvod facilè & parvò pretiò comparari qveat & pro uſibus ordinariis commoda ſatis ſit.

HYPOTHESIS DE STRUCTURA MUſculi, & ejusdem contractionis ratione,

prælecta Londini, in Theatrò Chirurgorum à D. CRONE:

ex iisdem Collectionibus Anglicanis pag. 22. ſqq. excerpta

POſtqvam monſtraveram & pluribus comprobaveram motum muſculi per hujus fibras tantùm fieri, & fibram qvamlibet carnoſam gaudere vi ſe contrahendi: hypotheſin proponebam de ſtructurâ fibræ carneæ, ſiqvidem robur totius muſculi nihil aliud, qvàm aggregatum contractionum ſingularum fibrarum eſt. Atqve hoc qvidem faciebam pro ulteriùs explicandâ hypotheſi, Anno 1664. impreſſa typis, & ſuper experimentum, paulò antè ejus gratia coram Regiâ Societate factum, fundata. In ſcripto hoc dum aſſerebatur, muſculum, qvando contrahitur, pari ratione ac veſicam flatu diſtentam intumeſcere, huncqve ad elevandum pondus ingens ſatis potentem eſſe, juxta experimentum Societati exhibitum; objectio emergebat, nullam ejusmodi notabilem intumeſcentiam in muſculi ventre conſpici; cui ut ſatisfieret & dogma prædictum clariùs explicaretur, hæc ad jiciebam.

Tab. XI. Fig. 4. Nimirum (1.) Supponebam, qvamlibet fibram carneam, nempe AEF, ex infinitis & exiliſſimis globulis ſeu veſiculis conſtare; qvas commodioris doctrinæ gratiâ per diverſa exigua triangula exprimo, v.g. in dicta fibra ALB, BMC, CLD, DOE, hiantia ad ſe invicem in apicibus A, B, C, D, E.

2. Non

2. Non tantùm ſupponebam, ſed probare conabar, cujuslibet muſculi ſuccum nutritium, ab arteriâ hujus profuſum & extravaſatum intra illius fibras copiosè ferri, ſeu vibratione cordis appulſum his inſinuare ſe, & alii cuidam liqvori, qvem intra eas offenderet, commixtum per tunicam cujuslibet globuli aut veſiculæ hujus cavitatem ſubire. Pariter, à qvalibet nervi intra muſculum ramificatione alterum materiæ genus, priore fluidius & activum magis, deponi, hocq; cum ſangvine mixtum qvamlibet fibræ penetrare veſiculam, ambo autem agitatione, & ebullitione aut efferveſcentiâ perpetuâ, qvæ cum Calore Nativô, qvi cauſa partim, partim conſtans adjutor hujus motus eſt, illudqve præſtat, qvod vitam propriam cujuslibet animalis, qvamdiu hoc ſuperſtes eſt, vocamus, globulos hoſce ſemper ſervat turgidos. Qvomodo ſuccus ille ingrediatur, ſuasqve particulas effœtas denuò ad maſſam ſangvineam, per diaphoreſin eliminandas, ableget, ſingulisqve momentis novas ſuppetias recipiat, itidem uberius in nominatis prælectionibus declarare ſatagebam.

3. Per agitationem memoratam aſſerebam qvamlibet veſiculam ALB, BNC, &c. plus aut minus, qvamdiu animal vita aut calore gaudet, diſtendi.

4. Robur aut energia hujus diſtenſionis, pro contrahenda fibra AF, aut in ſemetipſam ab utraqve extremitate A & F: aut, ſi A firmum exiſtat, ab F, ſicqve elevando aliqvod pondus ab F ad E, vel membrum qvoddam, v. g. Biceps brachium & manum C, olim demonſtrabatur in allegatæ chartulæ fig. 1. & in experimentô qvodam, qvod Ephemeridibus Societatis inſertum.

5. Per qvatuor has veſiculas indigitatæ reſpondeo objectioni, qvæ contra Principia, in diſſertatione ſuppoſita, erat mota, atqve evinco, fibram AF (& ſic reliqvas totius muſculi) dum pondus ab F ad E attollit, non tanqvam unam & continuam veſicam AKE ſe à C ad K dilatare, ſed innumerabiles has veſiculas ſingulas ad leviſſimum & imperceptibile tantum ſpatium diſtendi, ac nihilominus in pondere ab F ad E levando, eundem præſtare effectum. Ponamus exempli locô qvatuor veſiculas: qvâlibet earum à Q ad L inflatâ, omnes ſimul pondus F puncto E. æqve adducent, ac una major à C ad K tumefacta; cujus propoſitionis demonſtratio facillima eſt. Qveniam enim tàm qvatuor parvæ veſiculæ ALB &c. qvàm major AKE ante diſtenſionem totam

bram AF formabant, si æqvalis intumescentia tam in una minore, qvàm in majore, concipiatur: angulus BAL æqvalis erit angulo EAK & angulus ALB. angulo AKE, & cuncta parva triangula æqve ac primum ALB, ac majus AKE pariter sibi erunt æqvalia lateraqve sibi proportionalia habebunt, qvod de ALQ, & AKC. qvoqve concludendum. Nam qvamdiu AKE haud intumescit, punctum E profundius erit, sc. in F, similiqve ratione ALB, si non distendatur, punctum B necessariò profundius, v. g. in P, erit : Unde etiam, qvia AP æqvalis est lineis ALB & linea AF lineæ AKE, ex hypothesi, ideò, uti se habet ALB ad AKE, ita se habebit AP ad AF, ALB autem se habebit ad AKE, qvemadmodum AB ad AE. Si itaqve à Proportionalibus AP, AF æqvales proportionales AB & AE, tollantur, Remanentes BP & EF, pariter erunt proportionales : ast Lineæ ALB ex suppositô qvarta pars sunt linearum AKE, adeoqve BP est qvarta pars lineæ EF. Hinc qvælibet trium reliqvarum vesicularum minorum qvartam ponderis partem attollet, & per consequens qvatuor qvartæ, æqvales EF simul elevabunt pondus integrum ad eandem altitudinem cum majore AKE, hocqve per unam qvartam distensionis; cùm probatum fuerit Q Lesse qvartam partem lineæ CK. Jam si in unâ fibra loco qvatuor vesicularum harum 4000 supponamus, hæc elevabit idem pondus per spacium EF cum qvadrimillesima intumescentiæ portione, & porro cum qvadringentesima millesima parte, &c.

6. Atq; his suppositis, prolixius declarabatur (1.) Ratio circulationis sangvinis in singulis musculis, & qvid horum motibus illa conferat (2) qvid perspiratio ex qvôlibet musculô hic præstet: (3) qvod intumescentia qvædam in qvalibet musculi contractione subsit: (4) qvomodo qvilibet musculus, dum contrahitur, durior atqve compactior evadat: (5) Cur qvilibet musculus suo antagonista opus habeat: (6) cur in paralysi aut vulnere unius lateris, antagonista ille mox convellatur. (7) Cur in fracturis musculus volvatur sursum; (8) Cur in animalibus recens mactatis, qvamdiu horum caro adhuc calet, adeò multi insultus & contractiones musculorum observentur: & (9) cur musculus per medium dissectus versus utramqve sui extremitatem convellatur. Hæc similiaqve in Prælectionibus illis fusiùs exponere conabar, per modum tamen hypotheseos saltem, non verò qvòd crederem, me verum motus animalis mysterium reperisse, cùm mihi ferè persvaserim, neminem un-

Digitized by Google

unqvam explicuiſſe aut explicaturum vel hoc, vel ullum phœnomenon ſecundum veram naturæ methodum atqve ductum.

EXCERPTA EX EPHEMERIDIBUS ERUDITORUM Gallicis, A. 1681. 24. Martii, *De Nutritione infantum, ſine miniſterio nutricis.*

POſt alia plura circa infantum in Utero matris ſuſtentationem recens reperta, reſtat eorundem extra matris uterum ſalubris & ſemper æqvalis nutritio, eaqve citra nutricis adjumentum, cum talis ab his, ob plures animi affectus, corporis ægritudines, aliaqve multa incommoda, minus ſperanda ſit. Reipſa præſtari eam in Angliâ, ut & in Bavariâ, à ſublimioris etiam conditionis perſonis, jam Anno 1680. Ephem. 6. recenſitum, unáqve perficiendi illam modus ibidem expoſitus fuit. Propoſitum eſt pariter iſtud negotium in Gallia Adminiſtratoribus Pœdotrophii Expoſititiorum, qvorum maxima pars alioqvin ex malâ nutritione, & nutricum incurâ perit. Adhibere qvibusdam pro hoc fine placuit decoctum frumenti, aliis gelatinam panis, aliis pultem. Donec Parlamentum Pariſienſe 1680. 19. Aug. negotium iſtud certis qvibusdam Medicis & Chirurgis, ut & binis juratis fœminis, pro communicandis conſiliis, committendum decrevit. His itaqve viſum fuit, licet inſignis nutricum ſit neceſſitas, adeò ut optandū omnino foret, ut ad qvartum uſq; menſem ſaltem haberi eædem qveant, pro evitandis crebrioribus iſtis, qvibus infantes adeò teneri obnoxii ſunt periculis: non eſſe tamen impoſſibile, abſq; nutricis adjumentō infantes tales educare, utut propoſiti ſuperius modi, non niſi infantibus jam robuſtioribus, & ablactationi ferè aptis conveniant. Cùm verò periculoſum ſit, tentare auxilia per experientiam nondum confirmata, ſine ratione verò ſuſcipere aliqvid in corporibus adeò delicatis ſit temerarium; hæc autem minus perſvadeat ſuperius propoſita media, modò conſideretur ſtatus recens natorum, calor eorum debilis, ventriculus infirmus, liqvores diſſolventes alimenta humiditate nimiâ ferè præfocati; ob id neceſſe omnino eſſe, ut nutrimentū lacti Nutricis ſubſtituendum, tam propè ad chyli naturam accedat, ut nullō ferè calore pro digeſtione ſui indigeat, parum in ventriculo ſubſiſtat, diſtribuatur facilè, & principaliter pro evitandâ ſubitaneâ mutatione, tenerioribus periculoſa, cognatum admodum ſit, tam nutrimento illi matris, qvo in-

fantes nutriti sunt in uterô, qvàm isti nutricum, in cujus locum substituendum venit. Qvæ proprietates cùm non deprehendantur in decoctô frumenti, crudô, ventriculo gravi, & minus à calore tenellorum debili alterabili, eosqve absqve dubio ad febres aut pernitiosos alvi fluxus disposituro, neqve in pulte, aut panis gelatinâ, alimentis crassioribus, & qvæ non nisi rarò admodum recens natis conveniant, & non nisi infantibus 6. vel 7. mensium post primam dentitionem appropriata sint; evidenter omnino exinde sequi, lactis locô, itidem Lac, & qvidem pro fœminarum isto, illud ex animalibus recipiendum esse, cùm historiarum fide jam constet, plures infantes per bestias lactatos esse, & hodiernâ ex consvetudine, infantes per Variolas insigniter læsi, feliciter capras sugant. In defectu hujus paulò difficilioris modi, Lac Vaccinum adhibendum esse, debitis tamen observatis cautelis, qvæ inter primaria, ut per modum suctionis recipiatur ab infantibus, qvò maxillarum sub suctione motu vasa salivaria melius aperiantur, qvoniam salivæ cum alimentis miscela mirè horum dissolutionem promovet. Sine temeritate verò tentare hoc licere, posteaqvam non ratio tantùm persvadeat idem, sed qvibusdam etiam è suis, & pauperculis pluribus fœminis bene successerit, donec superatis hoc modo periculis primæ istius ætatis, ad solidiora, ut pultem, gelatinam panis, & frumenti decoctum accessus fieri qveat.

Qvibus ita definitis, tres adhuc restare conditiones pro meliori successu summè necessarias monent: scilicet ut 1. Lac sit in temperie adeò exactâ, ac si immediatè ex mammis fœminæ sanæ prodiret, cùm alioqvin infantum ventriculus minus ferre illud possit; 2. in hoc caloris naturalis gradu continuè conservetur; & 3. tam facili labore ab infante recipiatur, ac si ex bonæ nutricis papillis hauriretur. Pro qvibus reqvisitis obtinendis, Dominus Du Val, Ingeniarius & Architectus Regius occupatus fuit; pro duobus primis qvidem, recipit Vas ingens cupreum intus stannô obductum, in qvo contentum Lac vaccinũ ad eum caloris gradum calefacit, qvi æqvalis est calori lactis, ex mammis Nutricis recens mulcti, qvæ temperies à præsente Medico, parum utriusq; manui suæ imponendo & exactè explorando, dijudicanda sit. Ut v. æqvalis ista temperatura conservetur continuè, extrinsecus qvidem ignem lampadis ex Spiritu vini accenso dicto vasi supponit, intrinsecus v. Thermometron vasi immittit, in qvo contenti liqvoris determinata

nata altitudo regula est infallibilis gradus caloris in lacte conservandi: cujus machinæ delineatio in Ephemerid. c. l. videri potest. Tertio verò reqvisito, facilis suctionis, satisfacit per mammas artificiales, ad imitationem mammarum nutricis bene constitutæ conformatas, qvas parvis vasis stanneis artificiosè accommodat, exqve pelle caprinâ aliavè subtili fabricat, aut cùm hæc minus durabilis sit, & ob subtilitatem per suctum infantum relaxetur & emolliatur citius, potius telam sericeam tenuem (alias Taffent) ceu magis durabilem recipit. Ut verò continuè tumentes ac turgentes maneant, pilis eqvinis certo modo præparatis eas replet. Sic enim molles æqve ac tractabiles erunt, ut citra ullam læsionem infantes gingivas applicare, & maxillæ motu salivæ profusionem una adjuvare qveant.

HERMANNI VVITSI,
S. Literarum in Ecclesia & Academia Ultrajectina Doctoris & Professoris
EXERCITATIONES SACRÆ in SYMBOLUM, qvod APOSTOLICUM dicitur.
Franeqveræ 1681. 4.

AUtor à Commentariis qvòs *de Fœderum Divinorum Oeconomia* ante qvadriennium edidit, satis notus, id ante omnia de his Exercitationibus Sacris in Præfatione ad Lectorem præmonendum ipse arbitratus est, non Eruditis eas scriptas esse, sed Discipulis solùm, itqve Auditoribus suis, qvibus facem ad Religionis suæ Praxin genuinam præluceret voluit. Non enim putavit committendum esse, ut qvi è disciplinâ suâ ad Sacros venirent ambones, sublimibus fortasse, sed frigidis Dissertationibus, aut calidis etiam, sed parum profuturis Disputationibus plebis Christianæ aures obtunderent, animos interim nullo rerum cœlestium gustu, nulla Divinarum consolationum dulcedine, nullo veræ pietatis amore imbuentes. Hinc totam orationem veri Theologi ita componendam esse docet, ut mens cum stupore qvodam in admirabilium veritatum meditatione defixa cœlesti se ardore inflammari sentiat, ad vitam sicuti tantarum rerum cognitione ac fide dignum est, instituendam. Auditorum etiam mentes ita vult in-

for-

formari, ut diligenti susceptо examine ex gnorismatis infallibilibus dignoscere qveant, num ad se qvoqve Evangelii promissa pertineant. Adeoqve nullum esse commonstrat Theologiæ caput, qvod non eximiam qvandam ad hanc rem vim habeat. Atqve is qvidem primarius sex & viginti harum Exercitationum Sacrarum de præcipuis Religionis Christianæ articulis ex Symbolô Apostolicô deductis scopus, atqve finis unicus est. Et qvamvis initio constituerat Autor, ea qvæ ad Theoriam pertinent, tanqvam ex Institutionibus Catecheticis, Systematibus Theologiæ, & Locis, qvos vocant communibus nota supponere, in gratiam tamen Auditorum suorum non intermisit, etiam qvo ordine, & qvo argumentorum selectu dogmata ista tractanda existimaret, tradere. Hinc factum est, ut in ipsa Dogmatum è S. literis repetitione fuerit aliqvando prolixior, & occasione ita ferente τῶν ἑτεροφρονούντων qvoqve torsiones refutârit. In argumentorum autem selectu & tractandi methodo, sua qvadam usus est libertate, qva fraudandum non esse putat eum, qvi veritates omnes usqve adeò sartas tectas esse cupit, ut iis illustrandis, confirmandis, & ad verum suum usum transducendis, omnem suam operam impendat. Ad calcem hujus libri adposuit Indicem Exercitationum singularum Breviaria vel summas complectentem.

BIBLIOTECA

EVOLUTIO INSIGNIUM SERENISSIMI Principis FRIDERICI Ducis Saxoniæ &c. &c. juxta Artis Heraldicæ principia ex Historiarum monumentis adornata, stud. o Bernhardi Zechii, Serenitatis suæ à secretis Feudalibus.

Francof. & Lipsiæ, apud Christian. Gentschium. 1682. in fol.

TRes hoc opusculum Tabulas continet, qvarum unâ Saxo-Gothanorum Ducum insignia, duabus reliqvis eorundem genealogia, ante oculos ponuntur. Discursus ipse duab9 sectionibus absolutus, qvarum prima Insignium illorum Scutum, ejusqve parmulas ac areolas singulas: altera galeas scuto incumbentes exgenuinis Artis Heraldicæ regulis, & Annalium fide explicat, paucis etiam de Ordinis Elephantini, in qvem anno 1678. Serenissimus Princeps Fridericus receptus est, Insigni, Principisqve Symbolo, *Pietate, Prudentiâ & Justitiâ*, subjectis. Non potuisse verò non simul Saxonicæ Domus Antiqvitates, ejusqve in tot provinciis Dominii originem ea occasione ab Auctore attingi, ac illustrari, conjicient facilè, qvi nórunt, qvàm arcto nexu Ars Heraldica & Historia inter se vinctæ sint.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Julii, Anno M DC LXXXII.

ספר שפתי ישנים

id est,

LIBER inscriptus *LABIA DORMIENTIUM.*

Autore R. Schabtai ben Joseph.

Amstelodami in 4. Anno תמא 441, supputationis Judaicæ, id est Christi 1681.

QUemadmodum Judæorum Rabbini hodie ad Polymathiæ laudem adspirant, & Christianorum excitati exemplo variam sibi eruditionem, indeque notitiam librorum acquirere moliuntur: ita librum hunc, materia multorum annorum labore conquisita, scripsit *Rabbi Schabtai*, משורר בס מפראא *Bassista Pragensis*, frater celebris inter suos Rabbini, *Jacobi Strimerii*, quorum uterque adhuc floret, & filii sunt *Sanctissimi, quem laudant, Martyris, Rabbi Josephi.* Is ut felicius institutum persequeretur, susceptis multis itineribus per omnes Judæorum Synagogas vagatus, celeberrimorum ubivis Rabbinorum Bibliothecas excussit. Excusit tandem hunc fœtum suum, a plerisque Archi-Synagogis in Polonia & Germania cum applausu exceptum, quorum censuræ & approbationes magno numero operi præmittuntur. Ad cujus quidem lectionem ipse non vult quemquam admitti, nisi *præfationem* satis operosam antea integram perlegerit. In ea autem *usum libri*, quem facit decuplum, prolixe commendat, eaque occasione de disciplinis atque scientiis disserit, tum & methodum docendi in Synagoga Judæorum Hispanorum Amstelodamensi observari solitam describit, ac rationem reddit tituli שפתי ישנים *Labia dormientium* ex *Cant. VII*, 9. mutuo accepti. Ipse liber *Bibliothecam Rabbinicam* multo nobis ampliorem exhibet,

quam Buxtorfiii, Hottingeri, Plantavitii, Bartoloccii, editæ de hoc argumento lucubrationes, non ignoratæ Autori, quippe parte operis ultima laudatæ. Dividitur in *quatuor partes*.

Prima pars duabus sectionibus absolvitur, quarum *prior* circa תורה שבכתב *legem scriptam; posterior* circa תורה שבעל פה *legem oralem* occupatur.

Sectio *prior* circa *legem scriptam* occupata, post librorum Biblicorum, eorumque diversi apud Judæos & Christianos ordinis designationem, strictim omne persequitur, quicquid ad illorum tum lectionem, tum interpretationem quoquo modo facit. Atque adeo *Capite I.* singulorum librorum Biblicorum tituli, paraschæ, capita enumerantur. *Cap. II.* recensentur (1) libri, qui vocum difficiliorum per universum Codicem Hebræum occurrentium interpretationes continent. (2) libri, in quibus voces in versionibus Chaldaicis occurrentes exponuntur. (3) Commentarii literales in universum Codicem. (4) Commentarii literales in solum Pentateuchum. (5) Variæ Bibliorum versiones. (6) Commentarii Cabbalistici in Legem, Ruth & Threnos. (7) Dilucidationes præcipuorum Commentariorum Cabbalisticorum, τῶ Sohar nempe, Rakanati, & Bechai. (8) Commentarii Philosophici in Legem, quinque Megilloth in genere, & in specie in Threnos; item in Psalmos & Jobum. (9) Commentarii Grammatici in Legem. (10) Commentarii in Aben Esram, difficiliorem legis interpretem. (11) Commentarii in Misrachium, alium legis interpretem. (12) Commentarii in Rabbos. (13) Commentarii in Raschi. (14) Commentarii literales simul & Homiletici in Legem. (15) Commentarii in quinque Megilloth, qui tum in omnes universim, tum in singulos libellos seorsim scripti sunt. (16) Commentarii in Haphtaros. (17) Commentarii literales & Homiletici tum in Prophetas priores & posteriores, atque in Hagiographa simul, tum speciatim in Prophetas tantum, & quidem tam in omnes quam in singulos, similiterque in omnia Hagiographa, & iterum speciatim saltem vel in Psalmos, vel Proverbia, vel Jobum, vel Danielem, vel Esram & Nehemiam. (18) Homiliarii ad certos libros Biblicos non adstricti, sed pro ratione materiæ liberius distributi. *Cap. III.* exhibentur (1) Libri precationum & cantionum, quibus uti consueverunt. (2) Libri Carminum & Poematum. (3) Commentarii

in

ini precationes. (4) Commentarii in lectionem paschalem. (5) Libri scriptionem legis & Mesusæ exponentes. (6) Libri de conscribendis epistolis. *Cap. IV.* commemorantur libri (1.) Genealogici & Historici. (2.) Geographici. (3) Ænigmatici & Parabolici. *Cap. V.* Libri (1) Ascetici. (2) Cabbalistici ordine Biblico non dispositi. *Cap. VI.* Libri (1) Grammatici ordinem Biblicum non tenentes. (2) Masorethici. (3) Logici. *Cap. VII.* Libri Didascalici & Consolatorii (1) de redemptione & resurrectione mortuorum. (2) de futuro seculo, & anima. *Cap. IIX.* Libri Critici & variarum Lectionum in quoscunque libros legis tam scriptæ, quam oralis. *Cap. IX.* Libri Ethici de pietate, beneficentia, pœnitentia, & similes. *Cap. X.* Indices Biblici, & quidem (1) dictorum, (2) allegoricarum interpretationum.

Sectio *posterior* circa *legem Omlem* sic occupatur, ut *Cap. I.* recensio operis Talmudici habeatur cum indice omnium capitum Alphabetico. *Cap. II.* recensentur (1) Commentarii in Mischnam (2) Commentarii & Dissertationes in Gemaram, in Commentarium Talmudicum Raschii, & in Tosephos. (3) Commentarii in librum Hen Jacob, & cæteras Aggadas, uti & in Talmud Jerosolymitanum. (4) Commentarii in Pirke Abhoth. *Cap. III.* Libri (1) Arithmetici. (2) Astrologici de embolismis, iisque omnibus, quæ ad dierum, mensium, annorum, noviluniorum rationem spectant. (3) Sphærici & Astronomici. (4) Philosophici non juxta legis ordinem, sed libere per capita, & pro ratione materiarum dispositi. (5) Cheiromantici. (6) Magici. (7) Necromantici. (8) Onirocritici. (9) Mufici. (10) Pansophici. *Cap. IV.* Libri (1) Dogmatici de fundamentis fidei & tredecim articulis. (2) Polemici pro Judaica fide vindicanda. *Cap. V.* Libri (1) rituales. (2) Indices consuetudinum, legum, statutorum, aliarumque rerum in Gemara contentarum. *Cap. VI.* Libri (1) Quæstionum & Responsionum de rebus Juridicis. (2) quæstionum & responsionum de rebus Philosophicis & ænigmaticis. *Cap. VII.* Libri (1) Medici & Physici, circa naturam hominis, brutorum & volatilium. (2) de gemmis. *Cap. IIX.* Libri Caballistici de Rasche tesos, Gemetria, & Notarikon. *Cap. IX.* Libri (1) Juridici secundum ordinem Gemaræ, vel Alphesium dispositi. (2) Alii secundum ordinem Arba turim, vel Schulchan aruch, vel Lebuschin. (3) Alii secundum ordinem Mischne Torah Majmonidis. (4) Alii

ſecundum ordinem ſexcentorum & tredecim præceptorum. (5) Alii pro ratione materiarum libere diſpoſiti. (6) Alii ſpeciales ſecundum ſingulas partes libri Turim diſpoſiti, vel juxta Orach chajim, vel Joreh deah, vel Eben haæſer, vel Choſchen hammiſchpat. *Cap. X.* Libri (1) Iſagogici in Gemaram. (2) Architectonici de tabernaculo, templo, & vaſis ſacris. (3) Germanici, vel alterius idiomatis, ſed literis Rabbinicis excuſi. (4) Methodici de ſtudio tam Biblico, quam Talmudico feliciter tractando.

Secunda pars ordine alphabetico libros Rabbinicos ſuis titulis deſignatos, eosque circiter bis mille ac ducentos recenſet, annotatis ubique cujusvis libri argumento, Autore, editionibus.

Tertia pars שער בת רבים inſcripta tribus ſectionibus conſtat. *Prima* Autorum nomina indice alphabetico exhibet, & ad ſecundæ partis paginas, in quibus eorum opera hinc inde titulorum ductu diſperſa ſunt, remittit, ſimulque annotat, quo quisque ſeculo floruerit. *Altera* (e libro Juchaſin excerpta) nomina Doctorum omnium, quotquot in Miſchna & Gemara ſententias dixerunt, & initio quidem Miſchnicorum ſeparatim, deinde & Gemaricorum, ordine alphabetico commemorat. *Ultima* inde a primo Synagogæ Magnæ tempore per ſecula Rectores Synagogæ, poſtea Doctores Miſchnicos, qui ante & poſt Urbis ac templi deſolationem fuere, hinc Gemaricos, porro Seburæos ſive Scholaſticos, ac tandem Geonæos, ad ductum libri Zemach David recenſet.

Quarta Pars inſcribitur שער החיצון *Porta extranea*, & comprehendit libros a Chriſtianis in literatura Hebraica vel Rabbinica editos, eorumque titulos, autores, argumenta, editiones indicat.

Cæterum laudandus Autor eſt non modo a diligentia, quam in colligendis conſignandisque libris prorſus ſtupendam adhibuit, ſed & ob elegantiam ſtyli Hebraici in præfatione inſigniter comprobatam. Idque fertur nunc dare operam, ut in eorum gratiam, qui Rabbiniſmi adeo gnari non ſunt, hic ejus liber Amſtelodami in Linguam Latinam transferatur. Edidit & opuſcula alia: inprimis vero Pentateuchum Hebraicum cum Targum, & commentario Raſchi, collectisque in Raſchium notis e variis biurim, atque ad marginem notatis locis Talmudicis e Toledos Aharon, &c.

THE-

Digitized by Google

THERIACA JUDAICA AD EXAMEN REVOCATA.

Scripta Amoibæa Samuelis Friderici Brenzii, Conversi Judæi, & Salomonis Zebi, Apellæ, nunc primum cum versione Latina & animadversionibus edita à Jo. Wulferō.

Norimbergæ in 4. A. M DC LXXXI.

CUm ante octo & triginta annos Theodoricus Hackspanius, Lipmanni Nizzachon Altdorfi primum ederet, examen virulentissimi libri pollicitus, adjecit editioni illi tractatum de usu librorum Rabbinicorum, veluti futuræ refutationis prodromum, in quo aliquoties ad *Theriacam Judaicam Salman Zebi* provocans, talia inde loca, cumprimis *pag. 268. 278. 281. 356. 358.* produxit, quæ salivam facile movebant rerum Judaicarum Studiosis. Sed nullibi prostabat isteliber Hanoviæ excusus, quod a Judæis ipsis, invidia & odio erga Autorem accensis, supprimeretur. Continet Apologiam pro Judæis, in qua enormia a *Samuele Friderico Brenzio* iis intentata crimina depelluntur. Abierat enim Brenzius a Judæis ad Christianos, atque ut post susceptum baptismum suæ fidei, quam jam profitebatur, documentum daret novus inter Christianos proselytus, calamum in populares, quos deseruerat, strinxit, scriptoque libro Germanico, sub titulo *Leberidis* (Jüdischer abgestreifften Schlangensalg) Judæorum malitiam, fraudes, scelera, impietatem, atque in Christum ejusque sanctam matrem blasphemias detexit, omnesque sibi ab iis cavere monuit, tanquam a juratis Christiani nominis hostibus, quorum omnis cura & cogitatio in Christianorum odium, contumelias, & perniciem fixa sit. Ut primum ergo hoc Brenzii scriptum Norimbergæ Anno seculi currentis XIV. prodierat, ad ejus confutationem se masculè accinxit Judæus in Talmude & aliis Rabbinorum monumentis non usque adeo hospes, *Salman Zebi, Offenhusensis*, ita quidem, ut adversarii sui Objectiones, ordine, quem tenuerat, servato, diluat, & gentem suam contra tot ac tantas, quas putabat, calumnias defendat. Atque hinc libro titulum fecit *Theriacam Judaicam* (Jüdischer Theriack) quia, quam ipse in præfatione

nerationnm reddit, forte sit antidotum ad venenem ex Adversarii Leberide haustum extrahendum; scripsitque idiomate, quo ille, germanico, sed quali communiter uti Judæi solent, & Rabbinicis expresso literis. Cæterum ut Judæis multa fola criminandi libidine fallo objicit Brenzius; ita vicissim multa negat, vel certe emollit, aut aliter interpretatur Zebi, quorum tamen Judæi jure optimo postulantur: uterque interdum commode locutus, aliquando & mentitus est, quod in animadversionibus suis diligenter excussit *Jo. Wulferus*, qui non utriusque modo scriptum nativo sermone & charactere junctim, sed & in exterorum gratiam cum versione latina, justis animadversionibus auctum edidit, alterum post Talmudici tractatus de Siclis versionem perpetuo Commentario e Rabbinorum scriptis illustratam, studiorum Philologicorum specimen; cui ad calcem ob argumenti cognationem *Isaaci Vivæ* libellum adjecit, pridem Amstelodami impressum, quem *Vindicem sanguinis* inscripsit, h. e. *Vindicias secundum veritatem, quibus Judæi ab infanticidiis & victima humana contra JACOBUM GELSIUM vindicantur.*

EXCERPTA V. ET N. TESTAMENTI SYriaci, cum Latina interpretatione nova & Annotationibus Christophori Cellarii. Cizæ, sumtu Jo. Bielcki, Bibliopolæ Jenens. MDCLXXXII. in 4.

UT studiosæ Juventuti sacræ Philologiæ, ac imprimis linguarum Orientalium studium magis redderet commendatum *Christophorus Cellarius*, vir humaniorum & orientalium literarum egregie doctus, non tantum *Horas Samaritanas*, seu loca S. codicis selectiora excerpta cum versione & annotationibus edidit: verum nuperrime etiam laudabili industria *Excerpta V. & N. Testamenti Syriaci* cum nova interpretatione typis exscribi curavit publicis. Utrique parti Excerptorum ex Bibliis Polyglottis Anglicanis desumtæ, novam eamque Syriacæ ad verbum respondentem adjecit versionem. Cujus rei causa allegatur in præfatione, qua de versionis Syriacæ autoritate, antiquitate & sinceritate ex Briani Waltoni Prolegomenis Bibl. nec non de ejusdem utilitate in S. Theologiæ studio, adductis variis exemplis disserit. Annotationes adjectæ ad difficiliorum locorum intellectum faciunt. Quæ

ex

ex *N. Testamento excerpta* publicavit, continent potiora ejusdem loca, quæ vel ad fidei Christianæ summam pertinent, vel linguæ hujus usum cultoribus commendant. Annotationes iis subjicere omisit, quod pleraque vocabula in V. T. excerptis jam essent exposita, & reliqua satis ex bona versione possent intelligi. Ubi variantes occurrunt lectiones, *Autor clarissimus* non Trostjanam, nec Gutbirianam, sed Anglorum scripturam secutus est.

INSTITUTIONIS THEOLOGIÆ ELENCTICÆ Pars Prima & Secunda,

Autore FRANCISCO TURRETINO in Ecclesia & Academia Genevensi Pastore, & SS. Theologiæ Professore.

Genevæ, 1682 in 4.

INstitutionis Theologiæ Elenctica nomen huic Operi impositum, ne Systema aliquod Theologiæ plenum hic tradi quis credat. Is enim Autori scopus propositus nunc quidem non fuit; sed tantum, ut *nobiliorum Controversiarum Theologicarum in omni Religione hodie vigente* momentum exponeret, & filum Ariadneum junioribus subministraret, cujus ope ex earum labyrintho se facilius extricare possent. Ideo eas seligere voluit, quæ majoris momenti, vel magis necessariæ hoc tempore visæ sunt, cæteris missis, quæ vel arduæ sunt nimis & curiosæ, velinanes & jejunæ, quæ nec ignoranti nocent nec scientem juvant. Quia vero constat, præ cæteris periculose errari sæpissime circa controversiæ statum, id sibi ante omnia negotii dedit Autor, ut remotis illis, qvæ sunt ἐξαγώνια, *præcipuum quæstionum Cardinem* diligenter ex sententia partium, quantum fieri potuit, grueret, ut eo semel rite posito & explorato, via facilis ad reliqua complanaretur, sive κατασκευαλικῶς veritas esset adstruenda, sive per ἀνασκευὴν error destruendus veniret. Quæ duo sibi insuper sic exequenda proposuit, non ut *Rationes* omnes operose congereret, quæ in medium afferri solent confirmandæ veritati, quia hic non tam numero quam pondere certandum; sed ut *potiores ac solidiores* quibus fulciri potest, cum judicio sublegeret, robore etiam, ubi opus fuit, iis addito, & *Exceptionibus palmariis* τῶν ἐξ ἐναντίας dilutis. Quibus tandem *fontes solutionum* subjecit, ut

paucis

paucis & uno veluti obtutu, missa prolixa argumentorum serie, distinctiones occurrerent & observationes utiles, quibus πρῶτον ψεῦδος Adversantium retegi, & nervi præcipuarum objectionum sine magno labore incidi possent. Quæ omnia ea brevitate ac perspicuitate exequi conatus est, ut nec nimia brevitas obscuritatem, nec nimia prolixitas tædium pareret. Unde nuda & simplici rerum expositione contentus omissa operosa testimoniorum, quæ coacervari poterant, citatione, brevibus punctis signare satis habuit, quæ alias in justa argumenti tractatione deducere potuisset. In *secunda* hujus Operis parte operosiorem & prolixiorem quam in *prima* secutus est viam, ut ita ex multorum voto priorem ejus laborem utroque pollice approbantium, paulo diutius in difficiliorum quæstionum examine immorari posset, & aliquanto fusius in præcipuorum & fundamentalium, quæ subinde occurrebant, Scripturæ Locorum explanatione versaretur. Hinc factum, ut absoluta tractatione locorum de *Lege & Fœdere Gratiæ*, de *Christi Persona & Statu*, ejus *Officiis & Beneficiis* variis, manum de tabula tollere coactus fuerit, & in *Tertiam* partem rejicere reliquas controversias de *Ecclesia*, de *Sacramentis* & de *Novissimis*, quas propediem discutere instituet, ut plenum *Institutionis hujus Elenctica*e Systema habeatur. De cætero nullum erga diversa in Religione sentientes, nisi charitatis affectum Autor spirare videtur, procul ab omni personarum odio & livore, nec temere alienam mentem affingere iis, quibuscum agendum fuit, nec illa studio dissimulare voluit, quæ pro illorum causa facere videbantur. Id certe sedulo cavit, ne quid *novum* hic Liber haberet, & a formulis publicis in Ecclesia Reformatorum receptis alienum, & ut nihil ibi adstrueretur, quod probatissimorum huic Religioni addictorum calculo non confirmaretur. Atque ita solicite fugiendam judicavit profanam illam ingeniorum libidinem ad nova & curiosa prurientium, qui, ut ipse quosdam suarum partium Theologos modernos describit, *sub specioso majoris lucis & penitioris indaginis veritatis antea ignoratæ prætextu, ante se tradita convellere, bene constituta destruere, & ἰδίας φιλοσόφους, & καινὰς δόξας instar oraculorum obtrudere præsumunt, & a se dissentientes, tanquam bonæ mentis vacuos, imperitos, & veteribus formulis serviliter addictos traducere non erubescunt.* Et quanquam ipse adspernari nolit Recentiorum industriam, qui luculentiora dona a

Deo

Deo consecuti, & peculiari ingenii acumine pollentes, cum laude occupantur in Scripturis scrutandis & veritate illustranda; ut tamen sub hoc prætextu vetera superciliose rejiciantur, & nova dogmata in Ecclesiam inducantur, quasi illi qui nobis præiverunt, in caligine ac tenebris adhuc versati sint, nec religionem ab erroribus suis satis repurgarint, hoc sane *& fama tantorum Virorum injurium, & Religioni probrosum, & piis auribus intolerandum esse* pronunciat.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ capita & in loca ejusdem insignia Dissertationes,

Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ord. FF. Præd in Sacra Facult. Parisiensi Doctore Theologo, & in Majori Conventu & Collegio Parisiensi ejusdem ordinis S. Theologiæ Professore, & studii Regente.

SECULUM IX. & X.

Parisiis A. C. 1681. in 8.

AUtori huic suas in universam Historiam Ecclesiasticam lucubrationes, continuata Tomorum serie, ante annos haud ita multos in publicam lucem emittere aggresso, ea placet methodus, ut succinctam seculi cujusque Synopsin, in certa capita divisam, Historicis, Chronologicis, Criticis & Theologicis dissertationibus illustret, & panopliam, ut vocat, adversus veterum & recentiorum, quos existimat, hæreticorum errores e Scriptura, Traditione, & Patrum doctrina subministret. Quod opus Theologiæ studiosis eo gratius & ad usum accommodatius futurum existimavit, si scholasticum & disputantibus familiarem scribendi modum in dissertationibus istis adhiberet, in quibus haud raro magni nominis viros etiam suæ religionis atque gentis impugnat, exterarum gentium Theologos tanto æquius laturos ratus, quod in fidei articulis aliis principiis innutritus, Ecclesiæ suæ Pontificiæ placita defenderein se susceperit. Hanc igitur instituti rationem secutus, octo prioribus seculis, quæ anno 1676 & deinceps prodierunt, anno superiore Nonum & Decimum seculum duobus comprehensa voluminibus adjecit.

Et PRIUS quidem VOLUMEN, quod Historicam seculi 9 & 10

Synopſin conjunctim exhibet, a Romanis hujus periodi Pontificibus auſpicatur. Agmen ducit Leo III, e cujus vita S. Suitberti Canonizationem contra *Baronium* expungendam eſſe notat, cum indulgentiæ, ut cætera argumenta prætereamus, fidelibus certas Sanctorum Eccleſias & Altaria viſitantibus erogatæ, quarum in actis iſtius Canonizationis mentio fit, ante duodecimum ſeculum Eccleſiæ ignotæ fuerint. Leonem III Stephanus V, & reliqui ſequuntur, quorum ſeriem & res geſtas ita refert, ut errores etiam & turpiſſima quorundam flagitia ſubinde memoret, quamvis per eam labem Romanæ Sedis autoritati, cui ubique conſulere nititur, quicquam præjudicari nolit, & nonnullis doctrinæ nævos & crimina per calumniam objici, perſuaſum ſibi habeat. Eugenio enim II, qui e pervetuſtis & nono ſeculo coævis tabulis Remigianis, a *Mabillonio T. I. Analector.* editis, ritum probationis per aquam inſtituiſſe arguitur, ſuperſtitioſum illud & cum Dei tentatione conjunctum inventum adſcribere religioni habet; & *Joh. Launojum* Pariſienſem Theologum, qui *in libro de Regia in Matrimonium poteſtate* Johanni VIII hanc ſententiam tribuerat, quod conjux ob fornicationem alterius conjugis poſt legitimum divortium aliarum nuptiarum poteſtatem habeat, quaſi magnum illi errorem per hanc ſententiam attribuiſſet, inſigni & omnibus bonis execranda fraude Johannis VIII verba adulteraſſe, non ſine verborum amarulentia queritur; & Sylveſtrum II, qui inter Romanos hujus ætatis Pontifices extremum locum occupat, de necromantia & aliis magicis artibus non aliam ob cauſam ſuſpectum fuiſſe exiſtimat, quam quod ſumma ejus in Mathematicis diſciplinis peritia, & ingenioſa in novis horologiis & aliis machinis elaborandis dexteritas, rudi ſeculo Dæmonis familiaris opem requirere videretur.

Romanorum Pontificum hiſtoriam cum hæretici, qui ſeculis IX & X Eccleſiam infeſtarunt, tum ſcriptores Eccleſiaſtici, numero pene LXX excipiunt, quorum opera ſic enumerat, ut ea, ſicubi opus, ad criticum examen revocet, & ex plerisque floſculos aliquos excerpat. Dehinc Synodorum Nationalium & Provincialium, quibus diſciplina IX & X ſeculi ſancita & inſtaurata fuit, decreta ſubjicit, & poſtquam Canonum in ſingulis conditorum medullam perſpicue expoſuit, Politiæ Eccleſiaſticæ faciem ſpectandam exhibet, a novis Primatuum ſedibus nono & decimo ſeculo erectis & conſtitutis telam hanc exordius, a quibus ad Metropolitanos eorumq; jura, & inſigne eorundem Pallium accedit

cedit, *Petri de Marca* judicium tanquam veritati & Romanæ Sedi injurioſum carpens, qui pallii uſum, antiquam Metropolitanorum libertatem per cuniculos infregiſſe, & Synodorum Provincialium autoritatem peſſumdediſſe ſcripſerat. Tum ad reliquos Epiſcopos devolvitur, eorumque electionem, confirmationem, juramentum Regibus præſtitum, reſidendi in propriis Eccleſiis neceſſitatem, per Canones Eccleſiaſticos & Regum capitularia his temporibus impoſitam, & alia his affinia pertractat, inde ad Clericos & Canonicos tranſitum faciens. Nec omittenda monaſticæ rei, qualis his ſeculis fuit, prolixa ſatis enarratio, qua inter alia Cluniacenſis Abbatiæ origines deſcribit, ejusque Abbates uſque ad Odilonem anno 1048 defunctum ordine recenſet, & peculiares quasdam Abbatiæ iſtius conſuetudines a Bernhardo Cluniacenſi & Udalrico deſcriptas ſubnectit, qualis fuit ſingularis reverentia in conficiendis hoſtiis Euchariſticis, quæ non ejus, cujus hodie ſunt, figuræ, nec denarialis tantum magnitudinis, ſed longe majores extiterunt, & pro communicantium numero in plures particulas dividi potuerunt. Reliquas Abbatiæ hujus conſuetudines & alia, quæ de Monachis & Sanctimonialibus horum temporum, nec non de bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, & Clericorum privilegiis atque oneribus Autor congeſſit, inſtituti ratio, quæ brevitatem imperat, referre non permittit. Ultimus denique hujus voluminis labor in Imperatorum Orientalium & Occidentalium, Regum item Francorum, Hiſpanorum, & Anglorum, a quibus per hunc noni & decimi ſeculi decurſum Reſpublica adminiſtrata eſt, præcipuis geſtis breviter enumerandis occupatur.

POSTERIUS VOLUMEN 18 diſſertationes complectitur. In prima, quæ de translatione Imperii a Græcis ad Francos agit, Carolum M. a Leone III Romæ Imperatorem coronatum, & Eccleſiæ maxime Romanæ cuſtodem conſtitutum, nec tamen, quod *Bellarminus* & alii putaverant, hoc facto Imperium a Græcis ad Francos translatum aſſerit.

Secunda circa Ludovici Pii exauctorationem & reſtitutionem occupatur, quem ab *Agobardi*, *Paſchaſii*, & Synodi Compendienſis calumniis acriter vindicat.

In tertia vulgatam de Johanna Papiſſa hiſtoriam poſt *Florimondum*

Remundum, Leonem Allatium, Philippum Labbeum, Davidem Blondellum & alios confutare conatur.

Quarta Photii, Ignatium ſede Conſtantinopolitana deturbantis, ab Ignatio iterum detruſi, ſed poſt Ignatii mortem reſtituti, & denuo exauctorati, cum Romanis Pontificibus certamina, nec non legationum & aliarum rerum in ſchiſmate iſto utrinque actarum hiſtoriam exponit. Inprimis vero Synodi octavæ Oecumenicæ, ab Hadriano II congregatæ, cui aliam Oecumenicam IIX Photius poſtea oppoſuit, actiones ordine recenſet, & occaſione canonis 17, pro *Petro de Marca* & *Bosqueto*, contra *Chriſtianum Lupum*, an Epiſcopi Gallicani ab Epiſcopo Romano vocati, citra licentiam a Regibus permiſſam, abire potuerint, diſquirit.

In Godeſchalchi cauſa, quam quinta diſſertatio aggreditur, referenda ita verſatur Autor, ut diſſenſiones in Gallia ex his certaminibus exortas, utcunque conciliet, & *Mauguinum* aliquoties refellat.

In ſexta Rothadi Sueſſionenſis ad Sedem Apoſtolicam appellantis reſtitutio, quamvis *Annalium Bertinianorum* Autor eam non regulariter, ſed potentialiter a Nicolao I factam eſſe ſcribat, contra *Hincmarum Rhemenſem* defenditur.

Septima controverſiam, quam Hincmarus Rhemenſis Wulfado & aliis Clericis ab Ebbone anteceſſore ſuo ordinatis movit, ventilat, eorumque cauſam contra Hincmarum cum Romana Eccleſia tuetur. Hincmari iſtius Rhemenſis ex ſorore nepos fuit Hincmarus Junior Laudunenſis Antiſtes, qui cum ob turbulentas actiones male ſibi conſcius, interjecta ad ſedem Apoſtolicam appellatione, Nationalis Synodi judicium declinaſſet, ab Adriano II, ut pro ſui defenſione graves & acerbas ad Carolum Calvum, & Hincmarum avunculum ſuum literas ſcriberet, impetravit. Sed Hincmarus Rhemenſis Regis Chriſtianiſſimi nomine Pontificem illum Romanum pro merito haud mitioribus literis excepit, quarum ſummam cum reliquis hujus controverſiæ actis octava diſſertatio enarrat.

Nona Lotharii Regis & Teutbergæ divortium, & novum ejusdem Regis cum Waldrada matrimonium ab Epiſcopis Regni Lothariani, in Aquisgranenſibus Conciliis & Metenſi Synodo approbatum, ſed a Nicolao I, quem Teutberga appellaverat, reſciſſum memorat, & quid de eo negotio ſcriptum actumque fuerit, exponit.

In

In decima dissertatione Autor Paschasii Radberti, qui se in subscriptionibus monachorum omnium peripsema appellare consuevit, vitam & opera recenset, eumque ab *Henrico Boxhornio* & *Hoßmanno* temere ad Calviniſtarum partes trahi asserit, cum e contrario *Claudius* & *Larroguius* Paschasium arguant, quod primus realem Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam tradiderit: quorum sententiam congestis rationibus & multorum Autorum testimoniis refellit. Et cum reali corporis & sanguinis Dominici præsentiæ transsubstantiationem subinde admiscerat, haud mirum, etiam Lutheranos intactos non relinqui, quos per *Gastum* Hagenoiensem Ministrum anno superioris seculi 28, Paschasii opera adulterasse audacter insimulat.

In undecima ad Rabani Mauri opera & nævos progreditur, cui fœdum Stercorariorum errorem falso tribui ex *Mabillonii Secul. IV. Benedictino* asserit. Inprimis vero negat, Rabanum realem corporis & sanguinis præsentiam in Eucharistia negasse, quamvis corpus illud Christi, quod ex Maria natum est, cum eo, quod de altari sumitur, idem esse negaverit, & cum Patribus quibusdam triplex Christi corpus, Ecclesiam, Eucharisticum, & quod e Maria natum est, distinxerit.

Idem sensit Amalarius, cujus errorem de Christi corpore triformi in Carisiaca Synodo damnatum refert Florus in MSC. contra Amalarium a *Blondello in elucidationibus controversiæ de Eucharistia* laudatus. Num vero Amalarius Stercoranistarum errorem foverit, ut a *Wilhelmo Malmesburiensi*, *Mauguino*, & *Antonio Arnaldo* arguitur, an realem Christi præsentiam in Eucharistia plane negaverit, quod *Claudius* & *Larroguius* asserunt, duodecima dissertatio inquirit, in qua etiam errores Amalarii ab Agobardo impugnati recensentur.

Decima tertia Ratramni seu Bertrami scripta recenset, & inprimis librum de corpore & sanguine Domini, quem *Petrus de Marca* & *Antonius Arnaldus* Johanni Scoto, sed *Mabillonio* judice falso asserunt, nec non librum de Nativitate Christi, a Paschasio Radberto impugnatum: & librum de anima MS. Monacho Corbeiensi, qui unam omnium hominum animam esse contenderat, oppositum ad examen revocat.

Decima quarta Johannis Scoti Erigenæ, quem Autor a Johanne Æthelingiensi in Anglia Abbate distinguendum, & nec Bedæ discipulum, nec martyrem fuisse probat, opera & erroneas de Eucharistia, Prædestinatione, & aliis Fidei articulis sententias, earundemque con-

demnationem in Parisiensi, Valentina & aliis Synodis factam exhibet.

Decima quinta contra Calvinianos, & in specie *Albertinum*, *Claudium*, & *Larroguium* militat, qui seculo X fidem Eucharistiæ in tantum mutatam esse affirmant, ut, cum nono adhuc seculo Christiani corpus & sanguinem Christi ab Eucharistia abesse credidissent, decimo demum seculo substantialis Christi in Cœna præsentia credita fuerit.

Decima sexta contra *Johannem Launojum* dirigitur, qui in Epistola quadam ad Ludovicum Maresium contra *Baronium*, *Binium*, & alia Curiæ Romanæ mancipia (sic enim Launojus in dicta Epistola appellat) Romanum Concilium, quod Johannem XII depositum & in ejus locum Leonem IIX substituit, legitimum, & illud, quo Johannem restitutum volunt, suppositum fuisse probaverat, cujus argumenta Autor refutare conatur.

In decima septima dissertatione Autor de septem Electoribus agit, eosque a Gregorio V. in Concilio Romano institutos contra *Bellarminum*, *Baronium* & alios negat: quamvis de cætero haud negandum esse lectoribus suis persuadere velit, quod jus eligendi Imperatores a sede Apostolica quodammodo emanaverit.

Ultima denique dissertatio, cui Panopliæ adversus IX & X seculi hæreses titulus præfigitur, contra Photium & reliquos Græcos processionem Spiritus S. a Filio, a Latinis symbolo adjectam, tuetur, ubi obiter animadvertitur, ex Autoribus a *P. Ludovico Maimburgio* allegatis non constare, quod Henricus Imperator Benedicto Octavo, ut verba illa FILIOque Symbolo adderet, Autor fuerit, aut quod Benedictus VIII in Synodo Romana additionem illam approbaverit.

DISCOURS SUR L' HISTOIRE UNIVERselle a Monseigneur le Dauphin: pour expliquer la suite de la Religion, & les changemens des Empires. Premiere partie, depuis le commencement du Monde jusqu' a l' Empire de Charlemagne. Par Messire Jacques Benigne Bossuet, Evesque de Condom &c.

id est,

Dissertationum super Historia Universali ad Serenissimum Delphinum, quibus contextus Religionis, & Imperiorum

riorum mutationes enarrantur, Pars prima, ab exordio mundi usque ad Imperium Caroli Magni deducta. Auctore Jac. Benigno Bossueto Condomensi (nunc Meldensi) Episcopo.

Paris. in 4. Lugduni & Amstelod. in 12, 1681.

TRibus nempe locis eodem anno typis excusus hic liber est, quod acceptissimum eum omnibus futurum, & operis argumentum ipsum, & illustre Auctoris nomen, spem certam Bibliopolis fecisset. Neque de bono publico male merebitur, qui, ut novissimus Francofurtensis librorum catalogus innuit, in latinum sermonem transferre librum, ut legi a pluribus possit, instituit. Quid enim vile, aut inelaboratum expectari ab eo poterat, quem ex tanto doctorum virorum, quibus Gallia hoc tempore abundat, numero Rex Christianissimus selegit, qui Delphini studiis una cum doctissimo Hueto moderaretur, ac qui hoc ipso opere specimen edere prudentiæ Didacticæ voluit, ac viam velut aliis in erudienda probe & ad pietatem flectenda illustri Juventute terendam præire. Tametsi enim scopus Auctoris fuit, Historiam tum Ecclesiasticam, tum Civilem Serenissimo Discipulo tradere, id inprimis tamen per universum opus egit, ut demonstrato ab una parte Religionis Christianæ, suismet viribus nixæ, & ab exordio mundi ad nostra usque tempora subsistentis, imo æternum perfituræ, contextu perpetuo; ab altera parte amplissimorum Imperiorum vicissitudinibus, variis casibus, ac ruinis ob oculos positis; animum Principis a mundanarum rerum nimio studio abductum, pietate ac solidioris felicitatis gloriæque, ad quam sola nos Religio Christiana ducit, desiderio imbueret.

Prior operis pars, quæ jam publici juris facta est, & a condito mundo ad Caroli M. porrigitur tempora, tribus sectionibus absolvitur. Quarum prima Historiæ universalis, Ecclesiasticæ pariter ac Civilis, summa capita promiscue, juxta temporum tamen seriem, per certas Epochas, velut Adami, Noæ, Abrahami, Mosis, captæ Trojæ, Salomonis, Romuli, Cyri, Carthaginis excisæ, Christi Servatoris nati, Constantini, & Caroli M. auctor exhibet, totque seculorum res gestas notatu digniores brevi ac concinna oratione enarrat. In quo tractatu ut passim fidem dictis profanorum æque ac sacrorum testimoniis

niis adſtrmit; ita ubi inter ſe illi diſſident, nec conciliari poſſunt, explo-ſa profanorum auctoritate, Sacras literas, velut cynoſuram fallere ne-ſciam, ſtrictim ſequitur.

Altera ſectione Religionis Chriſtianæ veritatem, ſucceſſionemque nunquam interruptam uberiori ſermone demonſtrat, evincitque, etſi alius populi Dei ſtatus ſub lege naturæ, alius ſub lege Moſis, alius ſub Evangelio fuerit, eundem tamen Deum auctorem, eundem Chriſtum Servatorem generis humani cultum ſemper ab Eccleſia fuiſſe, eandem-que religionem eidem fundamento ſuperſtructam, ac ab hoſtibus, ido-lolatria, impietate, hæreſi, perſecutionibus, ipſaque vi immenſi tempo-ris invictam hujusque perſtitiſſe. Itaque ab Hiſtoria creationis lapſusq; Protoplaſtorum, ac primi in paradiſo de Meſſia Evangelii orſus, ad A-brahami ac Patriarcharum tempora, quibus ſparſa jam per univerſum orbem idololatria, ſuum ſibi populum peculiari fœdere Deus adſtrin-xit, ad Davidem inde & Prophetas ac clariora de Meſſia oracula ſenſim aſcendit, cumque de Hieroſolymitani templi exſtructi, deſtructi, in-ſtaurati fatis, populique Judaici & Religionis ipſius per hæc temporum intervalla ſtatu docte diſſeruiſſet, ad Novi Fœderis Hiſtoriam progre-ditur, ac Deum in carne manifeſtatum, Spiritum S. in fideles effuſum, gentiles in Eccleſiæ ſinum receptos, Rempublicam Judaicam deſtru-ctam, Religionem Chriſtianam inter ſæviſſimas perſecutiones creſcen-tem, graviſſimis diſcurſibus proſequitur. Aſt præcipuam laudem ſub-junctæ Digreſſiones profundæ ſapientiæ ac doctrinæ merentur, quibus adverſus Judæos pariter ac Atheos, veritatem Religionis Chriſtianæ in-victis argumentis demonſtrat, ac in ea propaganda admirandam Divi-ni Numinis providentiam deprædicat. Ubi non diſſimulamus, favere Auctorem inprimis Romanæ Religioni, ac ejus antiquitatem, quippe quam ipſe ſectatur, paſſim extollere.

Sectione denique tertia Imperia majora, Scytharum, Æthiopum, Æ-gyptiorum, Aſſyriorum, Medorum & Perſarum, Græcorum, Roma-norum, Auctor recenſet, memorque inſtituti, quo conſultum inprimis Sereniſſimo Delphino voluit, eorum originem, inſtituta præclara, incrementa, vitia, occaſus ſic deſcribit, ut quibus artibus ſteterint cre-verintque, per quæ vitia collapſa fuerint, nullo inde negotio intelligi, ac ſolida adeo civilis prudentia hauriri poſſit.

THEO-

THEOPHILI BONETI D. M.
Mercurius Compitalitius, ſeu Index Medico-Practicus.

Genev. 1682 in fol.

CUm Medica Praxis circa ſubjecta particularia verſetur, haud ſufficiunt ipſi pro fauſto ſucceſſu Regulæ iſtæ generales, quas methodus medendi conſueto modo tradit, quin circumſtantiarum circa ægros varietas, intricatæ morborum complicationes, & idioſyncraſiæ cujusvis individui, determinatas magis leges poſtulent. Pro praxi itaque ſpeciali dirigenda melius, tot Cautiones, Animadverſiones & Caſtigationes, a famoſioribus Practicis paſſim notatæ proſtant, non ſecus ac plures iſtæ Obſervationes, Hiſtoriæque Medicæ, & Conſultationes, ut harum omnium ope perficiatur habitus Medici Practicus, & ita per exempla breve & efficax ad artem fiat iter, longius quod foret per præcepta. Utrasque amico fœdere jungere placet Autori, præſenti in ſcripto, dum laborioſa ex probatiſſimis, priſcis pariter ac neotericis Scriptoribus Practicis collectione, eorundem cautiones & obſervationes in ſingulos morbos diligenter congerere, & concinno ordine diſponere, & ita nucleum Practicum ex tot Scriptoribus diligenter excerpti, uno in Volumine exhibere ſatagit, ut hoc ipſum in controverſiis Practicis, caſibusque dubiis, Mercurialis quaſi ſit ſtatua, quæ dum in bivio anceps ſtat Medicus, cui viæ inſiſtendum ſit, oſtendat. Opus ipſum Autor in 20. diſtribuit libros, quorum 18. priores morbos particulares quosvis, ſecundum Alphabeti ſeriem diſpoſitos, complectuntur, ut ita citius Lectori in conſpectum veniant, quæ diſquirit. Qvibus in Lib. XIX. præſidia Medica Univerſalia, ſecundum tres auxiliorum Medicorum fontes ſubjungit. Appendicis denique loco liber XX. annectitur, circa Medici munus occupatus. Præmittitur his omnibus Index Titulorum & Affectuum, prout juxta literarum ſeriem ſe mutuo excipiunt. In calce vero Operis index rerum, extra modo dictum ordinem alphabeticum collocatarum adjicitur.

PAEONIS ET PYTHAGORÆ EXERCITationes Anatomicæ & Medicæ bis 50.

Baſileæ 1682 in 8.

Digitized by Google

EXercitationes hæ Autores agnoſcunt *Johannem Jacobum Hardeſ rum*,& *Joh.Conradum Peyerum*,quorum *Ille* per *Prodromum Phyſiologicum*, explicantem naturam humorum,Nutritioni & Generationi dicatorum, ac *Examen Anatomicum Cochleæ terreſtris domiportæ*; *Hic* per Exercitationem de *Glandulis inteſtinorum* atque *Anatomen Ventriculi Gallinacei*,ab aliquot annis Orbi erudito,Scholisque potiſſimum Anatomicis innotuerunt. Epiſtolas non minore jure eas vocare potuiſſent,cum ſub earum forma conſcriptæ ac editæ fuerint a binis his amiciſſimis: quia tamen his æque ſe reciproce in rebus Anatomicis & Medicis exercere, ac mutuam operam, in Studiis his promovendis, præſtare voluerunt, Exercitationes easdem vocarunt. Complectuntur ſiquidem præter Obſervationes rerum, quæ maxime nunc inter diſſectores ventilantur, varii generis pathologica; per cadaverum præprimis, his vel illis morbis defunctorum, eviſcerationes declarata, Scholiisque ac theoriis propriis illuſtrata,adeoque uno verbo Miſcellanea ſingularis dexteritatis atque eruditionis merito dicenda erunt.

JOH. CONRADI PEYERI PARERGA Anatomica & Medica ſeptem.

Amſtelodami 1682 in 8.

EDiderat hic anno 1677 Exercitationem Anatomico-Medicam de Glandulis inteſtinorum cum Anatome ventriculi Gallinacei, in qua tenuium Inteſtinorum internam ſuperficiem certis glandularum agminibus ſeu plexibus, craſſorum glandulis ſolitariis, ornari, non ſolum in genere aſſerit,ſed harum quoque in fele, cane, vulpe, lepore, ſue, ove, capra, bove, homine, glire &c. conformationem, ex propria partim,partim aliorum autopſia accurate ſatis deſcribit, & figuris æneis exprimit. Atque has conglomeratis accenſet, liquorem ſtillantes, qui in tenuibus conſummandæ chylificationi præſit, craſſa vero contra fæcum duritiem & acrium humorum activitatem muniat,ſimul tamen glutinoſitate ſua particulas ſcybalorū coagmentet,& ad debitā conſiſtentiam conglometet: quibus demum pathemata earundē glandularum diverſa,hinc; corpori animali obvenientia ſymptomata, ſubnectit. Illam E. diſſertationem ut *primum* parergon nunc ſupponit,*ſecundum* conſtituens Exercitationem alteram de iisdem glandulis inteſtina-

ſtinalibus, in qua, quæ in priore illa de conformatione atque uſu harum diſſerverat, ulterius explicat. Sc. diſtinguit primo Glandulas inteſtinorū in externas, nempe epar, pancreas, glandulas meſenterii, inteſtinorum ſuperficiei exteriori adhæreſcentes, & ſub marſupiorum exiguorum ſpecie utrinque ſub ani ſphinctere latitantes: & internas, quarum diverſas pariter numerat ſpecies, ſc. univerſam inteſtinorum internā tunicam glanduloſam, aliasque glandulas majores & conſpectiores, vel ſparſim in cunctis, vel areolatim in tenuibus inteſtinis, diſſeminatas; poſterioris generis utramque ſpeciem tam per autopſiam *Caſp. Bartholini, Wepferi, Stretæ & Harderi*, quam per reiteratas in variis animalibus, quadrupedibus, avibus, piſcibus ac tandem in homine, ſectiones proprias confirmans. Imo tandem eo adducitur, ut ventriculum ipſum cum Inteſtinis glandulas pronunciet, ideo quod ſecretionibus, quarum nullam extra glandulas fieri ſuppoſuerat, vacent, inteſtinorum ſtructura, potiſſimum in embryone tenello, teſtibus atque epididymidibus perquam ſimilis exiſtat, glandulæ nihil aliud, quam meatus varie contorti & configurati videantur, ac pori inteſtinorum, per quos chylus in vaſa lactea trajicitur, a diverſis Scriptoribus pro glandulis reputentur. Et quoniam ratione uſus glandularum inteſtinalium in prima diſſertatione docuerat, has chylum minime abſorbere, contradicentem autem poſtmodum obſervarat *Johannem de Muralto* in Vade mecum Anatomico ſeu clave Medicinæ, aſſertum ſuum contra hunc prolixe vindicat, ac tandem certamen epiſtolare, ſubjectum hoc concernens, quod ſibi cum Muralto interceſſerat, ſubdit.

Parergon *tertium* Methodum hiſtoriarum Medico-Anatomicarum exhibet, quam ſeparatim ſuperioribus jamdum annis ediderat, cujus ope in defunctis morbi ſedes & cauſæ indagari & exponi debeant, hujusque præcepta Aſcitis, vitio cordis geniti, hiſtoria anatomico-medica, ſcholiis illuſtrata, comprobat.

Quartum epiſtola conſtituit, conſcripta ad Cl. Sponium, cum hujus reſponſione, de amitina Peyeri, ab infantia prima oculis capta, quæ quamvis ideo literas nunquam conſpicere potuerit, tantam tamen mentis perſpicaciam ſuſceperat, ut pietatis præcepta & cum Germana linguam Gallicam, Latinam atq; Italicam addidicerit, imo præter Muſicam vocalem & inſtrumentalē, Philoſophicas diſciplinas ſub manuductione partim parentum, partim aliorum Magiſtrorum, his addiderit,

ut ipsa postmodum eas fratres suos doceret, tandemque animum ad scribendum appulerit, quo cum absentibus quoque per literas confabularetur.

Quintum Parergon Historiam anatomicam ab H. Glasero conscriptam sistit, mulieris Ascite defunctæ, cui lien extiterat minimus, ductus autem pancreaticus maximus. Sc. Lien fabam majusculam haud excedebat, foramen vero in intestini jejuni principio, quod ductui biliario & pancreatico commune, tantæ reperiebatur amplitudinis, ut digiti auricularis apicem admitteret.

In *Sexto* Historiam Anatomico-Medicam refert Mulieris hydropicæ, cujus abdomen plenum tumoribus, & uterus tuberosus repertus fuerit, cum iconibus uterum hunc ejusque tubera explicantibus.

Quibus tandem, *Septimi* loco, Miraculum anatomicum in cordibus resuscitatis addit, quatenus fibris cordis, tam humani, quam aliorum brutorum, egelidis motus aliquis denuo inspirari possit, aerem per ductum thoracicum inflando, corque manu aut spongia calida fovendo, qui etiam fotus in corde salmonis fœmellæ, e corpore evulso, propulsu huic restituendo aliquando sufficerit.

ZODIACUS MEDICO-GALLICUS, s. Miscellaneorum Medico-Physicorum Gallicorum Annus II. & III.

Authore NICOLAO DE BLEGNY. R. G. C. O.

Genevæ 1682 in 4.

TAm mirabilis in suis Operibus ubique observatur alma Mater Natura, ut tantum non quotidie nova Phænomena curiosis sui scrutatoribus repræsentet, idque tam apto artificio, ut cuilibet nec omnia, nec eadem exhibeat, sed singulis peculiaria quædam, definitum quasi cuivis pensum distribuendo, subministret. Horum circumspecta observatio, collectioque exacta, ut summam rei tam Naturali quam Medicæ affert utilitatem, siquidem tot quasi literæ illa æstimanda sunt, ex quibus tandem Alphabetum pro naturæ interpretatione componendum est, ita ne oblivioni tradantur, tot Societates, Academiæ, Collegia &c. conspirarunt hactenus, & publicæ perlustrationi exposuerunt omni-

Digitized by Google

omnibus, singulis quod experientia, rerum Magistra, & hujus pedissequa Ratio suppeditavit. Atque huc referenda quoque veniunt Miscellanea illa Medico-Physica, quorum singulis Mensibus pars quædam Parisiis Gallice, sub titulo, *Nouvelles decouvertes, sur toutes les parties de la Medicine*, Recensin Re Medica explorata; eduntur a *Nicolao de Blegny*, Chirurgo celebri, quæ postmodum a *Theophilo Bonetо* Latinitate donata, Genevæ nomine *Zodiaci Gallici* divulgantur. Prodiit jam anno 1680 primus hujus Zodiaci annus, respondens anno 1679, cujus observationibus variis in fine accesserunt tractatus bini, de herniis prior, posterior de Lue Venerea; ab illarum Editore Gallo conscripti. Secutæ jam sunt binæ aliæ Zodiaci hujus revolutiones, secunda pro anno 1680, & tertia pro anno 1681, quæ Miscellanea rem vel Naturalem vel Medicam concernentia, partim observationes multiplices, partim interspersas varii argumenti Dissertationes complectuntur.

Quod itaque anni secundi attinet Observationes, p. 44. habetur remedium probatum contra hydropem uterinum p. 56. Monstrum Cervi-Taurus p. 74. Spesma in sene neogamo pertefactum, p. 75. nasus omnino præcisus, perfecte denuo loco restitutionis unitus, ne cicatrice quidem manifesta relicta. p. 89. oleum Talci singulare, & omnes proprietates desiderati adeo olei Talci obtinens, elegans Cosmeticum, post 15. annorum laborem, a nonnemine concinnatum, quod reperitur apud *Dom. Lemery* Pharmacop. Reg. edito Cursu Chymico satis notum. p. 113. Intestinum tenue ex vulnere acinacis in hypogastrio dextro, transversim, haud procul a loco, ubi desinit Ileon, dissectum, citra tamen mortis periculum, quia mira Naturæ industria intestinum vulneris externi circumferentiæ applutinatum fuit, ita ut optime cæteroquin valens læsus, tantum per intestinum in loco læsionis apertum, excrementa egerere necesse habeat. Casus hic singularis paria in canibus tentandi occasionem suggessit, pro vulnerum talium, alioquin periculosorum, in homine curatione feliciori, & similiter cani p. 143. post apertum abdomen, intestinum Ileum eodem in loco dissectum, circumferentiæ vulneris ope suturæ connexum fuit, & itra citra alium apparatum sanatum, cane per intestinum ita apertum excrementa itidem excludente. p. 122. Lapides in ipsa cordis substantia reperti. p. 127. cœcitas fugax in pueris, ex calculorum iu urethra genitorum extractione. p. 132. parva lacerta per venā secta egressa. p. 148. gravissimus & pericu-

losus affectus cum creberrimis sanguinis vomitibus, ab hirudine in potu deglutita, per theriacam mediante animalis cum vomitu rejectione curatus. p.188. putrefactio artificialis corporum siccorum & porosorum, intra 4, l.6. dies, mediante certa pasta. p.210. puer 6 mensium insigniter barbatus, & toto corpore, exceptis artubus, habitus virilis, ad instar viri 30 annorum.

Inserti his observationibus discursus sunt varii, quos inter p.6. de febribus & febrifugis agitur. p.57 & 158, ventilatur generatio animalium ex ovo, ita tamen, ut affirmativa videatur potior. p.161. inseritur integer tractatus *D. Monginot* Med. Paris. de febrium cura per usum Quinquinæ, anno 1680, ceu scriptum anonymum primum Gallice editus, cujus summa capita Calendis Martii pag. Actorum 76. exhibuimus. p.191. de usu & noxa frequentioris sanguinis missionis, cujus occasione simul & in respirationis usum, & sanguinis sulphurei ab aere nitroso quasi incepsionem fit inquisitio. p.217. prolixe de alvi fluxibus in specie tractatur: sicuti p.260. potus glacie refrigeratus, a nocumentis ipsi alias imputatis vindicatur.

In anno tertio observanda veniunt p.4. Cutis anatome, tam quoad papillas protuberantes, quam quoad glandulas post cutis cribrum sitas. p.26. nova aneurismatis curandi ratio proponitur, qua occasione p.43. & 62. plura observatu digna circa varios aneurismata curandi modos afferuntur. p.30. exhibetur ovum, Cometæ figuram repræsentans. p.54. puella sine cerebro nata, loco cujus aqua liquida membranas implevit, ubi simul de usibus cerebri & spinalis medullæ disquisitio instituitur. p.70. & 79. confirmatur modus mollificandi & in aptum edulium convertendi ossa, methodo ab Anglis nuperrime inventa, & a nobis Calendis Aprilis pag. Act. 106. seqq. descripta. p.95. refertur planta, famem & sitim sedans, in Scotia noviter reperta. p. 107. Figura humana in ovo exacte repræsentata, &c.

Dissertationes inter, quæ modo dictis interjectæ sunt, eminent istæ *Dn. Comerii*, Ebrodun. Mathes. Prof. Paris. de colorum natura p.85, 113, 127, 135. variis experimentis demonstrata, & ex principiis Optices, Dioptricesque deducta, in quibus præter hoc, quod colorem modificatum esse lumen ostendat, debilitatis in visu senum, conspicillorumque iisdem usitatorum varietatis rationem, non secus ac Myopum, & his oppositorum Presbytum in visu diversitatis fundamenta, curiose ex ma-

Digitized by Google

majori minorive Cryſtallini convexitate explicat, & per cameræ obſcuræ phænomena eleganter declarat. Idem Autor pariter p. 39. ſollicitus eſt, de Cometarum influxu, (de quorum Natura jam anno 1665. ſcriptum ediderat, ipſosque corpora de natura Planetarum, orbi terrarum eoæva demonſtraverat) quomodo ex propria natura novorum morborum autores eſſe queant: quo etiam pertinet diſcurſus anonymi in calce Volum. hujus p. 149. additus, de præſagiis cometarum, ſtatuentis, illos fauſta potius quam ſiniſtra prædicere; imo futuri illos nequaquam eſſe indicia, cum illorum exortum fauſti non ſecus ac infauſti eventus aliquando conſequantur.

MICHAELIS ANTONII BAUDRAND Pariſini Geographia ordine literarum diſpoſita,

Tomi duo.

Pariſiis apud Stephanum Michalet, 1682. in fol.

DUodecimus jam decurrit annus, ex quo Autor Clariſſimus Lexicon Geographicum Philippi Ferrarii Alexandrini, Ordinis ſervorum B. M. V. olim Præpoſiti Generalis, in ordinem Alphabeticum digeſtum, & ceu loquitur ipſe, altero tanto auctius in lucem publicam emiſit. Librum hunc utiliſſimum quam avide exceperit, quam benigne foverit literatus orbis, vel ex tripliçi, qua apud exteras gentes tantillo temporis ſpatio donatus fuit, editione apparet. Autor tamen ipſe, dulcedine nimirum atque amplitudine ſtudii Geographici perſpecta, eo non acquievit, ſed per integrum quinquennium in augendo magis magisque illo arq; perficiendo deſudavit, donec in ſua hac Geographia ad umbilicum perducta, id non absque re viſus eſt ſibi aſſecutus eſſe. Quantam ſine potuit maximam adhibuit diligentiam, tum ut Geographiam veterem & novam perpetuo paralleliſmo inter ſe conferret; tum ut pleraque ex media ætate deſumpta, & ſcitu digna, quorum nulla hactenus mentio facta fuerat, adjiceret: tum etiam ut ſingularum regionum accuratas & commodas diviſiones afferret, & quibus urbes & provinciæ a vicinis populis ſignentur vocibus; quæ denique recens detectæ ſint regiones; quid de his memoria dignum nupera eaque ab

uno

uno aut altero ſeculo confecta itinerraria referant, non omitteret, expunctis erroribus innumeris, qui in libros & chartas irrepſerant, circumſcriptis quoque deſcriptionibus, & omiſſis Autorum, cum non opus eſt, citationibus, quæ nihil præter tædium & moleſtiam afferant. Qua ratione factum eſt, ut in Novo hoc Opere nulla fere pars Lexici Geographici anno 70. editi vel minima remanſerit, quam non fecerit meliorem; ceu ipſe fœtum hunc ſuum vere deſcribit & commendat, partim in dedicatione, partim in præfatione ad Lectorem. Hæc vero augmenta textui ipſi ſunt inſerta; præterea indiculum etiam Epiſcopatuum & Archi-Epiſcopatum, ſeipſo iterum indice in præfat. ad Lect. juxta præſentem Eccleſiæ ſtatum attexuit; Academias item totius orbis, Civitatum Imperialium & liberarum Germaniæ, quæ hoc jure potiuntur, aut aliquando potitæ ſunt, Catalogum: Urbes quoque aut regiones, quæ aliquando venditæ ſunt aut oppignoratæ, ſimul & regiones, urbes & loca, quæ nuſquam fuerunt, licet in chartis deſignentur. Tandem adjecit etiam indicem Geographorum tum veterum tum recentiorum; ac demum corollarii loco partem Geographicæ alteram, in formam tabulæ ampliſſimæ, prout ipſe loquitur, aut Indicis potius concinnatam, in qua nova nomina, in gratiam Lectoris in Antiquitate minus verſati veteribus præponuntur. Quæ vero adjici adhuc poſſunt, Autor, poſtquam id fieri poſſe, candide in fine præfat. faſſus eſt, ſeipſum forſitan quandoque additurum eſſe, dubie ibidem promittit.

Fragmentum STEPHANI, Byzantini Grammatici, de DODONE, cum triplici nupera Latina Verſione, & Academicis Exercitationibus

JACOBI GRONOVII.

Lugduni Batavor. 1681 in 4.

QUo Clariſſimus Exercitationum Autor oſtenderet, quanti res ingenii ac judicii, quantæque eruditionis ſit, correcta ſatis atque expoſita publico dare conſpectui monumenta STEPHANI, ex illis hoc potiſſimum, de Oraculo Dodonæo quod agit, fragmentum dilucidius proponendum atque elimandum ſibi ſumſit.

Tametſi vero interpretationem triplicem, *Samuelis* puta *Tennulii*, *Abrahami Berkelii*, *Thomæque de Pinedo Luſitani*, quorum ſtudia hactenus

ctenus fragmentum idem non parum ſollicitarat, textui Græco adjunxerit, inter verſiones ſingulas accurata collatione inſtituta; in Exercitationibus tamen ſuis hunc interpretandi laborem fruſtra ſuſcipi contendit, & Joſephi Scaligeri ſententia, & Salmaſii exemplo, conſilium vertendi hujus Lexici, quod ante formaverat, abjicientis, & Caſauboni autoritate fultus. Totam ſiquidem literaturam apud Græcos, eoque & Grammaticam, nihil quondam fuiſſe cenſet, niſi explicationem Iliados & Odyſſeæ. Grammaticum igitur hujusce generis cum egerit Stephanus, videre ſeſe, quomodo e dignitate interpretatio aliqua eidem poſſit addi, in tantum negat, ut inepti interpretatione obſcurari potius, quam illuſtrari Stephanum arbitretur.

De regione, ubi ſita Dodone fuerit, ſic ſentit, ut non in Perrhæbia, nec in Theſprotia; quod *Ludovico Nonnio* forte *ad Græciam Goltzii* placuerat; ſed in Molottide, Epiri provincia, univerſæ Hellados origine & Metropoli, poſitam fuiſſe ſtatuat. Semper enim urbem hanc in Moloſſorum fuiſſe poteſtate, & oraculi Dodonæi poſſeſſionem Epirotis fuiſſe propriam, contendit; neque componi inter ſe ſententias de ſitu diſſidentes poſſe, quod alias facere inſtituerat *Jacobus Palmerius a Grentemeſnil in Antiqua Græcia*. Aſſertum hoc inter alia ex Epirotarum nummis confirmat, adverſus modo laudatum *Ludovicum Nonnium in Commentario ad Græcos Goltzii nummos, & Petrum Seguinum in Numismatibus ſelectis*. In iis enim (typos eorum frons libelli exhiber) nunc Jovis Dodonæi faciem haberi, nunc Jovis & alterius fœminæ, nunc ſolius fœminæ: in altera autem nummorum facie nunc aquilam Jovis alitem conſpici, nunc fulmen ejus σκηπτὸν, nunc bovem: & his omnibus circumvolvi coronam ex fronde querna: Muliebri vero facie, quæ in illis nunc appareat ſola, nunc comitata Jovem, non Junonem, ſed Dionen, ſeu Latinorum Venerem deſignari ex Strabone docet, Demoſthene, atque Servio. Τῶν προφητῶν deinde ſive ſubvatum occaſione, quinam primis temporibus oraculorum interpretes fuerint, virine an fœminæ, contra Strabonem & Origenem diſputat, & quæ plura ſequuntur iſtiuſ generis.

Inſeritur his quoque Exercitationibus *D. Stephani le Moyne* de hoc eodem oraculo ſententia, in Epiſtola peculiari ad Autorem perſcripta: qui inter alia, arbores iſtas vocales, & oracula reddita a columbis arbori inſidentibus, originem traxiſſe conjicit ex variis Sacræ Scripturæ hiſto-

riis, male habitis & interpolatis. *Eduardi* denique *Bernhardi*, Mathematum apud Oxonienses Professoris *Annotationibus* ad aliquot hujus fragmenti loca, aut intacta, aut ab aliis Criticis male tacta, libellum hunc concludit: ut vel hinc intelligatur satis, quam fœcunda opinionum & conjecturarum mater Scriptorum ista veterum nutricula existat.

DES REPRESENTATIONS EN MUSIque anciennes & modernes.

a Paris 1681. 12.

De

Dramatibus musicis Veterum & hodiernis.

DRamatum, quæ cantu, adhibitis instrumentis musicis decenique corporis motu petaguntur, genera, naturam & originem, et ultima antiquitate & inde usque ab Hebræis deduxit, & omnia, quæ hodie in iisdem recepta sunt, jam olim adhibita fuisse, exposuit in libello hoc *R.P. Menestrierium*, *e Soc. Jesu*, qui majus Opus, cujus isthæc particula quædam sit, universam imaginum sive iconicam Philosophiam, verborum puta, actionum, & rerum exhibiturum, se moliri in Præfatione indicat. E sacra autem & profana historia veteri dramatum hujusmodi compluta affert exempla, unde constet, antiquissimis temporibus receptum fuisse eorum usum, nec seculi demum hodierni ea esse inventum. Eorum enim rudimenta in Davidis Psalmis & Jobi libro se reperire affirmat: siquidem in istis modo David ad Deum, modo Deus ad Davidem, modo hic ad gentem suam sermonem convertat, & preces, imperium, minas, planctus, gratias, laudes, exhortationes misceat, omnesque animi motus, ad quos purgandos dramata comparata sunt, exprimat, in hoc vero, Dei cum dæmone, Jobi cum Deo, conjuge & familiaribus, horumque inter se mutua colloquia dramatis speciem præ se ferant, cujus autorem nonnulli agnoscant Moysen, qui ad consolandos Israelitas in calamitatibus Ægyptiacis istud composuerit. Illustre autem dramatis musici exemplum præbere Salomonis Canticum Canticorum, cujus partes examinat, & ad musicorum hodiernorum scenicorum leges plane comparatas eas dicit: unde a nonnullis istud Epithalamii speciem habens, dicente Origene & Hieronymo, in modum dramatis compositum a Salomone existimari, quod primum editum fuerit, cum is nuptias celebraret cum Pharaonis filia. Ab Hebræis ac-

is accepta dramata adeo feliciter excoluisse Græcos, quorum lingua ad musicam æque ac poesin quavis alia longe aptior sit, ut admirandos plane effectus ediderint: quapropter omnia poemata, Lyrica non saltem, verum etiam Epica, in Græcia a Poetis, qui ea conscripserant, decantata, exempla Hesiodi & Homeri probat. A Græcis ad Latinos sive Romanos, qui in omnibus Græcos æmulati sunt, derivatum hoc studium, minus tamen excultum dicit, quod horum lingua musicæ parum apta sit. Tria autem hujus genera obtinuisse docet: unum naturale seu *diatonicum*, quo carmina epica recitabantur; alterum figurarum sive *chromaticum*, quo Lyrica accedente instrumentorum sono cantabantur; tertium *enharmonicum*, quo affectus & animi motus concitabantur, usitatum cumprimis in theatris, & dramatibus inserviens. Confert cum tribus his musices generibus artis pictoriæ diversas species, & a triplici vocis motu desumta ea tradit. Is enim cum vel continuus, vel diastematicus sive interyallis discretus, vel medius sit: isto *loqui*, illo *canere*, hoc vero *legere* nos asserit. Lectionem sane medium inter loquendi & canendi rationem obtinere locum e Quintiliano ostendit, qui Lib. I Inst. Orat. c. 8. lectionem ita formandam esse præcipit, ut neque prosæ similis sit, neque tamen in canticum dissolvatur, Dionysio item Halicarnassensi, qui legentium vocem a communi sermone distinguit. Epica igitur poemata nequaquam ad modos cantici hymnive decantasse Veteres, vocem tamen inter pronunciandum inflexisse, & modo intensiore, modo submissiore ea recitasse indicat, ea ferme ratione, qua in Ecclesia hodienum Evangelia, Epistolæ, Passionis item historia a diversis personis diverso & vario vocis habitu flexuve, in Officio Missæ, singulis item Dominicis & Festis diebus canuntur: unde factum, ut hi ipsi cantus *Lectiones* appellarentur, v. g. Lectio sancti Evangelii, Lectio Epistolæ B. Pauli &c. Choros etiam in Ecclesia receptos esse, alternisq; cantibus certatum: cujus rei originem a temporibus Ambrosii & Augustini repetit, & ex Sidonio Apollinari antiquum Antiphonarum Psalmorumque alternis choris cantatorum ostendit usum. Quem a dramatica ratione non abludentem apud Judæos olim receptum fuisse, e puerorum illa apud Matth. XI, 17. Luc. VII. 32, exprobratione probat, qui in funeribus cantu næniarum ad planctus, festis diebus tibiarum sono ad saltum socios suos invitarunt. Ad dramata tamen musica non solum cantum, sed & actionem requiri

& decentem corporis motum gestusque docet. Cumque olim Comœdia & Tragœdia solo cantu in honorem Bacchi instituto peracta sit, cujus priscæ Comœdiæ imaginem adhuc ludus quidam Divionensis refert, postea accedente actione consummata fuisse Dramata. Cujus actionis originem a ludis Pythiis accersendā, quibus draconis Pythii ab Apolline interfecti spectaculū exhibebatur, superioris seculi anno octogesimo nono, in honorem Ferdinandi de Medicis III. Hetruriæ Ducis, matrimonio sibi jungentis Christianam Lotharingam, a Jo. de Bardi Comite Vernio in theatrum iterum productum, e Julio Polluce asserit; & ad istius ludi modum plures in Græcia fabulas, Niobis puta, Oresti, Oedipi, Canacis, Herculis furiosi, Hectoris moribundi, & similes instructas ait: in quibus modo unus cecinerit, quod Græci *monodiam*, Latini cantum appellant; modo duo vel tres sibi invicem responderint, quod *eclogam* vocarunt; modo plures, ut in *choro* simul cantarint. Huic actioni & cantui intermixta fuisse varia instrumenta docet, cumprimis tibias, quarum frequens in argumentis Comœdiarum Terentii mentio, quod Claudius Flaccus Claudii F. modos fecerit tibiis modo paribus, dextris & sinistris, modo imparibus; quæ qua ratione ab eodem simul inflari potuerint, ostendit, de reliquis etiam adhibitis musicis instrumentis disserit, & quam admirabilem vim vocis & instrumentorum sonus habeat in animos hominum, quamque studiosi Græci fuerint in eo efformando, & structura vocalium Diphthongorumque in verbis attemperanda affectibus, & ad eosdem accommodandis carminum generibus docet. Quo loco de tympanorum in præliis ad animos militum excitandos adhibitorum usu, diverso item apud diversas gentes eorum pulsu disserit, adversus Isaacum Vossium tamen, qui in libello *de cantu & viribus rhythmi p. 132.* cæteris instrumentis vim concitandorum sedandorumq; animi motuum adimere, solis tympanis relinquere videtur, contendit, iis etiam instrumentis quæ inflantur, aliis item, quæ tanguntur tenduntur ve, haud minorem efficaciam tribuendam esse, ut tibiis, tubis, sistris, testudinibus &c. Qua in arte scienter instrumentis canendi Græcos olim reliquas nationes præstitisse, numerosque & rhythmum, tam vocis quam instrumentorum, rectissime calluisse, multitudinem terminorum, quibus varios sonorum, & tonorum, concentuum, aliarumque vocis & soni affectionum modos exprimunt, indicare. Linguam eorum propterea præcæteris idoneam fuisse ad cantus &

dra-

Digitized by Google

dramata: nec Gallorum tamen absonam esse, aut ab iis abhorrere rationem versuum homœoteleuton, quod putavit in libello *de cantu & viribus rhythmi p. 33.* Isaacus Vossius, quem confutat, & versuum consonas terminationes haud indecoram reddere plerarumque gentium poesin ostendit. Gallorum etiam linguam, quæ poesi & musicæ aptissima est, Dramatibus musicis prorsus convenire: quæ a Lullio (Monsieur Lully) ad summam gloriam evecta sint hoc seculo, cum eorum ortus in Gallia rudis admodum fuerit & Peregrinatoribus debeatur. Hos enim e Terra sancta, Hierosolymis, Compostello, aliisque sanctis locis adventantes, in itinere sacros de morte Filii Dei, Sanctorum vita, rebus gestis, miraculis, & martyrio, extremo item judicio hymnos composuisse, quos in patriam reversi coram plebe, ut ad pietatem eandē converterent, cecinerint: mox in Italia & Gallia theatra extruxisse, & cantus actionibus vivis ac gestibus adjuvisse, piosque hos theatrales, simplices satis, ludos in honorem Principum & Regum quandoque institutos esse. Has Musicæ dramaticæ reliquias, a piis in Ecclesia hominibus conservatas, ante ducentos quasi annos Cardinali Riario, Sixti IV Pontificis Nepoti, primum ad eadem in Italia restauranda theatrum ut extrueret, occasionem suppeditasse, juventutis exercendæ gratia, ex epistola nuncupatoria Sulpitii, Vitruvio præmissa, probat. Haud ita multo post profana argumenta in scenam prolata e nuptiarum Galeatii Mediolanensium Ducis & Isabellæ Arragoniæ, in quibus mimorum, cantorum & histriotum cantibus ludisque veteres Poetarum gentilium fabulæ exhibitæ fuerint, a Tristano Calcho facta descriptione, ostendit, alia item spectacula theatralia musicaque ab isto tempore in Italia edita, enarrat. In Gallia primos ejusmodi ludos in Lutetiæ suburbiis Jo. Ant. Bayfium, Lazari Bayfii filium, instituisse, inque sua domo ad hos usus Academiam condidisse, refert: varia inde horum ludorum in Italia, Gallia & Hispania editorum exempla recenser; sed cum Italica lingua solum etiam in Gallia dramata hæc composita fuerint, primum Perrinum Gallica lingua, exprimendis affectibus æque idonea, ea composuisse, & cum Marchione Sourdiaco ac Camberto theatrum extruxisse, in quo intra septem octove annos musica spectacula scenica exhibuerunt, quæ machinarum, vestium, & reliqui apparatus magnificentia, versuum rotunditate, musicesque deliciis, atque ornamentis aliis, Italorum sic dictis *Operis* nil quicquam concesserint.

ferint. Utque ſtudium hoc tanto rectius excoleretur, a Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. Perrino & Lullio poteſtatem conceſſam eſſe, datis publicis privilegiorum d. 28 Jun. Anno 1669. ſignatis tabulis, erigendi Pariſiis Regiam Academiam Muſicam, in qua omnia, quæ ad dramata & theatrales ac muſicas artes ſpectant, exactius curioſiusque inveſtigentur. Hæc ita poſtquam expoſuit Auctor, de ſpectaculis ludicris in conviviis illuſtribus, quæ eduntur, ſplendidis item operibus, quæ ſub Quadrageſimale tempus fiunt, nec non in Germaniæ aulis recepto iſto ludi inter illuſtres genere, quo omnis conditionis ac ſtatus hominum perſonas ſibi ſumunt magnates, Wirtſchafft vulgo dicti, diſſerit: ſpectaculorumque in Sabaudia aliisque locis exhibitorum hiſtoria opuſculum ſuum pertexit.

SOLUTIO THEOREMATUM

Ab illuſtri Viro in Actis hujus Anni Menſe Januario, pag. 28. propoſitorum, data ab Adamo Adamando Kochanski S. J. quondam Pragenſi Mathematico.

TAB. XII DUPLICATIONEM Trigoni Iſogoni, citra Proportiones demonſtrandam P. Sigiſmundus Hartman e Soc. Jeſu, publico Programmate propoſuerat, iſ udque Schediaſma mihi pro veteri neceſſitudine transmiſerat e Bohemia in Poloniam. Repoſui humaniſſimo Authori ſolutiones fere vicenas, ab eo ſic probatas, ut una cum aliis, aliunde ad ſe miſſis, in lucem daturus fuiſſet, ſi Parcæ Viro tanto pepercíſſent.

Cum vero his primum diebus in manus meas venerint Acta Eruditorum Lipſienſia, & in his Solutio problematis illius Hartmanniani, a quodam illuſtri viro data, & ad P. Coppilium, defuncti in Mathematici munere ſucceſſorem, quodammodo directa, quaſi is editioni poſthumæ operum Hartmanni, maximeque *Proti Geometrici*, ab eo nuper promiſſi incumberet; cum tamen ab obitu Authoris elaboratum nihil, ſed prima ſolum Operis lineamenta reperta fuiſſe mihi ab Amicis nunciatum fuerit; Eamobrem non ægre laturum ſpero P. Coppilium, ſi dum illum alio in opere fructuoſe verſari intelligo, ego hic ejus partes occupare auſus fuero: non enim id temere, aut præfidenter egiſſe videbor, ſed veluti jure quo-

TAB XII ad A 1682 pag 230

fig. 1



fig. 2



fig. 3



fig. 4



fig. 5.



fig. 6.



fig. 7.



Digitized by Google

Digitized by Google

quodam antiquitatis; quod videlicet ante illum in eodem Matheſeos Pragenſis pulvere quondam Profeſſor fuerim verſatus; adeoque prior tempore, licet non eruditione.

Dilatis autem in aliud tempus meis illis Duplicationum Particularium, & Univerſalium Solutionibus, una cum Pythagoricæ nova, ac multiplici Demonſtratione, cæterisque meis conſiderationibus Geometricis, uſque dum ultroneam Typographi, vel Bibliopolæ cujuſpiam humanitatem invenerint; ſuffecerit hoc loco ſtrictim ea perſequi, quæ pertinent ad geminum illud Theorema Geometricum, quod Anonymus ille Problematis Hartmanniani δέικτης loco ſup. memorato propoſuit.

ARTICULUS I.

Circa primum illorum Theorematum conſideranda veniunt ſequentia. Inprimis diſſentire me in eo ab *Illuſtri Viro*, quod is exiſtimet Theorema Pythagoreum continuari in Sphæra, Pyramidem Rectangulam circumſcribente; cum nec Pythagoras ſuum illud Orthogonium, tanquam circulo inſcriptum conſideraverit, nec, ſi univerſaliter agamus de potentiis cujusvis Trianguli, hæc conſideratio proprie ad Circulum pertinere videatur, ſed potius ad Parallelogrammum univerſim; quando videlicet iſtud Diametro ſua ſectum concipitur in duo Triangula æqualia, eaque Orthogonia, Amblygonia, vel Oxygonia, pro diverſitate parallelogrammi; Harum enim Diametrorum Potentiæ cum ſuis lateribus comparantur *47. Primi*, nec non 12. & 13. *Secundi Elem.* Univerſalius autem hoc ipſum conſideratur 31. *Sexti*, ſaltem quoad orthogonium Triangulum; nam quoad reliqua, videri poſſunt ea; quæ demonſtrat Clavius e Pappo, *in Scholio ad 47. Primi, ad finem.*

Quamobrem non inelegantер fluente Analogia, nobis dicendum videtur, Pyramides Triangulares Orthogonias, Amblygonias, & Oxygonias, cum ſuis lateribus, ac diametrorum Potentiis, immediate quidem reduci oportere ad Priſmata ſua, baſes triangulares habentia, quorum Pyramides illæ ſunt partes tertiæ *per Prop. 7. Duodecimi Elem.* Hæc ipſa vero Priſmata, tanquam partes revocantur ad totum Parallelepipedum, cujus ſunt medietates. Iſtas porro relationes partium ad ſua Tota intelligi volumus de ordine *Doctrinæ* potius, quam *Naturæ*, con-

constat enim, Triangulum esse prius, ac simplicius Parallelogrammo, non minus ac Pyramidem Tetrahedram Prismate, vel Parallelepipedo: Hinc δογματικῶς rem spectando, & ipsæ Linearum Potentiæ, non Triangulis æquilateris, sed Quadratis, omnium consensu taxantur, licet illa sint istis priora, magisque simplicia.

Quamvis autem Pyramidum Polyhedrarum aliæ inscribi possint Sphæris, aliæ vero Sphæroidibus, ac tum Potentiæ laterum conferri cum Diametro corporis circumscribentis: eædem tamen Pyramides adhuc secari poterunt in Tetrahedras, atque ita Prismatibus suis, ac tum Parallelepipedis veluti postliminio quodam restitui. Si quis nihilominus omnia Trilatera a Quadrilateris, omnia Tetrahedra a Pentahedris, & Hexahedris emancipare contenderit, cum eo nequaquam cruento Marte dimicabimus.

PROPOSITIO I. Theorema.

In omni Pyramide rectangula, tria Quadrata laterum, Angulum rectum in vertice comprehendentium, æqualia sunt Quadrato Diametri totius Parallelepipedi æque alti, Pyramidem illam complectentis.

Sit Pyramis ABC rectangula ad verticem D. sive jam sit *Æquilatera*, prout in Cubo *Figura* I. sive *Isosceles*, ut est in *Fig.* II Parallelepipedi, supra basin quadratam ADCF assurgentis; sive demum *Scalena*, qualem exhibet in *Fig.* III. solidum rectangulum, supra basin ADCF altera parte longiorem, erectum.

Dico, tria Quadrata DA. DB, DC. æquari Quadrato Diametri AE, per oppositos solidi angulos incedentis. Nam primum in Triangulo ADB angulus D rectus est, ex hypoth. Igitur Qu. lateris AB æquatur (*47. 1. Elem.*) Quadratis AD. DB duorum laterum datæ Pyramidis. Deinde Triangulum pariter ABE rectangulum est ad B. (id ostendi potest *per 4. Undecimi*) Quocirca Quadratum AE æquabitur Quadrato AB, hoc est duobus DA. DB, & insuper Quadrato BE, hoc est ipsi æquali DC, quod est tertium latus datæ Pyramidis ABCD.

Tria igitur omnis Pyramidis rectangulæ latera, potentia æquantur Diametro Parallelepipedi Pyramidem continentis, q. e. d.

Corollarium I.

Colligitur hinc, in omni Prismate rectangulo ACDBGA, cui basis est

sis est Orthogonium Triangulum ADC, ejus Parallelogrammi rectanguli AGEC, quod angulos D & B rectos subtendit, Diametrum AE potentia æquari iisdem tribus lateribus Pyramidis rectangulæ ABCD: eo quod ipsa DE sit eadem omnino cum Diametro totius Solidi GC.

Corollarium II.

Hinc quoque manifestum est, Diametrum Sphæræ, quæ Pyramidi rectangulæ ABCD circumscripta est, æquari potentia tribus lateribus ejusdem Pyramidis, rectos angulos constituentibus in vertice D. Nam cum omni solido rectangulo Sphæra circumscribi possit, non minus ac Circulus ejus basi rectangulæ, erit Diameter solidi eadem omnino quæ circumscriptæ Sphæræ, per ea, quæ Pappus demonstrat *Lemmate 4. apud Clavium ad calcem Lib. 16. Elem.*

Si cui placuerit in simili materia ingenium exercere circa Pyramides Triangulares, tam Acutangulas, quam Optusangulas, itemque mixtis in vertice angulis contentas, in illis Potentias laterum cum Diametro totius Solidi obliquanguli comparando; id vero non difficulter poterit expedire ope duarum Propositionum, videlicet penultimæ, & antepenultimæ *Lib. Secundi Elem.*

ARTICULUS II.

CIrca alterum Theorema percontatur *Illustris Vir*, an sicut in Circulo unica Media Proportionalis, ita etiam insistendo Analogiæ in Sphæra duæ Mediæ inveniri possint? Ad hanc quæstionem Respondeo I. Nec Antecedens Analogiæ hujus tam ratum esse, ut absolute loquendo, Circulus duas Medias excludere pronunciari possit, aut debeat: Fieri namque potest, ut in Semicirculo ACD (*inspice Fig. 4.*) continuæ sint AB. BC. BD. DA. cujus Problematis Geometricam constructionem Mathematum peritis propono, interim vero Arithmeticam sequentibus numeris expono. Ponatur enim

Diameter	AD.	- -	2	00000	00000	
erit	AB.	- -		63534	43923.	+
	BC.	- -		93114	24637.	+
	BD.	- -	1	36465	56077.	-

Unde *per 19. Septimi Elem.* erunt æqualia Rectangula

DAB.	- -	1	27068	87846	00000	00000
CBD.	- -	1	27068	87846	55798	69049.

Digitized by Google

Et *per 20. ejusdem*, Quadrata mediarum æquabuntur Rectangulis sub earundem extremis.

□. BC.	- -	-86702	62877	05305	81769.
ABD.	- -	-86702	62877	72943	70071.
□. BD.	- -	186228	49276	27056	29929.
ADBC.	- -	186228	49274	00000	00000.

Respondeo II. De analogia illa nihil certi statui posse videtur: Unius enim Mediæ inventio, quæ Circulo tribuitur, etiam Sphæræ congruit, & inventio duarum Mediarum, hic a nobis demonstranda, æque ad Circulum sicut & Sphæram aptari poterit, quemadmodum ex dicendis constabit.

PROPOSITIO II Theorema.

In Circulo ADC a Diametro AC descripto ducantur utcunque ad Peripheriam duæ rectæ AD DC: tum ex D cadat ad AC perpendicularis DE; similiterque ex E sit ad AD normalis EF.

Dico in Circulo ADC haberi Quatuor continue Proportionales, AF, AE, AD, AC. Describatur enim Diametro AD Circulus AGDE, quem EF producta secet in G, & connectantur GA. GD.

Demonstr: Recta AD subtendit Angulum rectum DEA. Igitur Circulus AGDE Diametro AD descriptus transit per verticem Anguli recti DEA, *juxta Schol. Clavii ad 31. 3. Elem.* Est autem recta EFG perpendicularis ad Diametrum AD. Ergo *per 3. 3. Elem.* tota EG bifariam secatur in F. Triangula igitur AFG, AFE orthogonia in F, sunt *per 4. 1. Elem.* invicem æqualia: Eademque de causa æquantur Triangula DFG, DFE, ac proinde & totum DGA toti DEA æquale. Jam sic. In Orthogonio AED (par ratio de æquali AGD) ab angulo recto E cadit perpendicularis EF in basin AD: Ergo *per Coroll. 8. 6. Elem:* Proportionales sunt tres AF, AE, AD. Sed eadem de causa in Orthogonio ADC duabus postremis e præcedenti serie, videlicet AE, AD, proportionalis est tertia AC. Igitur omnes quatuor AF, AE, AD, AC sunt in continua Proportione intra Circulum ADC. q.e.d.

Corollarium.

Non difficulter hinc elicitur, easdem quatuor continuas in Sphæra quoque concipi posse, non modo prædicta, sed & alia ratione: Fingamus enim a Sphæra ADC auferri Segmentum AHDA, cujus basis erit Cir-

Digitized by Google

Circulus a Diametro AD, cujus medietas esto AGDA. Ductis autem Orthogonalibus DE.EF. in plano Circuli Sphæræ maximi ADC, nec non Orthogonali FG, in altero plano Semicirculi AGD, hoc est basi Segmenti AHDA, jungatur AG: erunt enim ut antea, quatuor AF, AG, AD, AC continuæ proportionales. Id patet e præcedenti discursu, qui non difficulter huc applicari poterit, licet plana Circulorum ADG, AGD sint diversa, & ad rectos invicem collocata.

Notandum vero est, Theorema præcedens, loquendo præcisius, non tam Semicirculo, quam Orthogonio cuilibet in similia subdivisо convenire: quia tamen ejus Demonstratio sequentibus inserviet Problematibus, visum est illud hoc loco tantisper indulgere Circulo, sine quo illa absolvi non possunt.

PROPOSITIO III. Problema.

Inter duas datas, duas medias in continua ratione, duobus tantum digitis reperire.

CElebrimum illud Problema Deliacum quot & quanta totius Orbis eruditi exercuerit ingenia, Geometris est notissimum, ut & variæ illius absolvendi Praxes Organicæ, a compluribus excogitatæ, quarum aliæ aliis sunt operosiores: Nostra hæc videri poterit nonnihil Paradoxa, quod duobus tantum digitis unius manus absolvatur, cum nonnullæ requirant, & occupent utramque.

Datæ sint, *in Figura VI.* duæ AC, AB, quas inter duæ mediæ quæruntur. In communi utriusque termino A figatur Regula AZ, instructa Cursore FY, qui semper insistat ad rectos ipsi regulæ AZ, idque firmiter, ubicunque collocetur. In illa sumatur AF æqualis datæ AB, minori altera AC. Descripto autem super tota AC Semicirculo ADC in plano quopiam verticali, hoc est ad Horizontem recto, cui æquidistet Diameter AC: applicetur ad Peripheriam ADC stylus quidam gracilis DS, e quo deorsum propendeat filum subtile cum appenso pondere X, vel certe hujus loco regula quædam subgravis, accurate tamen æquilibrata: Nam si Stylus DS duobus digitis apprehensus pedetentim promoveatur per Circumferentiam AD, usque dum Perpendiculum DE cum Cursore FE sese mutuo intersecent alicubi in recta AC, velut in Puncto E: istud probe notatum offeret quatuor Proportionales, quarū

duæ AE AD inter datas extremas AF hoc est AB, nec non AC interponentur.

Demonstratio Problematis hujus, quoad rem, eadem est cum adducto præcedenti Theoremate.

PROPOSITIO IV. Problema.

Id ipsum aliter, una Circini apertura.

QUoniam præcedentis praxis ob situm plani verticalem, & usum Perpendiculi, nonnihil impedita cuipiam videri posset, quin & a Geometriæ moribus aliena, dabimus alteram, prædictis incommodis haud obnoxiam.

Positis iisdem, in locum perpendiculi DEX Figuræ præcedentis, subrogetur *in hac Figura VII* Parallelogrammum materiale KLMN, cujus unum Latus KL fixum sit in plano, alterum vero MN mobile, semper tamen ad rectos ipsi AC. Nam si tota AC divisa bifariam in O Circini pes unus figatur in O, alter autem intervallo OC deductus, tamdiu in Arcu CD provehatur, impellatque binas Regulas AZ & MN in puncto intersectionis D, usque dum regula MN, Cursorem FY secet in puncto E, posito in recta AC, obtinebuntur eædem mediæ AE. AD. longe commodiori ratione, quam fuerit præcedens: quæ tamen ipsa, si Figura magnæ molis fuerit, in vasto quopiam pariete usui esse poterit Architectis.

Non est cur hoc loco moneam de circino, ejusque Cruribus in regula quapiam mobilibus; nec de acie pedis alterius, quæ regulas in puncto D subtiliter impellere debet; nec denique de nisu quodam regularum AZ, MN contra Circinum; hunc enim vel ipsarum regularum pondere, vel Elatere quopiam, aut unius digiti impulsu consequetur ingeniosus quivis, ac istis etiam nostris longe meliora excogitabit.

Benevole Lector, præmissam R. P. Kochanski *solutionem cum* Illustri Viro, *(cujus sunt Theoremata Act. p. 28.) communicassemus: placuit* Eidem *sequentia, cogitatis* R. P. *subnectenda Nobis transmittere.*

Ad

Ad Art. I.

Si R. *Patri* visum fuisset, Pyramidem rectangulam tanquam Sphæræ inscriptam contemplari, per corpora composita non quæsivisset, quod invenire proposueram per simplicia: unde porro mox in limine a me dissentire, continuationemque Theorematis Pythagorei impugnare necesse non habuisset.

Quippe methodo in demonstratione priori usurpata, Pyramidem rectangulam demonstrari, cæterasque simplices (i. e. triangulatas) omnes tractari; h.e. methodum dictam ad præsens negotium continuari posse, certissime comperisset.

Quo ipso, inter alia, edoctus fuisset:

Dato Circulo, datoque plano (determinato tamen) invenire omnia Triangula (h.l. oxygonia) circulo dato inscriptibilia, quorum trium laterum quadratorum summa æqualis dato plano:

Ex quo omnes Pyramides rectangulas possibiles, dato circulo cæteque Sphæræ inscriptas inveniri certum est.

Pro inveniendis autem duabus mediis proportionalibus datæ sint extremæ ad angulum rectum: circumscribaturque circulus, & constituatur supra majorem extremarum Triangulum in circulo, cujus segmentum baseos minus, sit media inter perpendicularem & minorem datam (sub inventis vero supra omnibus Triangulis, & hoc necessario comprehenditur) Dico: duas medias æquales esse duobus lateribus, singulas singulis, Pyramidis rectangulæ, supra basin triangularem in circulo descriptam. Inventæ ergo sunt, inter duas, binæ mediæ proportionales, & quidem per Pyramidem rectangulam Sphæræ inscriptam.

Notandum vero: me, utut binas medias in plano minime quæsiverim; quatuor tamen continue proportionales, quod extorquere R.P. videtur, circulo neutiquam exclusisse. Ingenium porro in simili materia ad nutum R. P. *opt. ult. & penult. II.* Eucl. exercituro, unam e facilimis Propositionem:

Data Basi triangulari (Oxygonia) datisque tribus angulis ad verticem Pyramidis (h.e. angulo solido) invenire Pyramidem:

Si non difficulter fieri possit ex dictis duabus Propositionibus, Tysoni solvendam propono: mihi interim ea post 23 l. XI. demum locum habere videtur.

In hoc insuper, circa Pyr.oxygonias, amblygonias & mixtas, ope corporum compositorum tractandas, exercitio, R. Patri aliis duobus corporibus, præter tria fig. prioribus expressa, opus erit: quorum suprema infimaque hederæ, trapezia sint, circulo inscripta; ipsa vero corpora, ut non parallelepipeda, Sphæræ tamen inscriptibilia.

Ad Art. II.

Propositio a R.Patre Mathematum peritis proposita, unius saltim est casus, adeoque singularis, consequenter ad cæteros casus, inveniendis binis mediis nihil confert. Solutioni ejus arithmeticæ ab ipso R.P. exhibitæ sequentem jungo analyticam:

Sit in data Fig.IVta AD=a; sumaturque EB=x: & erit $x^3 \pm 3ax^2 - 7a^2x \pm 3a^3$. aut etiam,

4 Cubi AD + 3 Cubi BC, æquales 8 Cubis BD + ½ Cubo AB:

Plane Geometricam a R. P. exspecto: Interim in proposito ab *ipso* casu singulari

		°	′	″	‴	
Angulus BEC	semper est	68.	36.	49.	42.	+
Ang.compl.BCE		21.	23.	10.	18.	—

Propositionem secundam, cum ad continuandam seriem continuæ proportionalium, quam inveniendas binas medias magis pertineat, atque sic extra quæstionem sit, non tango; ut nec IIIiam & IVtam: quippe obviis ubique plurimis talibus Instrumentis Mechanicis, ipsoque proposito (immutatis tantum leviter materialibus) apud *Dn. de Cartes* l.2.p.20. *Geom.edit.nova*, & quidem pro inveniendis infinitis intermediis.

FALSITAS SYSTEMATIS COMETARUM Bernoulliani Calendis Junii pag. Act. 178. seqq. propositi, a Dn. Montreo Matheseos in Collegio Regio Francie, in cathedra Rami, Professore demonstrata.

Ex Diario Eruditorum Parisiensi XIII. d.25 Maji, 1682.

SYstema *Bernoullianum*, prima fronte ingeniosum, nihilominus adeo naturæ legibus repugnat, ut dubitare liceat, num *Auctor* in suo libro serio locutus fuerit. Nam

1. Cur

I. Cur Planetam F (Vide Tab. X. Act. Fig. I. & II.) quem in centro Epicycli Cometarum collocat, ob ingentem distantiam, suamve exiguitatem invisibilem facit? nonne vero similius est, illum ad Vorticem suum eum respectum habere, quem Jupiter & Saturnus ad suos? Et si oculi nostri eum detegere nequeunt, ad minimum Tubos majores non effugiet. Cometis enim prope lineam, centra suppositi Planetæ & Solis jungentem existentibus, futurum omnino fuisset, ut Tubis versus Cometas directis, Planeta centricus deprehenderetur. Porro quemadmodum idem Planeta revolutiones suas circa Solem sæpius reiterat, easdemque intra 4 annos, 157 dies absolvit; sic frequente ridem stellas Fixas nobis occulturus esset, perinde ut identidem alii Planetæ faciunt: quod cum de Planeta hoc centrico nunquam observatum sit, conjecturæ locus est, eundem non nisi in imaginatione *Astronomi hujus* existere.

II. Difficile est cum *Auctore* credere: Planeta centrico Cometarum brevi adeo tempore revolutionem suam absolvente, Cometam anni proximi 38 annos, 147 dies ad percurrendum epicyclum suum insumere. Nam si Planeta F, *Dn. Bernoulli* fatente, a G (*dextro*) ad G (*sinistrum*) non fertur, nisi Vortex GGV, qui eum involvit, propellatur secundum eandem determinationem per Fluidum, quod omnes alios Planetas defert, & motum suum a Sole recipit: videtur, quod, cum radius hujus epicycli minor sit radio orbis Planetæ F, via per consequens brevior sit, ac breviori spatio percurrenda. Insuper sicuti Fluidum, quod propellit Vorticem circa G (*dextrum*) versus G (*sinistrum*) majorem circulum describit, quam Fluidum, quod per punctum R propellit; sequitur, quod celerius debeat progredi, quodque adeo circulatio epicycli circa centrum F, velocior esse debeat vectione Planetæ F circa Solem.

III. Ex hypothesi *Dni Bernoulli* Vortex se moturus esset secundum seriem signorum, & per consequens Cometæ, nonnisi in Perigeo suo, & circa visibiles, apparituri essent contra seriem signorū incedentes. Nam Fluidum, quod venit a latere G (*dextri*), juxta inclinationem, quam omnia corpora habent, recedendi a centro motus sui, magis progressurū esset a G (*dextro*) versus locum supra ZY, quam ut ad V deflecteret: & per consequens, ipsum illud Fluidum, Vorticem in easdem partes tracturum esset, cum illum fortius per G (*dextrum*) ad locum supra ZY, quam per V ad G (*dextrum*) impellat; quippe quod conforme est Vorticibus, quos circa Planetas observamus. Jam sicuti Cometæ secundum

dum omne genus determinationum se movent, necesse est Vorticem illum mere esse imaginarium.

IV. Satis apparet, non multum conferre *huic Mathematico* suas hypotheses. Præterquam enim, quod Planetæ omnes in fumos redacti non sufficerint fortassis ad caudam nuperi Cometæ formandam, quam *Ipse* 70 gradus circuli magni occupasse affirmat; cum Planetæ illi omnes probabiliter Vortices circa se habeant, quales Terra, Jupiter & Saturnus: convenientius est rationi, exhalationes illas ab *Autore* suppositas, cum non nisi Fluidum quid sint, motum Vorticum suorum potius esse secuturas, quam ut ab iis recedant, & ad extremitatem usque Vorticis Solaris penetrent. Verum, ut vel maxime eo usque pertingant, impossibile tamen est, eos circa Cometas formam disci constituere: quoniam enim undecunque a fluido, cui innatant, premuntur, evidens est, eas super totum Cometæ corpus se expandere, ibique speciem Athmosphæræ, qualem aer circa terram, constituere.

V. Sed his omnibus *Autori* concessis, fieri nequit, ut sola pars disci, quæ versus L (Fig. I.) est, visibilis existat. Cum enim discus ille sit corpus asperum, ex innumerabilibus parvis corpusculis, quorum quodque pluribus exiguis superficiebus terminatur, compositum; sequitur inde, quod quaquaversum lumen possit reflectere, seque adeo visibilem exhibere omni puncto Orbis terræ annui, Sole aliove corpore non intercedente. Si *Dn. Bernoulli* sustinere vult, superficiem disci esse omnino planam, facile hoc casu demonstrari potest, eum, uno puncto excepto, plane esse invisibilem; nam præter radios a centro Solis emanantes, hic nulli alii sunt, sicut id in Catoptrica consideratur: certum autem est, ex diversis radiis, a corpore quodam poliro ad nostros oculos reflexis, paucos esse, qui faciant angulos reflexionis æquales circiter angulis incidentiæ, quodque ideo speculum planum in magna distantia collocatum, prope invisibile reddatur. Ad oculum itaque in T constitutum, nonnisi ex uno objecti puncto, radii remitti possunt. Eadem ratione demonstrari posset, comam Cometarum, radium suum caudæ postea apparenti æqualem habere; & præterea circa Cometam, loco caudæ, Ellipsin, cujus Diameter minor LM, conspici debere. Sed facile quisque hoc concludere poterit ex principiis supra propositis.

(o)

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Augusti, Anno M DC LXXXII.

MISCELLANEA HISTORICA REGNI BOHEMIÆ. Auctore Bohuslao Balbino, e Societate Jesu.

Pragæ, Annis 1679. 1680. 1681. in fol.

CUm Historicam Rerum Bohemicarum Epitomen, seu Bolesla-viensem Historiam anno 1677 clarissimus Auctor edidisset, cognovissetque una Orbis Eruditi voce ac consensu lucubrationes suas approbari, operi majori quod meditatus forte dudum fuerat, se accinxit, Memorabilia Bohemiæ universa, Naturalia, Civilia, Sacra, vicenis & amplius libris complexurus. Eorum tres priores Decadem primam inchoantes publici jam juris, etsi diversis temporibus, facti sunt: reliqui ut speramus, ac quotquot bonis literis operamur, vovemus, suo tempore sequentur. At in illis tamen tribus libris ea se offert rerum varietas, ut ex primo tantum, qui Naturalem Bohemiæ Historiam exhibet, ac situm adeo regionis, montes, fluvios, metallorum fodinas, varii generis gemmas, thermas, acidulas, plantas, pisces, feras, aves, & quæ huc spectant alia, suaviter æque ac docte describit, hac vice excerpenda quædam, & pro instituti ratione pauca quidem, ac sine delectu solicito, censuerimus; reliquis, quorum alter Bohemæ gentis originem, alter Topographiam Bohemiæ tradit, in mensem proximum sepositis.

Capite V. salubritas aëris in Bohemia commendatur, asseriturque duplici singulari argumento. Unum est, Reges Bohemos, quotiescunque ægroti, vel in Austriam, vel in Hungariam, aliove se deportari jusserunt, brevi obiisse; contra qui infirma valetudine in Bohemiam advenerant, plerosque sanitatem recuperasse, idque constare exemplis *Sigismundi, Maximiliani II, Matthiæ, & Ferdinandi III.* Cæsarum, ac *Annæ* Conjugis Matthiæ. Alterum est ex complexione Cor-

porum ac proportione debita, quam Statuarii præstantissimi agnoscant, *Pragense caput* appellantes, quod in conformatione & cælatura capitum perfectissimum est. Hujus rei indicium sibi fecisse *Dn. Christophor. Arnoldum* Auctor in additamentis ad finem trium librorum fatetur.

Cap. VI. *Montes Giganteos* describendo refert ipsos fumantes die serenissimo pluviam aliasque cœli injurias prænunciare, indeque *Compassum* aut indices temporis appellari: In valle eorundem quadam calidissimo anni tempore nives altissimas jacere, & vel sedecim annis servatas colore inter se distingui, dum vetustissimæ colorem subrufum, recentiores nitidiorem exhibent: Inter herbas quamplurimas *Angelicam* repertam altitudine hominis staturam, crassitudine humanum brachium longe superantem; & *Carlinam* seu *Chamæleontem album*, qua herba omnem Germaniam carere scripsit *Matthiolus*: Esse eosdem auri & gemmarum ditissimos, & a Spectro quod *Ribenzall* appellant infestos, de cujus nomine & factis varia affert.

Cap. VIII. de duobus montibus agens, *Milessium* omnium in Bohemia altissimum tempestatis prælagum ipse expertus testatur. Cum enim die serenissimo nebulis contegitur, cæteris circum montibus etiam serenis, mox imbres sequuntur; Si vero idem solus innubis stat, reliqui montes impune fumare spectantur.

Cap. IX. Ex Jesuitæ *Chanousky* oculati testis *Vestigio Bohemiæ Piæ cap. ult.* recensentur montes versus Bavariam, non tam situ (alii enim ad septentrionem, alii ad meridiem latus obvertunt) quam cœlo & temporibus adversantes, latissimis tamen vallibus diremti, in quorum altero sæpius æstas, in altero oppositio hiems dominatur cum nivibus altissimis: ob quam causam, dum illic demessa sunt omnia, hic seges viresci. Magis mirandum, in Tractus Pilsnensis agris contiguis, quos unus tantum sulcus separat, illos adhuc hibernare, hos sole aduri: ibi caput attollere frumentum, cum hic in culmum adolescit: illic bene pellitos ingredi incolas, hic pelles exuere. Adjicit Miscellaneorum Auctor tale aliquid sibi accidisse an. 1652. Cum enim Glacio in Bohemiam ob nives altissimas trahæ veheretur, superatis montibus, qui Comitatum Glacensem a Bohemia disterminant, altero latere montium omnia viridia reperisse, coactumque relicta trahæ currum petere: accolas autem eorum montium confirmasse, quotannis ita evenire.

Cap.

Cap. XI. Antra & cavernas memorabiles continet, in quibus *antrum S. Ivvani Eremitæ*, quem Bohemia ut Sanctum colit, ex cujus petra aqua guttatim ſtillans, ſi in lapidem ſubjectum inciderit, concreſcit in ſaxum, vitro excepta, aquoſitatem nativam & perſpicuitatem cryſtallineam retinet.

Cap. XIII. ad XXI. multa ſunt de auri copia apud veteres Bohemos, de amnibus auriferis, de fodinis mineralium; auri (quod aliquando album adeo eſt, ut ignorantes fallat) argenti, ſtanni (quod cum Anglico bonitate certat, atque a peritis modice correctum pro Anglicano venditur) ferri, cupri, plumbi, aluminis, mercurii, nitri (quod non eſt opus ſæpe fodere, cum in ſuperficie telluris pateſcat, & noctibus flamma erumpente aut etiam poſt pluviam medio die ſeſe prodat,) ſulphuris, calcis lapidis (qui in calcem præſtantiſſimam Italorum muriorum proverbio commendatam vertatur) marmorum &c. deque Spectrorum in fodinis iis tumultuationibus.

Cap. XXII. Chartarias Officinas enumerando errorem *Mylii in Horto Philoſophico* perſtringit, quod artem chartæ conficiendæ primum circa an. Chr. 1470 inventam affirmat, cum tamen non paucos in charta ſcriptos Codices ante an. 1340 Bibliothecæ oſtendant. Porro Jochemthalenſem chartam ea perhiberi bonitate narrat, ut in Hollandiam devehatur, atque in politiſſimam & tenuiſſimam reſingatur: illam ſcil. craſſam facile pati unam ſui phylyram in duas diduci.

Cap. XXIV. & quatuor ſequentibus, Thermas Teplicenſes, Carolinas, Deſnenſes; Acidulas Egrenſes, Teplenſes, aliosque fontes ſalutares enumerat & commendat. Thermas Carolinas ſcribit ob fervorem ab humano corpore niſi refrigerentur perferri non poſſe, in iisque ter quaterve intinctas gallinas aut ſues, pennas aut pilos amittere: Aquam thermarum intemperantiſſime ſed innoxie a lavantibus potari: incipere eos a paucis, exempli cauſa decem cyathis, addere altero die plures, augere quotidie potus menſuram, multos ad cyathos aquæ 40, 50, 60, 70. adſcendere; quibus tanta alvi lubricitas acquiratur, ut ſimul bibatur, ſimulque perdatur in perfectæ curationis argumentum; inde deſcendentes a maximo cyathorum numero ad paucos ſanitatem jam recuperaſſe. Aquas earundem thermarum lapideſcentes eſſe, & pone ipſum craterem bullientis aquæ promicare e ſubterraneis venis frigidas aquas acidulas. Porro ex P. *Chanovvski veſtigio Bohemiæ Piæ*, adducit

fontem *Wodolanckam*, ex quo ruſtici, quoties ſideratio aliqua agris ficcitatem invexit, aquam hauriant certatim, ac in fontes & puteos ſuos exſiccatos infundendo, pluviam exſpectent & conſequantur. Ex quo conjicitur, poſſe hoc modo venas fontium reparari, poſſe halitus & humida quædam effluvia concitari, poſſe aqueo quodam magnetiſmo nubes attrahi.

Cap. XXIX & ſequentibus, de Gemmis & pretioſis lapidibus tractans, piſcatum Margaritarum, cui interfuit ipſe, commemorat, recenſitosque quamplurimos pretioſos lapides cum *Marco Marci* fatetur deſtitui duritie & maturitate, quas dotes Orientales habent, excepto tamen *Granato*, quem Orientali præſtantiorem perhibent: *Corallia* quoque in rivo quodam collecta marinis coloris vivacitate nihil concedere: ante paucos etiam annos novum gemmarum genus in Albi deprehenſum eſſe, lapides ſcilicet niveos *Elbſteine* appellatos, qui arte politi adamantis lucem æmulantur.

Cap. XXXIII. Ignobiliores lapides enumerando meminit parvi montis prope *Egram* fluvium, cujus viſcera ſubterranei ignes depaſcuntur: aurem ſolo admoventem murmur ventorum aut flammarum exaudire, viciniamque non ſemel terræ tremorem cum triſti mugitu ſenſiſſe. Obſervat quoque Acum ferream a magnete contactam, nunquam in Bohemia recta polum ſeptentrionalem reſpicere, ſed orientem verſus ad octo aut etiam plures gradus averti.

Raris naturæ Cap. XLIX, L. & LI. collectis annumeratur (1) Fungus Cervinus *a Kirchero in mundo ſubterraneo* deſcriptus. (2) Terra ſigillata, atteſtante *Marco Marci* par optimæ. (3) Cornu foſſile, de quo in Additamentis quædam iterum habet. (4) Oſſa Gigantum vera & foſſilia. (5) Ollæ foſſiles, quas ex argilla media extractas ruſticæ mulieres ſiccant, & coquendis rebus omnibus adhibent; ſine dubio naturæ luſu factæ, non ferales olim repoſitæ demortuorum, ut *Jonſtonus* opinatus eſt. (6) Vitrum fiſſile & foſſile, quod *Talcum* vocant, & vix ullibi in Europa, quam in Moſcovia reperiri perſuaſum vulgo habent. (7) Succinum flavum probatiſſimum, quod maxime poſt pluviam reperitur, & ab orbitis rotarum transeuntium ejicitur. (8) Zingiber inter aromata non poſtremum. (9) Lapides rotundi cavi, ex quibus confractis globus excidit alter quaſi nucleus, qui in minutiſſimam farinulam & pollinem redactus bibitur, & calculos efficaciſſime pellit. (10)

Similis

Similis alius Lapis, cujus ſaxeus cortex cum frangitur, alius ſe offert lapis, in quo rurſus velut medulla, inſtar vitelli, candidiſimus clauditur lapis, prorſus rotundus: hic in ignem conjectus brevi tempore exardeſcit, & cum ingenti ſonitu, inſtar manualis fiſtulæ ſeſe exonerantis, diſrumpitur. (11) Lapides qua terra extant glabri, qua parte in terram merguntur, aſperi, cuſpidibus quatuor, quinque, ſex, ſeptem vel octo etiam angulorum, quarum una alteram longitudine ſuperat: Ipſæ Soli obverſæ, licet candorem cryſtalli imitentur, in extremis tamen Iridem gratiſſima colorum varietate mentiuntur. Vide Additamenta. (12) Via Saxea in lapideo monte ex genere lapidis mollis & pumicoſi, qui veſtigia impreſſa omnis generis & ſexus hominum animantiumque inconfuſa multis annis ſervavit. Suſpicio eſt, cum illa via lutoſa & humida tempeſtate viatores ac animantia tranſirent, ſua in luto reliquiſſe veſtigia, quæ ſaxifico ſemine poſtea incidente durata in ſaxum excreverunt, hodieque perſeverant. (13) Conchæ ſaxeæ, limaces & ſerpentes ſaxei, tam affabre formati, ut viatoribus horrorem incutiant. (14) Antimonium ante non multos annos inventum.

Cap. LII, LIII, LIV. Piſcium genus duplex in Bohemiæ fluviis refertur, tum peregrinum, quod ex mari adſcendit, tum domeſticum, quod fluviis ipſis innaſcitur. In priore genere eminent *Salmones*, qui aqua dulci invitante, per *Albim* adverſum uſque in Bohemiam eluctantur, occurrentes ſibi dextra lævaque fluvios faſtidiunt, *Egram* quoque reſpuentes. Ubi *Muldavam* occurrentem deguſtaverint, dividere agmina ſolent, & molliores, præcipue fœmellæ, *Muldavam* tenent, fortiores plerumque in *Albi* perſeverant. Qui in *Muldava* pergunt, *Pragam* mediam transeunt: in *Watavo* flumine ad urbem *Piſeka* parvam prolem *Salmunculos* digitali longitudine fundunt, qui ſecundis fluminibus in mare parentum patriam veterem properant, reverſuri forſan ſuo tempore. Qui in *Albi* perſeverant, ipſo tandem deſerto in *Aquilam* fluvium feruntur, ejusque fontem petunt. Ibi ſua ætate intra anni dimidii ſpatium ſeptingentos magnitudine inſignes retibus exceptos teſtatur Auctor. Poſt Salmones eſt *Sturio*, quem in Albi tabeſcere falſo ſcripſit *Jonſtonus*. Aſſeverant Piſcatores, nullum præterire annum, quo non ignotus aliquis a mari piſcis veniens capiatur.

Cap. LV, LVI. Piſcinas enumerat, in quibus carpiones annulis aut circulis ære aliquo lucentibus ſecundum os aut caudam ſignati

ultra 40 annos asservati fuere. Hanc tractationem obsignat Lacuum historia, ad quam referuntur hiatus & fossæ inexplorabilis profunditatis in Boleslaviensis districtus campo medio, in quibus aqua stagnat & hieme gelatur, ac venti generantur, qui evolantes totam Bohemiam everrunt, ac sæpe impetuosi secum glaciem rapiunt in auras plurimorum centenariorum pondere ultra mille passus, in stragem hominum, pecudum & ædificiorum.

Cap. LVIII. Venationes ferarum in Bohemia usitatas percensет, addens Leporem monstrosum captum, qui fratrem in dorso ferebat; pastum & potum corpore in uno colligatos fratres sic dispensasse, ut modo hic, modo ille pasceretur, cumque hostes instarent, quantum posset, fugisse eum qui terram tangebat, postea fessum ac in tergum resupinum fratri integro fugam tradidisse persequendam. Similem ex Miscellaneis Acad. Nat. Curiosorum in Ephem. Erud. Paris. 24 April. 1677 descriptum vide.

Cap. LIX, LX, LXI. Varietatem & multitudinem animalium quadrupedum tam ferorum, quam mansuetorum memorat. In quo argumento occupatus narrat, se vidisse in *Castoribus* geminum testiculorum ordinem, sic ut inferiores duo quasi crescentes novique apparent, alteri superiores veluti effœti marcescant & macrescant, donec esse desinant: *Bartholomæi Anglici* locum, in quo pro *Bovi* legendum *Lami*, emendat; *Pliniumque* explicat, referentem, in fuga Bonasum reddere fimum interdum trium jugerum longitudine, cujus contactus sequentes ut ignis adurat. Nimirum non dicit *Plinius*, ejaculari Bonasum ad 120 passus, sed reddere sive per humum spargere fimum ad tria jugera; qua ratione nihil opus est aut Plinium mendacii accusare, aut librarios deceptos cum *Mureto* suspicari, loco *trium orgyarum*, trium jugerum legisse.

Cap. LXIV. Inter Insecta Scorpiones Pragæ natos cum maximus æstus fuit, habet, quos celeberrimus *Marcus Marci* legitimos & venenatissimos deprehendit.

Cap. LXV. Ad finem usque libri hujus Primi historiam Avium atque Aucupia persequitur. *Aldrovandum* notat male scripsisse, Perdices rufas Bohemiæ illatas rigidioris cœli impatientia durare non posse. Rarissimam avem *Capreolum* ex Bohemica lingua dictam, æstate tantum aut primo auctumno apparentem, pica non majorem narrat se vidisse,

vidisse, quæ cum noctu per aërem volitat, caprinam ac tremulam vocem (*Mee Mee*) emittit, ac simul inconditose saltu & prorsus caprino ejaculatur. De Phasianotrophiis earumque avium hebetudine & stoliditate differit. Historiam avis Bohemico solo quoad nativitatem & educationem propriæ, quam *Gesnerus* male *Garrulum Bohemicum*, Germani aptius Geidenschwantz appellant, ex *Ulysse Aldrovando* repetit, inque notis subnexis reprehendit potissimum t. nomen *Ampelidis* ab Aldrovando datum, arbitratus rectius vocari *Pterocliam* quasi pennis gloriosam, aut *Sericatam* cum Germanis. 2. Inter aves hieme alibi viventes referri.

CHRISTOPHORI VVITTICHII

Exercitationes Theologicæ editæ cura & studio ipsius Autoris, multis quoque in locis auctæ.

Lugduni Batavorum, apud Cornel. Bouteſtein

Anno 1682, in 4.

EXercitationum sub uno volumine hic compactarum Tituli sunt isti: Primæ, DEUS MUNDI RECTOR: Secundæ, CHRISTUS HUMILIS ET ALTUS: Tertiæ, FIDES SANCTORUM PERSEVERANS ET CERTA: Quartæ, FUCATA GENTIUM VIRTUS: Quintæ, VERITATES ET ERRORES FUNDAMENTALES CUM ANNEXIS. Natæ vero sunt illæ diversis temporibus; dum, ut ipse Autor scribit in Præfatione, in gratiam Studiosæ Juventutis, pro Disputationibus publicis & Exercitationibus Academicis, argumentum aliquod elaborandum fuit. Cum autem lucri cupidi Typographi, non consulto Autore, has ipsas sub forma libelli in 4. Lugduni Batavorum superiori anno divulgassent, nec titulos dissertationum, nec ordinem iis debitum servassent, Autor suum ipse potius fœtum pro virili exornatum & auctum, in lucem emittere voluit, quam ut illotum incomtumque ab aliis orbi erudito exponi pateretur. Hoc jure suo usus, & nomina dissertationum mutavit, & ordinem iis convenientem assignavit.

In *Prima* Exercitatione Autor non modo Existentiam Dei contra Atheos duobus argumentis ab Idea Dei singulis connata, & Hominis ad seipsum reflexa consideratione, juxta Carteſii doctrinam demon-

monſtrat, priori ex Rom. I. 19, poſteriori ex Act. XVI. 16. 17. robur concilians; ſed & providentiam Divinam, quoad omnes actus diligenter explicat, imo cum libero hominis arbitrio conciliare, & ſimul ab Eccleſiis Reformatis illud dogma, *quod Deus ſit autor & cauſa peccati*, removere ſatagit. In *Altera* duplicem CHRISTI ſtatum, humiliationis & exaltationis, in cap. II. Epiſt. ad Philipp. a v. 6 ad 13. fundatum, juxta Religionis ſuæ hypotheſes fuſe proponit. In *Tertia*, fidei natura ſtudioſe indagata id agit, ut oſtendat, eam eſſe immutabilem, conſtantem, atque perſeverantem, ut adeo fideles de remiſſione peccatorum, electione, & ſalute ſua certam habere poſſint perſuaſionem. In *Quarta*, ut detegat fucum virtutis Gentilium, obſervat requiſita virtutis & bonorum operum, quorum primum eſt regeneratio authorem habens Spiritum S. alterum ut procedat ex fide & charitate erga Deum & mediatorem Jeſum Chriſtum. Hinc refutatis iis qui putant Gentilium opera eſſe vere bona & Deo placentia, *Zuinglium* excuſat, quod Gentilibus nonnullis ſalutem æternam attribuerit, cum hos non niſi per fidem extraordinarie conceſſam ſervatos fuiſſe ſcripſerit in *Declaratione de Peccato originali ad Urbanum Regium*. In *Ultima* tandem Exercitatione, facta diviſione fundamentalium articulorum, in generales & ſpeciales, inter alia tradit: plures ex his neceſſarios eſſe miniſtris Eccleſiæ, quam vulgo fidelium: illos præciſo & certo numero determinari non neceſſe, imo nec poſſibile eſſe: poſſe fieri ut aliquod dogma evertat fundamentum, quod tamen in mente illud tenentis non evertat, ſi non videat contradictionem: non eſſe neceſſarium, ut præciſe omnes errores in numerato habeantur: de neceſſitate conſequentiarum judicare quemlibet in ſua conſcientia: Concilia œcumenica non poſſe ita decidere controverſias, ut quilibet fidelis teneatur in conſcientia ad iſtiusmodi deciſionem: Prætextu, quod articuli fundamentales in paucis conſiſtant, non debere ſtudium proficiendi impediri: qui negaverit eos fidei articulos, ſine quibus fiducia in Chriſtum conſiſtere nequit, non habere fidem: Doctores Reformatos non poſſe tolerare Pontificiorum dogmata, quin iis contradicant: hæc vel ſalutis fundamentum formaliter evertere, vel aliquid illicitum in conſcientia imperare: adeoque nec ſyncretiſmum cum illis ineundum eſſe: conciliationem dogmatum controverſorum non fieri debere per verba ambigua, ſub quibus utraque pars diſſidium latere poſſit.

Et

Et hæc præcipua fere ſumma eſt illarum Exercitationum Theologicarum, quibus in fine acceſſit Oratio Autoris inauguralis de *Oraculorum Divinorum veritate ac Gentilium falſitate.*

ANTI-VVANGNERECCIUS

Quem ſub Præſidio Academico Dni. Balthaſaris Bebelii S. S. Theol. D. & P. P. in Acad. Argentoratenſi adornarunt & defenderunt pereruditi aliquot Studioſi Theologiæ.

Argentorati Anno 1682 in 4.

CUm *M. Johannes Kircherus Tubingenſis* deſerta Lutherana Eccleſia ad Romanam tranſiiſſet, ne temere id feciſſe videretur, cauſas mutatæ religionis peculiari ſcripto divulgavit, obtendens, quod Lutherani fidei ſuæ fundamentum perperam in ſola Scriptura quærant, cum tamen magna hominum pars ſacrum Codicem ne legere quidem, nedum intelligere valeat, & ſine Eccleſiæ Authoritate, neque de Scripturæ Canone, neque de ſacrarum Literarum certitudine, neque de Divini Verbi ſenſu, ac interpretatione legitima quicquam certi conſtare cuiquam poſſit, adeoque conſcientia hominis tranquillari nequeat, niſi in Eccleſiæ Romanæ, quam ſolam veram & erroris expertem aſſerit, ſinu conquieſcat. Huic Ætiologiæ Kircherianæ cum anno 1641 *Johannes Georgius Dorſcheus* Argentoratenſis tum temporis Theologus, ad nutum Sereniſſimi Principis Würtenbergici Hodegeticum ſuum pro dijudicanda Scripturæ & Eccleſiæ authoritate oppoſuiſſet, inventus eſt multis poſt annis *Henricus Wangnereccius* Jeſuita Dilingenſis, qui a Johanne Abbate Elchingenſi ſolicitatus in Anti-Dorſcheo ſuo Kircheri patrocinium ſuſcepit. Verum e Dorſcheanis oſſibus ultor exurgens *Dn. D. Balthaſar Bebelius* eruditos aliquot Theologiæ Studioſos excitavit, ut ſe Duce atque Præſide pro Dorſcheo diſputationibus publicis contra Kircheri Hyperaſpiſten militarent, quod & ſtrenue pro ſuis quisque viribus fecerunt. Quæ autem Diſputationum iſtarum, numero 12. argumenta ſint, cum ex dictis pateat, repetere ſuperfluum putamus.

HENRICI VALESII

Notæ & Animadverſiones in HARPOCRATIONEM, & Philippi Jacobi Mauſſaci Notas. Ex Bibliotheca Guilielmi Prusteau, Antecessoris Aurelianenſis.

Lugd. Batav. 1682 in 4.

DOctarum Antiquitatum, Græcarum pariter atque Romanarum copia, quæ in hoc Scripti genere elucet, adlectus Clariſſimus Vir *Jacobus Gronovius*: pietatem inſimul, & ſuum erga Valeſianos manes cultum teſtaturus, publici illud juris fecit, VALERII HARPOCRATIONIS (qui ſub Lucio Vero forte floruit, & cujus præter Suidam, Sopater, Libanius, Meurſius, Voſſius, aliique meminerunt) LEXICO illuſtrando ab *Henrico Valeſio* olim adornatum. Poſtquam enim Valeſius ingenium illuſtre Muſis altioribus, Juris maxime ſtudio, juvenis admodum dediſſet, eam ſibi legem, teſte Gronoviana dedicatione, dixit, non poſſe vel principia vel origines publici privatique Romanorum juris percipi & intelligi, niſi Græcis notoriam perferentibus, utpote a quibus id adoptaverint Romani. In Græciæ Oratorum ergo reliquiis habitavit ejus tum temporis induſtria, & præcipue in Alexandrini hujus Rhetoris Dictionario, ex Græcorum Rhetorum, Antiphontis, Andocidis, Lyſiæ, Iſocratis, Iſæi, Æſchinis, Lycurgi, Demoſthenis, Hyperidis & Dinarchi Orationibus potiſſimum collecto; quod ipſum quidem Venetiis, circa ſuperioris ſeculi initium, una cum vetuſtis Ulpiani Rhetoris in Demoſthenem enarrationibus, luce donaverat Aldus Manutius. Hoc velut pugillar & juveni & viro & ingraveſcenti ætati adhæſit perpetuum, ad auxilia quidem memoriæ primum, deinde & gratiæ cauſſa, quam Harpocrationi tribuens non dubitavit omnia ſedulo facere, ut tantis tenebris obducto ſcripto opitularetur: Hoc quaſi ſacrarium quoddam laborum ſuorum conſtituit, dignumque cenſuit Valeſius, in quod omnis generis ſubſidia undique & per omnem vitam comportaret. Negari enim non poteſt, quod in Notis Valeſianis hiſce plurima occurrant, quæ Scripturam non intellectam aliis aperiunt, teterrima Scriptorum loca reſtituunt, Latinos Græcorum interpretes corrigunt, Hiſtoriam multis partibus illuſtrant, obſcuriſſima fabularum deridicula, & nativum verborum atque dicteriorum lepo-

rem,

Digitized by Google

rem, qui in fabularum scenis discitur, revelant, Poëtarum quoque & Oratorum lusus ac delicias, suavitate Græcæ conditas elegantiæ, sine fuco sistunt. Ut taceamus, quæ in cognitione Autorum, Græcorum præsertim, in doctrina Græcæ linguæ, in tribunalis Græci formulis & harum origine, in contractuum, & forensium Actionum generibus, nec non in rebus Geographicis & Chronologicis illustrata ab eodem hic reperiuntur.

Prodiderat equidem ante hos duodeseptuaginta annos præclarum doctrinæ specimen in Harpocratione quoque *Philippus Jacobus Maussacus*, notisque suis hoc Lexicon non parum illustraverat. Verum & his a Valesianis non minus luminis affundi deprehendet facile, utrasque paulo diligentius qui consuluerit.

Manum vero ultimam his imponere literariis cum Valesius ipse non potuerit, morte interceptus; qualem fortunam & alia Clarissimi viri affecta opera, Observationes videlicet, Libros de Critica, Pollucis capita de republ. Athenienſi, experta fuisse, utique dolendum est; Obstetricantem operam superstiti commodandam monumento duxit Gronovius, nullique parcendum sumptui, quo collectum alieno opere eruditionis instrumentum emendate atque nitide exponeretur luci, in peregrina utut regione, & post Autoris fata.

Exhibentur itaque *primo* loco Valesii Notæ in Harpocrationis Lexicon; ubi præter Philologica & Chronologica, etiam quæ Magistratus, judicia, causas forenses, & processum Græcis olim usitatum spectant, ex ipso Rhetorum Græcorum usu adducuntur. *Secundo*, ejusdem Valesii Notæ in Maussaci de Harpocratione ejusque scriptis Dissertationem Criticam; ubi inter cætera Harpocration ab aliis homonymis, Athanasio, & Salmasio citatis, discernitur, deque Grammaticæ & Criticæ indole disseritur uberius. *Tertio*, Valesii Notæ in Notas Maussaci: quas ipsas aliquot in locis doctissimus Gallorum emendat, & autoribus interdum, ex quibus desumtæ, lumen sensumque genuinum reddit. Concluditur denique posthumus hic fœtus duplici, rerum & verborum scilicet, nec non Autorum his in notis emendatorum indice.

OPUS POLITICUM IN TRIBUS LIBRIS omnes ad doctrinam politicam tam quoad pacis quam belli administrationem, & tranquillum ac turbulentum Rerumpubl. Statum, nec non Jus Publicum S. R. Imperii nostri spectantes materias exactissime exhibens &c.

Auctore RUDOLPHO GODOFR. KNICHEN.

Francofurti ad Mœnum apud Jo. Dan. Zunnerum, A. M DC LXXXII. in fol.

ETsi post Aristotelem, mille octingentos amplius annos, multi operam suam ad Politicam Philosophiam tradendam appulerunt; tamen *H. Conringius*, νῦν ἐν ἀγλαΐς, *libro de civili prudentia*, aliique viri πεπαιδευμένοι τὰ πολιτικά, cum in Systematibus, tum in compendiis magno numero, a diversarum nationum autoribus, hactenus vulgatis non pauca desiderarunt. Laudanda itaque industria est, quam in colligendis & disponendis civilis doctrinæ rebus nuper adhibuit *Vir Nobilissimus Dn. Rudolph. Godfr. Knichen, antehac Anhaltinus & Ligio-Brigensis Ducalis, nunc Regius in Regimine Ducatus Lignicensis Consiliarius.* Novum hoc opus Politicum, varietate rerum singularium insigne, dum componeret, tractandi ordinem a Marc. Frid. Wendelino, Magistro quondam suo Serveſtæ in gymnasio docente mutuatus est. Primum quidem illud a se in privatum saltem usum congestum scribit; postea vero rogatus ab amicis, auxit, & evolutis summa fide & industria autorum, quos allegat, testimoniis, publici hoc fecit juris. Cæterū quid polliceatur *vir Amplissimus*, titulo seu inscriptione operis significat, quod in tres libros digessit. In *primo* de doctrina politica & societatibus humanis tum minoribus tum majoribus disserit. In *secundo*, cujus tractatio quatuor partibus constans prolixior est, primo de imperantibus, magistratu & modis perveniendi ad illum agit; secundo de ministris imperantium ac civibus varii generis; inde de partibus summi imperii, ut jure circa sacra, arma, tributa, comitia, fœdera, judicia &c. tractat: tertio ad Imperii Romano Germanici considerationem digressus, de ejusdem origine, amplitudine, Imperatoris Romani sacratissimi ac Statuum Imperii juribus, judiciis, ordinibus ac dignitatibus civium, nec non urbium Imperialiū ortu, juribus, ac privilegiis disserit: Quarto, quæ in administra-

niſtratione Reipubl. belli tempore requirantur, oſtendit. Tandem in *tertio* libro cauſas Rempublicam evertentes & conſervantes tradit, ſubjunctis rerum indicibus.

JOHANNIS LOMEIERI ZUTPHANIENSIS, de Veterum Gentilium Luſtrationibus Syntagma.

Ultrajecti A. 1681 in 4.

GEntiles etiam ex naturæ lumine cognoviſſe, Deum ita deteſtari peccata & ſcelera hominum, ut, niſi illa fuerint prius expiata, juſtas eorum pœnas, bella, famem, peſtem & alia id genus mala immittat; erudito commentario demonſtrare aggreſſus eſt *Johannes Lomeierus* autor nominis haut obſcuri. Primum in originem & cauſas luſtrationis veterum inquirit, ac quare gentiles tot inventis ceremoniis, a peccatis ſeſe purgare, divinumque Numen placare inſtituerint, exponit. Inde progreſſus, ordine non malo, *cauſas* (ut in ſcholis vocant,) *quatuor* cum variis circumſtantiis deſcribit. Deos gentilium καθαρσίους & ἀλεξικάκους poſtquam allegaſſet, contra Stoicos & Epicurum Diis iram abjudicantes, diſputat. Signa irati Numinis varia colligit & multis ſcriptorum veterum teſtimoniis confirmat. Tria *purgationis* genera Servio ad VI. Æneid. Virgilii obſervata, fuſius, quam quisquam alius declarat. Refutat etiam Judæorum opinionem, qui ex Geneſ. I. 8. colligunt, Angelos ſecunda creationis die lapſos eſſe, quia non legitur additum: *vidit DEUS, quod eſſet valde bonum.* Tandem ſpicilegium quorundam παραλειπομένων inſtituit ac nonnulla luſtrationum genera peculiaria recenſet. Quibus expoſitis, gentilium hanc ſuperſtitionem per Doctores, Concilia, & Imperatores Chriſtianos abrogatam eſſe tradit.

D. CHRISTOPHORI Langens/ *JCTI, COM. PAL. Cæſ. & Vice-Cancell. Sax. Iſagoge ad Proceſſum Juris Civilis & Saxonici. Cura & ſtudio*

D. Johannis Chriſtophori Herolds/ JCti &c.

Francofurti & Lipſiæ 1682 in 4.

INter eos, qui hactenus in tradenda Proceſſus Judicialis norma haud contemnendam locarunt operam, ſuo jure & ex merito etiam numerandus eſt *Chriſtophorus Langius*, JCtus & in Jure & Judiciis quon-

Digitized by Google

dam exercitatissimus. Quanquam enim non ignorabat, plurima jamjam hac de re exstare excellentium Juris Sacerdotum monimenta; non omnino tamen oleum & operam perditurum se arbitratus est, si ipse hanc Jurisprudentiæ partem pro virili excoleret, quæque subinde tum ex præstantissimis, nec ex parte ubivis semper obviis Auctoribus, quorum longam seriem præmissus libro Catalogus texit, tum propria quoque experientia animadverterat, in schedas conjiceret. Quemadmodum vero morte præventus, hæc sua non absque judicio conquisita meletemata Orbi erudito communicare non potuit: ita non infelici rei forensis fato factum est, ut, excussis B. Viri scriniis & manuscriptis, ea tandem Cl. JCtus & Ducatus Magdeburgici Consiliarius &c. *Dn. Johannes Christophorus Heroldus*, in concinnum ordinem redegerit, variisque Collegiorum Juridicorum Responsis, Consiliis & Præjudiciis in Contradictorio latis, nec non JCtorum Observationibus Practicis, & agendi formulis, aucta & illustrata, publicæ luci exposuerit. Eo autem præcipuus hujus libri labor videtur tendere, ut, quæ in Ducatu Magdeburgico ex Jure Communi tam Civili, quam Saxonico, circa materiam Processus Judiciarii vigeant receptæ opiniones, & Judicibus & Advocatis istius ditionis sub unum conspectum & in nuce quasi exhiberentur, ne vagis & incertis juribus personarent tribunalia.

JOHANNIS BRUNNEMANNI DE JURE
Ecclesiastico Tractatus Posthumus, Revisus & auctus a SAMUELE STRYCKIO JCto.
Francofurti ad Viadrum 1681 in 4to.

Quem utili perquam instituto paucis ante obitum septimanis ipse in lucem publicam emittere destinarat JCtus magni nominis, B. Brunnemannus librum; hunc jam proximus morti Genero sui simillimo, celebertimo STRYCKIO, per fidei commissum quasi reliquit evulgandum. Quemadmodum vero totum hoc opus in usum Consistoriorum & Ecclesiarum Evangelicarum contextum est: sic in tres distributum libros, primo exhibet Jus circa personas Ecclesiasticas, altero rerum, tertio denique ipsius Fori & Processus Consistorialis formam ob oculos ponit. Reperias hic variarum, quæ tractantur, doctri-

doctrinarum occasione multos Ecclesiæ nævos a B. Auctore notatos. Nunc oscitantiam quorundam Ecclesiæ ministrorum in procuranda animarum salute; homilias Oratoriis pigmentis sæpius coloratas potius, quam ad pietatem plebis suscitandam directas; neglectum Theologiæ moralis, & explicationis Casuum Conscientiæ dubiorum, & visitationis domesticæ: nunc solennem minus baptismi administrationem ejusque periculosam dilationem, & concomitantem luxum; superficiariam nimis ad Cœnam Dominicam accessurorum examinationem, omissionem frequentioris Catechisationis, Musicam Theatralem, aliaque id genus atro carbone signat. Annotationes a laudatissimo STRYCKIO singulis Capitibus subjectæ, cum aliorum Theologorum & JCtorum sententias, tum variorum Consistoriorum & Facultatum Juridicarum responsa continent, pascendis lectorum desideriis accommodatissima. Accesserunt in calce Prælectiones Brunnemanni publicæ ad Regulas Juris Canonici ex quinto Decretalium libro, per ampliationes & limitationes ita illustratæ, ut non possint non insigne de se polliceri emolumentum. Utrobique adjectus est index præcipuarum rerum locupletissimus & apprime utilis.

GABRIELIS SVEDERI, J. U. D. CONSIL. Wurtenberg. & Suprem. Dicast. Assessoris, Introductio in Jus publicum Imperii Romano-Germanici novissimum.

Tubingæ 1681 in 8.

Quod in fronte hujus libelli promittit doctissimus Auctor, id per integrum bona fide & laudabili conatu, nec apta minus methodo, ac sincera brevitate præstat. Neque enim ex Justiniani Juribus (quæ nonnullorum, vetus illud Romanorum cum Imperio nostro confundentium, *ἀναιδεία* est) Statum Germaniæ metitur, sed ex genuinis ac limpidissimis Legum Germanicarum & Actorum publicorum fontibus, suas derivavit doctrinas. Hac autem procedit via, ut, toto opusculo in Generalem & Specialem partes diviso, illa, præmissis Juris publici definitione ac fine, leges totius Imperii fundamentales latius paulo & historice explanet, mox ortum ejus, progressum, mutationes, incrementa ac decrementa, quæ subinde, avulsis hinc

inde

inde provinciis, passum est, formam deinde ac divisionem hodiernam ex B. Conringii potissimum scriptis, succincte pariter & accurate ostendat: hac vero in duas iterum sectiones scissa, prima de Imperatore & Romanorum Rege, quæque de electione ejus dicenda sunt, deinde etiam de Juribus ejusdem cum reservatis, tum partim Electoribus solis, partim omnibus Imperii Statibus communicatis agat; altera vero Statuum jura singula singulis ac distinctis capitibus exequatur. Insperguntur passim ex probatissimis ac novissimis Publici Juris Scriptoribus controversiæ insigniores, ut dubium plane nullum appareat, quin hic exiguus mole libellus, si non omnium, plurium certe Eruditorum puncta laturus sit.

OLAI BORRICHII ANALECTA AD COGITATIONES de Lingua Latina. Accedit Appendix de Lexicis Latinis & Græcis, cum indice addendorum ad Fori Romani literam C.

Hafniæ 1682 in 4.

POstquam vir præclare meritus de studiis literarum universis *Gerhardus Joannes Vossius, de vitiis Sermonis, & Glossematis Latino-Barbaris libros* edidisset *quatuor*, ac in præfatione de diversis Latinæ linguæ ætatibus disseruisset erudite, annis triginta post vir non vulgaris eruditionis laude celebris, *Olaus Borrichius, Hafniæ cogitationes de variis L. Linguæ ætatibus. & scripto illustris Vossii de vitiis sermonis*, una cum *defensione ejusdem, & Strade adversus Gasparum Scioppium*, in publicum emisit. Horum, & qui simili labore erudito occupati fuerant, Scioppii & Joannis Vorstii exemplo excitatus Clarissimus *Christophorus Cellarius, Smalcaldiensis*, primo *Antibarbarum Latinum in VII classes distributum* publicavit, quem nuperrime ab ipso recognitum denuo & innumerus locis auctum legimus. Mox vero perlectis laudati Borrichii *Cogitationibus* jam memoratis, ipse *Curas Posteriores* de *Barbarismis & Idiotismis sermonis Latini*, secundum secula distributas, luci exposuit publicæ. In quibus dum a Borrichii Cogitationibus memoratis dissensum quandoque suum modeste professus est Cellarius, nobilissimus Borrichius ansam indeptus est *Analecta* ad *Cogitationes de Lingua Latina* scribendi, queis, ubi erasse videri poterat,

Digitized by Google

terat, adversus laudatum Cellarium easdem propugnat, adducta partim diversa autorum lectione, partim MStorum fide, qua ipse quandoque nititur. Utriusque Viri studium laudandum est, quod pro virili sordes dictionis e stylo inquinate scribentium abstergere laborant. Nec censura Borrichii eruditis displicere potest, quam de Lexicis Latinis & Græcis, appendicis loco addit. Posteaquam enim contra Clariss. Viros, *Georgium Heinricum Ursinum*, de nonnullis quæstionibus Grammaticis, & *Arnoldum Rhumannum*, in Roma sua Attica, MSto quidem libro, sed (ut ipse loquitur) amplo & erudito, sollicita viginti annorum cura ad prælum jam tandem maturo, de *coxendicis* etymologia disquisivisset, defectus clarissimorum Lexicographorum tum Latinorum, tum Græcorum notat, & boni publici causa optat, ut eruditi in Lyceis & Academiis docentes, partita inter se opera, accuratum & perfectum elaborent Lexicon Latinum pariter ac Græcum. Tandem subjungit specimen indicis addendorum ad *Fori Romani* literam C, ut ex hoc specimine Lector de reliquo ejusdem libri defectu queat judicare.

PETRI MEGERLINI, Math. Prof. Basileensis Systema Mundi Copernicanum, argumentis invictis demonstratum & conciliatum Theologiæ.

Amstelodami anno 1682 apud Henr. Wetstenium in 8.

IN hoc Libello, rejectis Ptolemaico, Tychonico & Semi Tychonico, mundi Systematibus, Copernicanum verum atque genuinum, non sensu sed ratione judice determinandum, esse contenditur. Cui fini argumenta hucusque a Copernicæis usurpata, compendio dilucide proponuntur, Terræque Motus cum natura rerum conformitas evincitur.

Unde porro ut *Autor* Motum istum Scripturæ Sacræ conciliet: sicut in rebus fidei hujus dicta ad fidei; ita in naturalibus eadem ad Naturæ analogiam examinari, & juxta hanc intelligi oportere sustinet: cum scopus Spiritus sancti longe sublimior sit, quam ut sapientiam seculi nos edoceat, quippe qua cum Paulo se abdicet, nihil præter Crucifixi scientiam profesio. Inde esse, quod ad captum vulgi se accommodando, Mundum ædificio comparet, duabus potissimis partibus Cœlo Terraque, illo tanquam fornice instar veli expanso; hac

tabulato, ſeu area ſubſtrata, & propterea nunquam Globi, ſed Orbis ſeu planitiei, appellatione inſignita, conſtantem. Atque id ipſum vel ex ipſis locis contra Copernicæos directis conſtare, in quibus Sol ſupra Gibeonem, Luna ſupra vallem Aialonis ſtetiſſe; Umbra (temporibus regis Ezechiæ) retroceſſiſſe dicatur: cum nec Luminaria dictis locis, niſi apparenter incubuerint; nec Umbra, mera ſc. privatio, revera moveatur, ſed ad motum lucis aut corporis opaci, alia atque alia fundatur. Qua una ratione etiam, Copernicæis uſurpata, quomodo Sol ab una cœli extremitate ad alteram currat, Pſ. XIX; occaſum ſuum ſciat, Pſ. CIV; aliaque loca, de Terræ ſuper baſi fundatione &c. explicari poſſint ac debeant.

JOH. CHRISTOPHORI STURMII, Prof. Altdorfini Epiſtola Invitatoria, ad Obſervationes Magneticæ Variationis inſtituendas.

Altdorfi, 1682. in 4.

SCripta eſt hæc Epiſtola ad Curioſos, præcipue Germanos, in operæ ſocietatem alliciendos, quam circa exploranda magneticæ variationis (hoc demum ſeculo paucis abhinc annis detectæ) phænomena, proximis annis Noribergæ ſibi ſumſit, *Dominus D. Volckamerus, Societatis Naturæ Curioſorum Collega Nobiliſſimus*: ut junctis hinc inde aliorum, ſubmiſſisque *Laudato Obſervatori* experimentis, quid emolumenti a ſolerti hac indagine expectari debeat, periculum fieri poſſit. In ſpecie: ut Variationis regularitate conſtanti plurium obſervationum ſuffragio confirmata, effectus hujus admirandi cauſa (felicius ac *Carteſio* contigerit; refutato ſc. ab Obſervationibus in hoc negotio hactenus habitis) indicari, digeſtisque in Tabulas obſervationibus, Hypotheſis iisdem conveniens adornari queat. Unde Geographiæ ſpes aliqua ex Terra petendarum longitudinum affulſura; & Nauticæ, in portubus ex data latitudine & declinatione inveniendis, ingens commodum obventurum foret.

Qua ratione porro Laudati Viri quibusque conditionibus, quas tamen aliorum monitis conſiliisque attemperare paratos ſe profitentur Obſervationes inſtitui quam commodiſſime poſſe arbitrentur, verbis Epiſtolæ ipſius dare conſultum duximus, quæ ſequuntur:

I. *Uno*

I. *Uno circiter eodemq; anni tempore Observationes ab Universis institui, consultum foret procul dubio, & nominatim proximis Æquinoctio utrique & Solstitio æstivo diebus; prout huic aut istis observandi quisque modus magis fuerit accommodus: Imo, designata semel exacte meridiana linea super immobili quodam plano, singulis postea mensibus acum versoriam applicare, & si qua interim Declinationis varietas acciderit, notare haud inutile futurum esset.*

II. *Quibus ad manus sunt quadrantes & Instrumenta grandiora in minutias graduum divisa, ii cum* Auzuto, Petito *&c. per Azimuthos & altitudines solares rem feliciùs conficient, aut eorum modorum uno, quos habet* Kircherus L. II. Art. Magn. Part. VI. c. I. *Alii his destituti mediis,* Heveliana *methodo, quam* Cœlest. Mach. L. I. c. XVI. *variam tradit,* Eimmarti *nostri Schematismo haut obscure expressam, citra magnas impensas & cum fructu utentur: nemo autem stylorum erectorum umbris (quæ vulgatissima cæteroquin ratio est) aut similibus confidet, nisi in subsidium & cæterorum experimentorum confirmationem; quandoquidem in plurium, diversa methodo instituturum, Observationum consensu, meliores a sequioribus etiam aliquid roboris accipiunt.*

III. *Præstaret etiam duas minimum acus in quavis Observatione adhiberi, easque quam optimas, & nec parvulas nimium, quæ differentias Declinationum exacte satis indicare non valent, neque valde grandes, quas mole sua magneticam virtutem frequentius eludere experti sumus, sed mediocres, agiles & vivaces; & pyxides ita fabrefieri, ut in fundo arcum saltem plurium graduum in minutæ singula aut quina saltem, transversalibus lineis divisorum, haberent; quales equidem ab artificibus Norimbergensibus peritissimis omni studio pretioque justo ut parentur, se curaturum sedulo* Laudatissimus Dn. Volckamerus *recepit.*

IV. *Esse vero ad hoc Observationum genus ejusmodi locum eligendum, qui planus & ad libellam exaquatus nulla latentia magnetismi aut vicini ferri fallacia suspectus sit, nobis etiam non monentibus, unusquisque facile judicabit.*

Sic igitur junctis studio & unanimi conatu si Curiosorum quisque suo loco per universam Germaniam nostram (quod idem exteros quoque in suis regionibus pari consensu facturos nulli ambigimus) magnetis declinationem quot annis aliquoties inquirere, Observationes porro suas, quo mense ac die, quove instrumentorum apparatu factæ essent, quot item graduum ac minutorum a meridiana linea in alteru-

tram partem secessio fuisset deprehensa &c. ad Nobilissimum Dn. Volckamerum *perscribere non gravarentur, facturi essent utique rem nobis oppido gratissimam & publico bono nostra opinione longe utilissimam &c. Altdorfi Noricorum Pridie Festi Paschalis* cIↃ IↃc LXXXII.

D. A. Q. RIVINI Dissertatio de Lipsiensi peste Anni 1680.

Prostat apud L. S. Cörnerum, Bibliopolam Lipsiens. in 8. 1682.

VEstigia pressurus *Gaspari Calderi de Heredia*, de Peste Hispalensi, *Petri a Castro*, de Peste Neapolitana, Romana & Genuensi, *Johannis Imperialis* de Peste anni 1630, *Gresleri*, de Peste Brunsvicensi, *Hodgesi*, de Peste Londinensi scribentium, Pestem sub illa facie, qua nobis præcipue, ante biennium, funesta satis existebat, in libello hoc delineat Auctor. Adeoque primo Pestis hujus naturam atque symptomata explicat, in quantum quidem hæc eorumque circumstantiæ illam aliorum temporum & locorum pestibus conformem, aut ab iis quoque discrepantem reddiderunt. Deinde Causam morbi hujus epidemici disquirens, castra illorum describit, qui Contagium malignum accusant, sive hoc a putredine, sive ab acrimonia salina, sive astrorum influxu, sive exhalationibus fodinarum, sive cadaverum miasmatibus & fœtore, derivent: Imaginationem potius variis modis consternatam, seu terrorem, Pestis causam proximam & adæquatam pronunciat, quatenus hic spiritus omnium violentissime commoveat ac ad recessum disponat, unde non saltem varia generis nervosi contingant symptomata, sed sanguis quoque hinc coagulatus præter difficultatem spirandi, cordis angustias &c. bubones, carbunculos atque petechias formet. Atque hanc suam hypothesin variis observationibus ac ratiociniis comprobare, illisque, qui sine terrore, per contagium merum, infectos quosdam fuisse asserunt, satisfacere prolixe contendit. Quo facto & postquam pestis hujus invadentis signa ejusque varium eventum recensuit, præservandi ab eadem rationem declarat. Cujus occasione pleraque hactenus ab Autoribus commendata Amuleta rejicit, horumque potentiam suspectam reddit, radicem Colchici tamen tanquam certissimum amuletum commendans. Etsi omnium

Digitized by Google

mnium horum usum, si quem præstent, illum esse fatetur, quod talibus confisi præsidiis magnanimitatem induant, spiritibusque robur contra contagii horrorem concilient. Pariter quoad odores, hirci fœtorem aliaque graveolentia ridet, fragrantium applicationem vanam, dubiam, imo nocivam proclamat: In conclavi tamen ægrotantium deflagrationem pulveris pyrii aliaque pauca naribus admota aut sub lingua detenta & masticata permittit. Hinc de Alexipharmacis præservationis gratia assumendis, v. g. Theriaca, acetis medicatis, fumo sulphuris &c. agit, horumque usum pariter evanidum, Sudoriferorum vero & Laxantium vim præservatoriam insulsam atque ridiculam credit. Quibus præmissis idem Autor quasdã præservandi regulas tradit, quæ præprimis in eo consistunt, ut occasiones terroris ac nauseæ cum omnibus illis, quæ vires enervant, fugiantur, quæ vero spiritus roborant, assumantur & adhibeantur, non neglectis, quæ copiam ac pravitatem humorum exturbant, remediis, sc. Venæ sectione, evacuatione & alteratione. Tandem Curam pestis subnectit, ejus quatuor indicia supponendo, ac *primo* ideam conceptæ cum terrore pestis, ut causam proximam, per morbi hujusque periculi dissimulationem, omniumque quæ metui ac desperationi ansam suppeditant, prudentem declinationem eradicandam: *secundo* hinc coagulatum sanguinem per sudorifera dissolvendum: *tertio* symptomata connexa mitiganda: ac *quarto* Bubones ac Carbunculos, tanquam productum morbosum, per externa tractandos. Ubi inter alia Vomitoriorum usum damnat, eumque non, nisi sub certis conditionibus & rarissime admittendum esse monet. Oleum scorpionum pro repellente habet, hinc bubonibus minime, sed pectori saltem ac pulsibus, illinendum commendat. Pariter bubones bubonum tumores potius repellere atque eorum dolorem sedare, neutiquam venenum ex iisdem attrahere, multo minus, juxta Paracelsum ac Hartmannum, applicatos intumescere αὐτόπτης testatur.

RELATIO DE MONSTRO VITULINO-humano a Dn. D. Schreyer Physico Cizensi communicata.

EXhibuit flumen, quod Cizam alluit, juxta pagum Bornitz, die 17. Julii 1681, monstrum horrendum, cujus cervici vitulino apposi- *TAB. VIII. Fig. I.*

tum erat caput humanum. Hujus in superiore parte eminebat velamentum membranaceum mitriforme corrugatum: frons spithanum excedebat, & ubi desinit, oculi erant clausi, e quorum regione in utroque latere erigebantur aures felinis non majores. Nasum (deficiebat vero siniſtrum foramen) habebat depressum: os patulum, utrinque dentatum. Mentum ornabant pili barbam caprinam mentientes. Collum videbatur elongatum: pectus vitulinum cum anterioribus pedibus: posteriores suilli, suillaque cauda in extremo pilosa. Cæterum totius monstri cutis nigricans erat ac a pilis nuda, sexusque monstrum fœmmei. Interiorum examen vehementissimus fœtor prohibebat.

EXCERPTUM EX LITERIS ILLUSTRIS Hevelii die 9 Junii, hoc anno, Gedani datis, de phænomeno quodam aereo observato.

TAB. XIII. Fig. II.

Adjicio phænomenum quoddam aereum hic Gedani non ita pridé, die sc. 10 April. st. n. vesperi, occidente sole a me ipso observatum. Quo tempore sol ad occasum vergens longissimos ac lucidissimos radios sursum versus projiciebat, instar caudæ cometicæ: in quorum cuspide, spurius sol, & quidem in inverso quodam arcu coloribus variato, instar iridis, distincte apparuit. Ego in ea sum opinione, si hocce phænomenum citius sese mihi conspiciendum exhibuisset, in solis scilicet elevatiori situ, sine dubio plures Parelios ab utroque latere, cum caudis & aliis arcubus circa solem existentibus, ut fieri plerumque solet, comparituros fuisse. Proinde hocce phænomenum non nisi species, vel particula fuit pareliorum. Ego, uti ex *Mercurio* meo p. 174 liquet, semel septem soles simul in lucidissimis maximis arcubus, cum quibusdam caudis, in adversas cœli partes, respectu genuini solis, excurrentibus, cœlo sereniſſimo, in ipso meridie, anno sc. 1661 die 20 Febr. sicuti ex ipso ibidem appositio schemate patet, observavi. An simile phænomenum unquam ab ullo alio deprehensum hactenus sit, nondum cognovi.

EXCERPTA EX COLLECTIONIBUS Philosophicis Anglicis n. 3, A. 1681, p. 66 sq.

Observatio Eclipseos Lunaris 29 Aug. 1681 st. n. mane, in observatorio Regio Parisiensi instituta.

Digiti

TAB. XIII. ad A: 1682. pag. 262.

Phænomenum Aëreum.

Anno 1682. die 10 April. vesp. hor. 6. 40.

GEDANI

observ. à

IOH. HEVELIO.

Monstrum Vitulino-humanum.

fig. 2.

fig. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

		H. /. //
Digiti	Principium.	1. 58. 30.
Eclipſ.	Umbræ appulſus ad *Grimaldum.*	2. 1. 30.
D /. //.	Ad *Tychonem.*	2. 8. 0.
	Ad centrum Lunæ.	2. 37. 30.
	Ad medium *Copernici.*	2. 39. 30.
	Ad *Ariſtarchum.*	2. 40. 0
8. 16. 0.	Ad medium *Manilii.*	2. 54. 30.
	Ad *Plinium.*	3. 1. 0.
9. 2. 0.	Ad inferiorem partem *Maris Caſpii.*	3. 7. 30.
9. 31. 20.	Ad ſuperius latus *Maris Caſpii.*	3. 18. 30.
10. 1. 0.	Maxima obſcuratio.	3. 35. 45.
	Reditus Umbræ.	
4. 46. 0.	Ad *Ariſtarchum.*	3. 47. 0.
	Ad Centrum Lunæ.	4. 29. 0.
	Ad *Tychonem.*	4. 41. 30.
	Finis Eclipſeos.	5. 13. 0.
	Tota Duratio.	3. 14. 30.

Nota: Hora 5. 13 min. 56 ſec. apparens Altitudo ſuperioris limbi Solaris erat 17 min. 10 ſec. & Lunæ 1 gr. 11 min. 30 ſec.

EADEM ECLIPSIS

Tempora per Horologi. Oſcillat.			*Tempora inde per Obſer. correct.*			*Obſervata Greenovici,* Aug. *18 poſt med. noct. ſeq. A.* 1681 *a* Jo. Flamſteed.
d.	H.	/. //	H.	/. //		
18.	13.	05. 00.	13.	00. 00.		Lunæ Diameter 6191. 30 53″.
		46. 30.		41. 30.		Penumbra Notabilis.
		53. 40.		48. 40.		Penumbra Denſa.
		55. 40.		50. 40.		Initium.
		58. 00.		53. 00.		Umbra ad Montem Climacem.
	14.	03. 20.		58. 20.		Sinus Sirbonis incipit.
		5. 50.	14.	00. 50.		Mareotis incipit.
		7. 30.		2. 30.		Mons Cataractes incipit.

Tempora

	Tempora per Horologi. Oscillat.	*Tempora inde per Obser. correct.*	
d	h. 14. / //	h. 14. / //	
18	8. 16.	3. 16.	Mareotis tota tecta.
	10. 50.	5. 50.	Sina incipit.
	12. 56.	7. 56.	Sina tota tecta.
	18. 00.	13. 00.	Audus.
	27. 24.	22. 24.	Circinna.
	31. 00.	26. 00.	——— Abulfeda Ricciolo.
	32. 30.	27. 30.	Pentadactylus incipit.
	33. 32.	28. 32.	Ætnæ limbus primus.
	34. 26.	29. 26.	Pentadactylus totus.
	35. 06.	30. 06.	Ætnæ medium.
	36. 00.	31. 00.	Ætna tota tecta.
	40. 00.	35. 00.	Umbra per Med. Porphyriten.
	44. 50.	39. 50.	Hiera Insula & Ficaria simul ad Umbram.
	46. 10.	41. 10.	Umbra ad Horminium.
	50. 10.	45. 10.	Mons Hercules incipit.
	51. 10.	46. 10.	Mons Hercules intra.
	52. 10.	47. 10.	Umbra per Med. Besbici.
	54. 09.	49. 09.	per Med. Insulæ Majoris.
	55. 30.	50. 30.	per Med. Byzantium.
	57. 40.	52. 40.	per Med. Insulæ Cyaneæ. (metis,
	15. 01. 50.	56. 50.	ad Limbum primum Corocondo-
	4. 30.	59. 30.	ad Limbum primum Mæotidis.
	13. 09.	15. 08.	Macra incipit obscurari: dub.
	14. 00.	9. 00.	Mæotis tota tecta.
	19. 12.	14. 12.	Partes lucidæ residuæ erant 1092.5'.27". tunc Lunam densæ nubes excepere, sub quibus latuit usque ad ejus Occasum.

Eandem Eclipsin Gedani ab illustri Hevelio observatam Calendis Jan. p. 28. sqq. exhibuimus,

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DC LXXXII.

MISCELLANEORUM HISTORICORUM

Regni Bohemiæ Decadis I. LIBER II. qvi de Bohemiæ Populo, & veteribus ac novis Incolis solidè & nervosè disputat, &c. Autore BOHUSLAO BALBINO, *è Societate Jesu.*

Pragæ M. DC. LXXX.

nec non

Ejusdem Decadis LIBER III. qvi fines & terminos totius Bohemiæ, tum ipsorum Districtuum figuras, Arces, oppida, & urbes complectitur, &c. Autore Eodem.

Ibid. M.DC.LXXXI. in fol.

UT Primo Libro hujus Operis expositа, è qvibus nonnulla proximis Calendis delibavimus, contemplationi rerum naturalium maximè inserviunt: ita dissimulandum non est, iis qvæ hoc SECUNDO libro de variis variarum gentium migrationibus adducuntur, Historiam antiqviorem, non Romanam modò, sed Germanicam qvoqve, Gallicam, imò Græcam, & Anglicam non parum illustrari. *Act. pag. 241. seqq.*

Nam initia Gentis suæ prima proditurus Autor, per distinctas Incolarum classes procedit, in qvarum unâ Bojos, mediâ cum Hermunduris Marcomannos, & ultimâ Czechos videtur collocasse. Primam qvod concernit, ipsius *Bohemiæ* nomen docet à *Bojis* esse natum, Galliæ Celticæ populis, sed tum non minus ac Gallia tota (præter Romanorum Colonias diu post deductas) Teutonico veteri sermone utentibus; & *Boybeim* nihil Germano sonare aliud, qvàm qvod *Bojorum patria* Latino. Inde qvæ ad antiqvissimæ Gentis gloriam pertinent, persequitur. Nempe 1) audaciorem & ferociorem ex Bojis Hercynienſibus ſobolem unà cum Trocmis ac Tectoſagis è Bojo-

hemo exiisse, & Pannonia primum, deinde Thracia, Græciâ percursis & pervastatis, Asiam ingressos, deniqve in Æolide & Jonia, plurimis cladibus illatis & acceptis consedisse, ibidemqve Gallogræcorum gentes fundasse. 2) Cimbros, gentem Romanis formidatam ante, qvàm aggredi Romanos statuissent, Hercyniam silvam, sedesqve in eâ Bojorum ad habitandum intrasse, sed rejectos fortiter, alias qvæsisse terras; qvod præsium uberius expositum habes Libro seqventi. 3) Heduis, vel Æduis adversus Jul. Cæsarem auxilio venisse Bojos, & hac è gente ortum posteà Borbonios traxisse. 4) Bojos ex Bohemia Bojoariis, seu Bajoariis & Bavaris dedisse originem, eosqve Veterum Bojohemorum qvandam esse coloniam: id qvod *Velseri*, *Brunneri*, *Adelzreutteri*, & *Cluverii* autoritate ita firmat, ut novum simul errorem Scriptoris, Svevos cum Hermunduris confundentis, evellat.

c. 21. §. 1. f. 241.

Ad *secundam* delatus Classem, Bojos à *Marcomannis*, duce Maroboduo, ex vetustâ Sveviæ nobilitate orto & Romæ educato sub Augusto, Bohemiâ ostendit esse pulsos: &, ubi de Marobodui hujus Regiâ in Hercynia silvâ, de Marcomannorum post Ducis sui ad Romanos fugam gestis præcipuis & cladibus, qvâve ratione eorundem reliqviæ per Attilæ regnum deletæ fuerint, disseruisset; Marcomannos non Slavicam (ut in *Speculo Moraviæ* voluit *Paprocius*) sed Svevicam eoqve Germanicam fuisse gentem, ex *Strabone*, *Tacito*, *Eutropio*, *Ptolemæo* ejusqve Commentatoribus; ex *Velsero*, *Cluverio*, *Cromero*, *Gollasio*, *Curæo*, *Dalecampio*, *Vobburgio*, & *Dresslero* nostro planum facit, iis, qvæ regeruntur à parte adversâ, rejectis & solutis.

Postrema classis incolas contemplaturus, initio majores suos, Slavicæ gentis originem inde à Babelicâ turri deducentes, adversus Æneam Silvium defendit, cum qvòd Slavica lingva omnino primigenia, & inter duas illas & septuaginta Orbis universi lingvas habeatur, tum qvòd idem fecisse probro non vertatur Nationibus cæteris. Deinde Slavicorum populorum, qvales *Bulgari*, *Sorabi*, *Roxolani*, *Mossi*, & *Venedi* fuêre, primas sedes explicat, eosqve ex Sarmatia Asiatica & Europæa in Europam interiorem ascendisse: Venedos præcipuè tribus immigrationibus, qvarum maxima circa Attilæ tempora acciderit, in Germaniam interiorem penetrasse. Hinc de Czechi & Lechi, Slavorum Principum, in Bohemiam adventu agit, &, refutatâ *Petri Codicilli* sententiâ, de Aureolo Tyranno à Czecho & Lecho apud Illyrios

Digitized by Google

rios interfecto, magnum adducit Autorum cumulum, de ætate Czechi, qvove tempore in Bohemiam is advenerit, ſtatuentium. Qvo etiam loco obſervat, grande neceſſariò meritum in gentes Slavicas (qvæ poſtea per Bohemiam, Poloniam, torqve latè provincias ſeſe effuderunt) fratrum Czechi & Lechi extitiſſe, propterea qvod abolito ſeu Vendorum, ſeu Sarmatarum, ſeu Slavorum, aut alio qvocunqve nomine, Czechitas aut Lechitas appellari ſe voluerint; illudqve amori ipſorum Ducum, mitiſſimè ſumma populi voluntate regnantium, aut qvod commodè ingentia auxilia adverſus vicinos Germanos genti ſuæ attulerint, aut qvod lectiſſimâ nobilitate ſtipati advenerint, & Bohemiam atqve Poloniam generoſa iſtâ ſobole impleverint, aut qvod Patriam ab hoſtibus purgarint, aliove nomine bene mereri de patria ſtuduerint, datum fuiſſe exiſtimat.

Reliqva pars Libri, 1) *ἀνατκευὴν* ſive confutationem eorum, à qvibus diverſum ſentit Autor; Novitii maximè Scriptoris, qvi geſta Wandalorum adſcripſerat Czechorum genti, Czechitas ſtatuens ortos à Wandalis, & *Vandalo Bohemos* nominans; qviqve Venetias à Wandalis conditas fuiſſe, Vindelicos à Wandalis prodiiſſe, & alia id genus paradoxa aſſeruerat; 2) *ἀνακεφαλαίωσιν*, & ſummam eorum, de qvibus diſputatum hucusqve fuit, articulis diſtinctis octo comprehenſam: 3) Diſſertationem, Autoris hiſtoriæ parallelam, de Originibus Boëmorum ſeu Czechorum, *ab Andrea Stredonio S. J.* conſignatam, & à Dn. Balbino nuper repertam complectitur.

TERTIUS Miſcellaneorum Liber Topographicus atq; Chorographicus inſcribitur, &, totam argumenti, in qvo verſatur, vim ſi ſpectes, ſex potiſſimum partes continet. *Prima* Bohemiæ *fines* cùm ſeptentrionales, tùm Auſtrales, & Occidentales determinat, deciſâ prius (ex aliorum ſententiâ potiùs, qvàm propriâ) qvæſtione, An Bohemia Germaniæ & Imperii Germanici Provincia & pars ſit, & num ad Impeperium Germanicum referatur? Ac ne qvis priſtinos fines confundat cum hodiernis, Miſniæ & Luſatiæ partem aliqvam docet olim in Bohemia fuiſſe cenſam: nominatim Zittaviam & Gorlicium: Bohemiæ fines ultra Comitatum Glacenſem uſqve Wartam, & Camentium qvondam extenſos: item procul in Auſtriam, & in Palatinatum uſqve Noribergam, & in Bavariam: Marchiam verò Brandenburgicam nunqvam fuiſſe Bohemiæ partem, licet eandem qvandoqve Reges Bohe-

Digitized by Google

miæ, aut eorum regiæ familia, vel donationis, vel oppignorationis, vel emtionis titulo tenuerint.

Secundam argumenti partem conſtituunt *Bohemiæ Regiones*, ſeu, ut nunc vocant, *Diſtrictus* qvatuordecim numero, præter Comitatum Glacenſem, Territorium Egrenſe, & territorium Cubitenſe; nec non *Urbes*, *Oppida*, & *Arces*. *Diſtrictus* ita percurrit, ut fines ſingulorum deſcribat, urbes eorum præcipuas, Civitates, & oppida nominet (memorabilia qvæ in iſtis ſunt, alteri reſervat loco), ſuam cuiqve figuram aſſignet, memoranda in provinciis, qvave commendari dote mereantur, magnâ diligentiâ exponat. Ad Bohemiæ coronam verò cum Glacenſis qvoqve Comitatus pertineat, peculiaris de eo tractatio nunc ſubjungitur; qvâ, præter judicium de *Georgio Æluro* dicti Comitatus Hiſtorico, prolixiùs de Glacii fundatore, titulo Urbis Imperialis, (qvem ei ex Diplomate qvodam Henrici I. Aucupis tribuerat Ælurus; ſed ſubreptitium & confictum illud ipſum eſſe, ſignis non obſcuris Balbinus evincit) Dominis; de Comitatus hujus clypeo, terminis, hominum copiâ (qvos inter oppidanos Levinenſes adeò tornandi artificio teſtatur excellere, ut uno in ceraſi nucleo duodecim duodenas cochlearium ſpectandas exhibere, & uni pixideculæ apis magnitudine 24. cochlearia elegantiſſimo artificio diſtincta includere valeant) Nobilitate, religione, Capitaneis, & Præpoſitis Cœnobii S. Mariæ in monte Glacenſi, diſſeritur: Accedit præterea ſuccincta deſcriptio Sileſiæ, non minus hodie ad Coronam Bohemiæ ſpectantis, cum cenſura de Sileſiæ Hiſtoricis *Curæo*, *Schickfuſio*, *Polio*, & *Henelio* Sileſiographiâ qvondam edirâ, & Breslographiâ claro.

Jam velut ex peregrinatione Glacenſi & Sileſiticâ in Bohemiam reverſum, de *Urbium* & Oppidorum calamitatibus, qvantamve popu-li Bohemici ſtragem proxima bella ediderint, conqverentem videas, adeò, ut, ſtatus priſtini & hodierni contentione, nec non locorum, & facultatum ex tabulis publicis & indicibus inductione factâ, hodie ſeſe nec umbram qvidem Veteris Bohemiæ tenere fateatur. Ab Urbibus progreditur ad *Arces*, & earum multitudinem in Veteri Bohemiâ ex *indiculo Wenceslai Hageci* partim, partim ex indiculo proprio fic recenſet, ut diſtrictum & diſtantiam ab urbe Praga ſingulis apponat. Arcium tamen nimiâ etiam multitudine (Rudolphinis adhuc temporibus toto regno centum viginti qvatuor munitas habuerunt), & qvod

nonnullæ

Digitized by Google

nonnullæ earum à latronibus insiderentur, offensum olim Carolum IV. scripto exercitu, qvasdam obsessas tradit occupasse, prædonum duces in crucem egisse, Arces dejecisse. Tum de qvæstione, utrum expediat, qvamplurimis arcibus, aut contra nullis, vel paucis tantum, Patriam communire? qvid sentiat, aperit. Tandem & Castrum S. Wenceslai, seu Arcem Regiam Pragensem, qvæ arcium omnium per Bohemiam principatum obtinere fertur, cum partibus suis, qvales sunt: Basilica Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ, cùm intrinsecus, tùm afforis plurima memoratu dignissima curiosis oculis ostendens, Habitatio Regia, Regii horti, & hos inter erecta Domus, qvam Mathematicam appellant, Regis Wladislai Palatium, & alia pro cujusqve dignitate describit.

Ad *tertiam* partem *Operis publica* retulit, Pontes, Basilicas & Templa celebriora, Palatia, Cœnobia, ædificationes sumtuosas, verbo: qvicqvid memorabile Bohemorum telluri inhæret arte & labore hominum perfectum. Non postremum inter ea locum habent: Pons Pragensis super flumen Muldavam stratus ex qvadrato saxo, & 18. fornicibus constans, vel hoc nomine cum Londinensi ripas Tamisis jungente comparandus: Templum S. Barbaræ Kuttenbergæ, qvod unâ & septuaginta columnis sustinetur, ut ejus ichnographia docet, peculiari tabula expressa: Turris in memorato ponte, qvâ ex veteri in minorem Pragam iter est, conspicua, qvæ una ab hostibus Svecis Antiqvam & Novam Pragam servasse perhibetur: Turres aqvariæ Pragenses, è qvibus aqva ingenti artificio, certis in altum canalibus elata, rursus in canales alios refusa, ac ponderibus depressa, per omnia urbium fora, compita, & domos dispensatur: Ambitus in Monasterio Aulæregienfi, in cujus olim lateribus Vetus Novumqve Testamentum ab initio Geneseos ad Apocalypsin Joannis literis majusculis in tabulis scriptum continebatur, notis qvò altius irent, paulatim crescentibus, ita ut à summo usqve deorsum facilis lectio præberetur, ut Æneas Silvius autor est. Subterraneus meatus seu cuniculus Pragâ usqve ad Pagum in Arcis Regiæ Pragensis conspectu Bubenecz excisus: Horologium Curiæ Antiqvæ Urbis Pragensis, non aliqvam modo diei aut noctis horam, sed diem qvoqve, mensem, annum, Solis & Lunæ ortus, siderum omnium cursus, signa Zodiaci, Lunæ ætatem, aureum numerum, Cyclos, qvodqve mireris, Festa per annum præci-

pua indicans; unde & dignum habitum Autori, qvod cum singulis partibus hoc loco & historicè, & mechanicè describeret, deqvè cujus præstantia & arcanis tractatum *Joannis Taborsky* Mathematici summatim insereret: Machina deniqve supra argenti fodinas Przibramenses posita, qvæ aqvam fodinas mergentem & omnino mersuram, rivuli cujusdam beneficio, die noctеqve nunqvam interruptè extrahit ab imo, exantlat, aliumve in locum effundit: delineatam cum partibus suis habes fol. 165.

Quartâ libri parte, Subterraneorum operum, qvæ paulo ante adduxerat, occasione de variis agit Thesauris in Bohemiæ solo hinc inde reconditis, expressis Civitatum qvarundam & Arcium, in qvibus latere credantur, nominibus, caussisqve ejus rei non improbabilibus allatis; pro thesauro tamen carbones inventos aliqvando fuisse, proprio suo comprobat exemplo. Inde & Spectrorum, v.g. Albarum Dominarum, in ditionibus Rosenbergicorum & Novodomensium Procerum, & alibi non rarò apparentium; Bohemorum Veterum arteMagicâ insignium; hominum è sepulchro vel ex mediâ morte surgentium (ubi & cultri à Bohemo devorati Rusticô, & incisione extracti, figura sistitur), Præsagiorum item atqve præstigiarum aliqvot exempla, ut alia de veterum Bohemorum habitu, cultu corporis, lingvæqve conservandæ studio jam omittamus, proferuntur.

Qvintum membrum enumerat nobis Prælia, in Bohemicâ tellure (nam qvæ à Bohemis gesta fuerunt alibi, Autor jam non persequitur), commissa qvamplurima. Tametsi enim in Chorographicâ Bohemiæ tabula, sub titulo, *Rosa Bohemiæ omnibus seculis cruenta*, à se olim edita, octoginta solum præliorum mentionem fecerat; nunc tamen esse adhuc ostendit longè plura; nec tantùm catalogum centum & septuaginta septem præliorum recensет, sed in causſas inqvirit qvoqve, unde tanta bellorum seges in hoc regno florentissimo provenerit.

Postremâ parte Apologia pro gente Bohemicâ continetur adversus *Melchiorem Goldastum*, & *Petrum Ribaldum Peruanum*; qvo ficto sub nomine *Michaëlem Pieczek*, civem Novæ Pragæ Satyricum latere, indicio nobis est Balbinus. Neqve satis is esse arbitratur, Goldasti asserta de Regni Bohemiæ juribus refellisse, nisi & injuriis objectis aliorum Clarorum Virorum: Georgii Fabricii, Marqvardi Freheri, Gaſparis

Digitized by Google

iparis Dornavii, Antonii Bonfinii, Hieronymi Balbi, Pii II. &c. præclara de vetere Bohemia teſtimonia & encomia reponat.

Cæterum *Mantiſſæ*, & *Additamentorum* titulis qvæ duobus hiſce libris, poſt cujusqve indicem, reperiuntur annexa, ad Librum I. Miſcellaneorum ſpectant. Siqvidem non alia, qvàm qvæ de rebus Naturalibus Bohemiæ ſuggeſta Dn. Autori ab Amicis Virisqve doctis fuerunt, iis ipſis referuntur; niſi qvod circa Additamentorum finem occurrant & Paralipomena qvædam ad aliqvot capita Libri Tertii.

Daniel Georg Morhofen Unterricht von der Teutſchen Sprache und Poeſie/ deren Urſprung/ Fortgang und Lehr-Sätzen. Worbey auch von der reimenden Poeterey der Ausländer mit mehrern gehandelt wird. Kiel. 1682. in 8.

DANIELIS GEORGII MORHOFII Diſqviſitiones de Germanorum lingvâ & poeſi, earumqve ortu, progreſſu & legibus. Ubi ſimul de aliarum gentium rythmicâ poeſi diſſeritur. Kilonii 1682.

CUm de Latinorum lingvâ & poeſi multi commentarios ſcripſerint, poeſin etiam Germanicam qvidam in artem redegerint ac certis legibus adſtrinxerint, deqve lingvâ Germanorum diverſorum Autorum extent monumenta: nullum tamen præſtantiori ingenio, ac majori eruditionis rariorisqve doctrinæ copiâ conditum fuit hoc opuſculo: qvod vernaculo idiomate ſcriptum Germanicis ſuis Poematibus in unum collectis faſcem, & Kilonii hoc anno editis, præmiſit doctiſſimus Morhofius, Latinorum etiam Græcorumqve carminum venuſtate nulli Poetarum ſecundus. Ac majus qvidem & juſtum Opus *Originum Germanicarum*, in qvibus lingvæ & verborum Germanorum origines fusè & explicatiùs ſit deducturus, ſe moliri; *artem* etiam *Poeticam Germanorum* peculiari Opere Latino ſe traditurum in Præfatione indicat: qvorum Operum liber hic ſpecimen velut ſit, unde præguſtum capere liceat.

In tres iſtum diviſit partes; qvarum *prima* de Germanorum lingvâ, *altera* de eorum poeſi & poetis, *tertia* de arte poeticâ eorundem

agit.

Digitized by Google

agit. In *primâ* antiqvitatem & excellentiam lingvæ Germanicæ oſtenſurus, eam ſi non Hebraicâ, Græcâ tamen & Latinâ antiqviorem eſſe, & has iſti originem debere, tum in peculiari Diſſertatione, qvam *de novitate Græcæ & Latinæ lingvæ* editurus ſit, ſe oſtenſurum promittit; tum hoc ipſo in loco probat ex eo, qvòd Græci & Latini philoſophiam & lingvam, vehiculum ſcientiarum, à Barbaris acceperint: Barbarorum autem nomine Scythas ac Celtas veniſſe ſeu Gallos, qvorum lingva vetus cum Germanicâ eadem ſit; qvod ex plurimis verbis, qvæ utriqve genti communia, ſolâ dialecto diſcrepant, oſtendi poſſit, & qvibusdam exemplis ipſe docet. Cumqve vetus Germanorum lingva ad complura Aſiæ loca, inqve ipſam Perſiam antiqviſſimis temporibus penetrârit (docente id infinitâ vocum copiâ utriqve lingvæ communium, verbis item ſimiliter terminatis eodemqve modo compoſitis, qvod obſervarunt Lipſius, Salmaſius, Bochartus, Mylius, Burtonus, Piccartus & Jo. Gravius): in Ægypto etiam, Arabiâ, & ipſâ Americâ qvarundam vocum à Germanis acceptarum & ab his eò derivatarum veſtigia deprehendantur: probabile omninò eſſe, Germanorum lingvam ætate illas poſteriores antecellere; Græcâ qvidem & Latinâ vetuſtiorem eſſe, ab eo demum rectè intelligi qvi veteres Græcorum & Latinorum voces è Fragmentis & Gloſſariis depromtas cum priſcis Gothicis, Runicis, Anglo-Saxonicis, Cimbricis, Francicis & Hiſpanicis vocabulis contulerit, nec hodiernarum per univerſam Germaniam receptarum dialectorum fuerit imperitus. Eum enim deprehenſurum, plurimas Græcarum Latinarumqve dictionum radices in veteri Saxonum, Weſtphalicâ, Cimbricâ, Pomeranâ, Megapolitanâ, Belgicâ, Danicâ, Norvagicâ, Svecicâ, & cumprimis veteri Gothicâ lingvâ latere. Has autem acceptas fuiſſe è Græcis & Romanis, non ſolùm Dionyſii Halicarnaſſenſis teſtimonio adverſari, qvi ſub finem Lib I. Romanos lingvam ſibi adſumſiſſe ait, qvæ nec tota Græca, nec tota Barbara, ex ambabus verò commixta ſit: ſed è veteribus qvoqve Latinorum vocabulis in Oſcâ, Volſcâ & Tuſcâ lingvâ uſurpatis contrarium apparere, qvæ qvò vetuſtiora, eò Germanicæ lingvæ ſint propiora. Varroni & Feſto nullam in Originibus lingvæ Latinæ habendam eſſe fidem, qvippe qvi ſæpe fallantur, communi vitio plerorumqve, qvi in gentis ſuæ lingvâ tradendâ turpiter labuntur. Statuit ergo cum Salmaſio & Boxhornio, fontem genuinum Europæarum lingvarum veterem Scytharum

Digitized by Google

Scytharum lingvam esse, è qvâ primigeniâ Germanica Gothicaqve sint ortæ, qvibus Græca & Latina originem debeant. Qvo simplicior enim & rudior lingva sit, eò antiqviorem esse; expolitam contrà & omnibus numeris absolutam notæ recentioris habendam. Monosyllabas etiam vel paucarum syllabarum voces antiqvitatem lingvæ & velut radices prodere; recentiorem putandam eam, qvæ vocabulis polysyllabis abundat, adjectâ flexione & terminatione commodâ abblandiente auribus, numerumqve & rythmum orationi conciliante. Germanica autem & Scythica cum simplex ac rudis, & omnis elegantiæ ac dignitatis expers sit; Latina & Græca contrà politiorum ac elaboratarum speciem præ se ferant, polysyllabis insuper abundent, in iisqve una vox interdum ad sex vel septem excreverit syllabas, & longi syrmatis appositione sibi aliqvam acqvisiverit majestatem, facilè cuivis constare, utra harum habenda sit antiqvior. Derivationes autem Latinarum, Græcarum, aliarumqve lingvarum è Germanicâ veteri Gothicâqve, in literarum mutatione consistere, qvæ vel additione, vel detractione, vel transpositione, vel permutatione instituta sit. Additionem vel in initio vocabuli per prosthesin, vel in medio per epenthesin, vel in fine per paragogen; Detractionem æqvè vel in initio per aphæresin, vel in medio per ecthlipsin, vel in fine per apocopen fuisse factam. Qvorum modorum complura exempla affert, & peculiari capite vocum, qvibus partes corporis humani & brutorum apud Latinos & Græcos signantur, è Germanicâ lingvâ derivatarum rationem ostendit.

In *altera* parte Poeseos Germanorum originem & progressum exponit, præmissâ tractatione de aliarum gentium poesi rythmicâ; ut cognoscatur, utrum hæ Germanis fortè priores poesin excoluerint, ceu nonnullæ gloriantur, utrum istis inventionis versuum rythmicorum gloria tribuenda sit. Ac in primo capite de *Gallorum* agit poesi, tum priscâ, qvam Poetæ Aqvitani & Provinciales, ut Eustachius, Arnaldus Daniel, & complures alii excoluere, qvos Jo. Nostradamus & Claud. Fauchetus peculiaribus libris, Verderius item in Bibl. Gall. recensuerint: tum recentiori, qvam à Clemente Marotto conditam plures, qvos nominat, excoluerint: tum hodiernâ, qvam ad summam gloriam evexerint præstanti ingenio ac eleganti eruditione conspicui viri, Franc. Malherba, Theophilus, Victurius, Scuderius, Regnerius,

Rablaisius, Sorbierius, Menagius, Capellanus, Pere le Moine, Godeau, Saint Aymant, Desmarests, Les fargve, Corneille, Moliere, & alii, qvi videri possunt enumerati in Sorelli Bibl. Gall. & Colleteti de Vitis Poëtarum Opere, qvod laudat Menagius Observ. ad Malherb. pag. 429. Secundum caput *Italorum* poesin à Gallis ortam & per certas velut ætates distinctam recensét: qvarum prima à Dante, Petrarchâ, & Boccatio ad florem perducta sit; adultior Bembum, Casam, Tassum, Colonnam, Sarrochiam, Sannazarium, Ariostum, Cagnolum, Burghesium, Gvarinum, Marinum, Chiabreram, Pretum, Testum; ultima plures recentiores tulerit, de qvorum poematibus disseritur. Tertium caput de *Hispanorum* poesi ejusqve vitiis & autoribus haud vulgaria tradit; laudemqve huic genti adimit inventionis fabularum amatoriarum, Romans sive Romanzi dictarum, qvam Casp. Barthius & Th. Spratt ipsis tribuerat. Poetæ autem istius gentis recensentur: Diego Ximenes, Qvevedo, Gongora, Erzilla, Camoens, Silveira, Cervantes, Argensola, Lope de Vega, qvi mille octingentas comœdias scripserit, Garsias Lasu de la Vega, & Alph. de Ledesma. Qvartum caput *Anglorum* poesin & poetas enarrat: ac veterem qvidem Anglo-Saxonum lingvam & poesin æqvè ac populum ipsum Germaniæ ortum debere, vetustissima autem apud eos carmina esse Ælfredi Regis, & Aldhelmi; à qvibusdam Richardi qvoqve Backeri & Godfridi Chauceri poemata laudari tradit: Recentes poetas Abr. Cowley, John Donne, Cleveland, Edm. Waller, John Denham, Georg Herbert, Baconem Verulamium, Shakespeare, Fletcher, Beaumont, Ben. Johnson, Suckling, & Jo. Miltonum nominat de iisqve disserit. In qvinto capite de *Belgarum* lingvâ, qvæ cum Germanicâ veteri fermè eadem, ab hac certè orta est, & Poesi in isthac gente usitatâ agit. Veteres autem poetæ (ut Anonymus ille, qvi Chronicon Belgicum rythmicum scripsit, à Jac. Eyndio in Zeeland. Chron. sæpiùs allegatus, & à Dusâ editus) cum rudiores & absqve omni arte fuerint, seculi hujus poetas cultissimos extitisse, Jan. Douzam, Dan. Heinsium, Jac. Catsium, Const. Hugenium. Laudat hujus gentis ab hac ætate plures: Joost van Vondel, Jan de Voss, (qvi cum vitriarius esset & egregia poemata conderet, in suspitionem incurrit apud plerosqve ac si Barlæus sub ipsius nomine ea scripserit) Hooftius, Henr. Westerbaen, Henr. Brunoos, Jo. Adolph. Dans, Matth. van Meervvede, Jann van der Veen, Decker, Bodicher Banning,

Dan.

Dan. Ionctys, Anna Maria Schurmans, Anna Teſſelſcha, & complures poetæ alii, qvorum ingenii monumenta ne intereant, peculiaribus Voluminibus v.g. de Zeeuſche Nachtegael, Klioos Kraam, Apollos Harp, collecta extant. Poſtqvam hæc ita de lingva & poeſi exterarum gentium expoſuiſſet, ad *Germanos* eorumqve poeſin ſe convertit, deqve eâ tractationem capite ſexto & ſeqq. ſuſcipit. In tres autem ætates eam diſpeſcit, in primam & remotiſſimam, mediam, & hodiernam. Qvarum prima è carminibus Veterum Germanorum, qvorum Tacitus meminit, cujus verba minus commodè ad Sveonum vetuſta poemata trahantur à Rudbekio, noſcenda ſit: media à Caroli M. temporibus repetenda, qvi & ipſe cum filio Ludovico poeſin excoluiſſe carminaqve compoſuiſſe perhibetur, & ab aliis condita collegit: qvem deinde ſecuti ſunt Otfridus, Willramus, Weinsbeck & alii, qvos nominat Goldaſtus in Not. ad Paræn. & qvorum multos ſe editurum promiſit Lambecius Syntagmate Rerum Germanicarum, cui immortuus eſt. Ad hanc ætatem referenda iſtorum etiam canticorum origo, qvæ magiſtrorum (Meiſter-Geſänge) vocantur, & alia ludicra æqvè ac ſacra rythmica ſcripta Germanica, Hugonis von Trymberg, Freydanck, Seb. Brant, Melch. Pfinzing, Burch. Waldis, aliorumqve, qvorum Agricola in Præfat. Prov. Germ. nomina recitat, libellus item, qvi inſcriptus eſt Reinicke Voß (de cujus Autore & interpretibus diſſeritur) & Rollenhagii Froſchmeußler. Tandem huc referenda ait Hans Sachſens ſutoris prius inde ludimagiſtri Noribergenſis poemata, qvorum ſe ultra ſex millia condidiſſe ipſe profiteatur. De Septentrionalium poeſi peculiari capite octavo diſſerit. Ultimæ ſeu hodiernæ poeſeos ortum ad Martini Opitii tempora referendum eſſe, ſub qvæ gloria Germanicorum carminum inſtaurata ſit, & cultiſſima ea prodierint, autoribus Flemmingo, Werdero, Tſcherningo, Colero, Gryphio, Hoffmanno, Caſparo, Riſtio, Dachio, Rolingio, Franco, Harsdorffero, Clajo, Schirmero, Betulio, Weisſio aliisqve; fœmineum qvoqve ſexum huic ſe applicuiſſe ſtudio aliqvot exemplis, qvæ inter illuſtre Henriettæ Catharinæ Gersdorffiæ natæ Friſiæ decus effulgeat, capite nono tradit.

Tertiâ parte de poetica Germanorum arte, ejusqve modis & generibus fusè tractat: ac primò lingvam Germanorum neqvaqvam barbaram eſſe, ſed excultam inqve artem redactam & certis adſtrictam regulis oſtendit, eoqve in loco de Grammaticis ſuper hac arte editis libellis,

bellis, dialectis item, orthographia, etymologia, & ſyntaxi linguæ hujus haud proletaria affert: deinde ad proſodiam delatus, copioſiùs eam exeqvitur, de accentu & qvantitate ſyllabarum numeroqve poetico accuratè diſſerens, rythmicam autem poeſin adverſus Iſaaci Voſſii, Rolandi Mareſii, & Sluſirobjectiones & criminationes defendens, ejusqve præſtantiam, antiqvitatem, ſvavitatem, utilitatemqve commendans: majoribus qvidem difficultatibus & anguſtiis metrorum, qvæ Latina & Græca poemata ſervant expoſitas eſſe leges oſtendens. Hinc de origine poeſeos rythmicæ apud Latinos æqvè ac Germanos & alias gentes, tam ejus qvæ ὁμοιοτελεύτοις verſuûſyllabis conſtat, qvàm qvæ pari numero pedum & metro gaudet nõ habitâ ſyllabarum qvantitate, diſſerit: ubi de verſibus leoninis eorumqve autoribus & generibus, aliisqve eundem in ſonum deſinentibus carminibus, & rythmi qvalitatibus, haud alibi obvia in medium affert. Genera Carminum apud Germanos vel *pedum*, vel *ſtropharum & rythmorum*, vel *materiæ* ratione varia eſſe affirmat. Pro *pedum* diverſitate in Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapæſticum, Alcaicum, Anacreonticum, & tot genera mixta ſeu compoſita ea abire, qvot apud Latinos recepta ſunt, ait: pro *ſtropharum* inæqvalitate in Alexandrinum, Elegiacum, Sapphicum, Odas Pindaricas, Eccho, Sonnettas, Rondeaux, Madrigales, Stances, dividi: pro *materiæ ſeu objecti* varietate & inventionis (qvam latiùs exeqvitur & peculiari ſe executurum Opere promittit) ratione diſtinctâ, in Heroica ſive epica carmina, (qvo loco de ſic dictis Romans ſeu fictis heroicis libris eorumqve origine & utilitate diſqvirit) Odas, Eclogas, Dramata, Satyras, & Epigrammata diſpeſci docet, & de qvovis horum carminum genere, qvid in eo obſervandum ſit ut ad dignitatem perveniat, qvi præſtantiſſimi Autores ejus extiterint, qvæ Opera conſiderint, qvæ perierint, qvæ materiæ cuivis generi conveniant, qvæ figuræ ea exorneni, aliaqve tradit qvæ cognoſcere utile non minus qvàm jucundum fuerit.

Sub finem libri cujusvis generis carminum pro diverſitate metri & ſtropharum diſtinctorum exempla affert, ab *Henrico Schavio* compoſita, priores ſeptendecim Horatii Libri I. Carminum Odas germanicè exhibentia: qvibus tres ſuorum *Germanicorum Poematum* partes, gratulatoria, lugubria, ſacra, profana complexas, ſubjicit, non habito ordine ætatis temporisve qvo condita, aut argumenti qvod tractant:

nempe

nempe non venustate solùm, qvam eximiam planè habent, dum nativam elegantiam minùs affectatam anxieqve qvæsitam præ se ferunt, sed varietate simul Lectorum animos demulsurus.

Eclipsis Lunæ Greenovici propè Londinum observata, die 11. Februarii Anno 1682. à Johanne Flamsteedio Math. Regio.

d.	*Tempora Vera* h.	′	″	Confer pag. Actorum 109. 114.	′	″
11.	8.	1.	00	Lunæ Diameter ter observ.	6702 =	33. 25.
		48.	38	- Fumus in inferiore parte, nudis oculis.		
					0.	″
		53.	07	Limbus Lunæ remotus à Regulo -	8.	5.20
		55.	07	- - - - - - repet.	8.	6.20
	9.	2.	34	Limbus Lunæ remot. à lucid. in Lumbis Leonis	14.	58.15
		4.	18	- - - - - - repet.	14.	57.55
		8.	42	Limb. Lunæ remot. à Regulo repet. -	8.	12.50
	9.	4.	08	Umbrago.		
		11.	44	Densa Penumbra.		
		12.	32	*Initium.*		
		14.	02	Medium Paludis Mæotidis.		
		18.	10	*Sexta Pars Peripheriæ* obscurata.		
		20.	10	Circinna intra Umbram.		
		21.	32	Limbus primus Montis Cataractes, vel Gassendi *Ricciolo.*		
		27.	58	Oculus Draconis.		
		28.	22	Legebat Limbos primos Cretæ & Ætnæ.		
		29.	48	Ætna totus tectus, Initium Insulæ Hieræ.		
		33.	46	Initium Corsicæ.		
		36.	38	Sinæ Mons incipit.		
		37.	32	Sinæ medium.		
		38.	04	Totus Sina tectus.		
		38.	48	Centrum Lunæ, sive digiti VI.		
		39.	58	Incipit Lacus Niger Major.		
		43.	42	per medium Besbici.		
		46.	58	Initium Byzantii.		
		47.	22	Incipit Horminius.		

Tempora vera h.	p.	m.	
9.	47.	50	- - Carpathes.
	48.	30	- - Serrorum mons.
	50.	24	- - Apollonia, *Ricciolo* Plinius.
	52.	44	- - Macra.
	54.	26	- - Mons Hercules.
	59.	10	- - Corocondometis, *Ricciolo* Palus Somni.
10.	0.	38	Tota Palus tecta.
	2.	20	Incipit Mæotis.
	5.	14	Umbra per medium Insulæ Majoris.
	6.	54	Totaferè Mæotis tecta.
	7.	28	*Sexta pars Peripheriæ* iterum.
	10.	14	*Immersio.*

				0.	I	II
	19.	21	Lunæ limbus proximus à Regulo	8.	13.	30
11.	38.	6	Lunæ limbus rem. à Regulo repet.	9.	23.	50
	41.	48	- - - - - - iterum	9.	25.	35

11-	47.	38	Emersio.
	50.	2	*Sexta pars peripheriæ* illuminata, cum Limbo primo Mareotidis.
11.	50.	42	Medium Mareotidis.
	51.	6	Tota Mareotis liberata.
	52.	50	Umbra per medium Porphiritidis.
	53.	34	Totus Porphirites.
	58-	18	Circinna tota.
12.	1-	0	Cataractes Sirbonis totus, vel Gassendus.
	3.	20	Ætna incipit.
	5.	18	Ætna totus retectus.
	7.	34	Creta.
	13.	38	Sina incipit.
	14.	28	Sinæ medium.
	15.	34	Sina totus.
	17.	34	Medium Besbici.
	18.	28	*Centrum Lunæ*, sive VI digiti retecti.
	20.	50	Byzantium extra.

By-

Tempora vera h.	p.	m.	
11.	24.	24	Insula Apollonia tecta.
	31.	38	Medium Corocondometidis.
	33.	18	Mæotis incipit illustrari.
	39.	06	*Sextæ pars Peripheriæ* adhuc defecit.
	42.	18	Insula Major Caspiæ tota.
	45.	10	Dubius Exitus.
	45.	38	Certus Finis.
			Ante Initium Eclipsis observavimus distantiam Limbi proximi Mareotidis à Limbo Lunæ proximo 145 = 0-43′ ½, & à Limbo remoto Lunæ Maculæ ejusdem Limbi - 6575 = 3′2. 48″.
			0 - / - //
12.	52.	0	Limbus Lunæ remotus à Regulo. 9.58.20
	55.	10	- - - - - - repet. 10. 0.10

ANDREÆ ABBATIS BAMBERGENSIS de vita S. OTTONIS Libri Quatuor, nunc primùm ex Membranis Benedicto Camminensis Ecclesiæ Pontifici inscriptis editi à Valerio Jaschio Pomerano, SS. Theol. Lic.

Colbergæ 1681. in 4.

S. Otto, natione Svevus, ex inclytâ Andechsiorum stirpe Comes, primùm Judithæ, qvæ Henrici IV. Imp. germana soror fuit & Boleslao Polonorum Duci nupsit, Capellanus, postea Canonicus Ratisbonensis, tum Henrici IV. Cancellarius, & tandem Ecclesiæ Bambergensis Episcopus & Pomeranæ Gentis Apostolus, liberalitate, frugalitate, fundatis, instauratis, & amplificatis plurimis templis & monasteriis, nec non visionum & miraculorum famâ clarus, & à Clemente III. in Divorum numerum relatus, Historicis duodecimi, qvo vixit, & seqventium seculorum, Helmoldo, Cranzio, Alberto Stadensi, Gobelino Perso-

Personæ, Conrado Urspergensi, Nauclero, Paulo Langio, Trithemio & aliis haud ignotus est. Nec defuerunt, qvi ejus vitam ex institutô enarrarent. Extant enim Anonymi Scriptoris, qvi Ottonis in convertendâ Pomeranorum gente comes ac socius fuit, libri tres de vitâ Ottonis, qvorum Autorem D. Cramerus & alii Siffridum Ottonis Scribam fuisse existimant. Certè Siffridum hunc Ottonis vitam & res gestas literis tradidisse testis est Andreas Monasterii S. Michaelis prope Bambergam Abbas, qvi se qvatuor suos de S. Ottone libros ex Siffrido, & Tiemone, qvem qvinqvennem Ottonis minulum fuisse memorat, & Ebbone, qvi ex ore Udalrici Sacerdotis Ottonis vitam excepisse perhibetur, & Herbordô Scholastico, qvi & dramaticô carmine & solutâ oratione Ottonis vitam persecutus est, consarcinâsse haud dissimulat. Et hos Andreæ Bambergensis de vitâ Ottonis libros primus in Divis suis Bambergensibus Jacobus Gretserus publicavit, & cum Anonymo illo Scriptore, prout apud Canisium T. II. Antiqv. Lect. legitur, studiosè in margine contulit, qvos postea ex Gretserô etiam Surius inter probatas Sanctorum vitas ad d. 2. Julii collocavit. Verùm cum L. Valerius Jaschius Consistorii Elect. in Pomer. Assessor, Ecclesiastes Marianus & Colleg. Schol. Colbergensis Rector, qvi aliqvot abhinc annis Vitam Ottonis ab Anonymo descriptam in compendium redegit, à M. Friderico Cramero Pastore Stetinensi antiqvius & sincerius Andreæ MSC. nactus esset, ut suum de patriâ bene merendi studium omnibus probaret, ex Membranis hactenus ineditis describi illud procuravit, & qvantum partim cum Anonymô, partim cum Andreâ Gretserianô conveniret, aut qvantum ab iisdem discreparet, diligenter annotavit, & appendice trium Diplomatum, nec nô observationibus qvibusdam & duplici indice, uno rerum, altero vocum barbararum & barbarè scriptarum illustratum, in lucem publicam emisit. Ad calcem observationum subjecta est digressio ad digressionis Gretserianæ caput præcipuum de fide ac doctrinâ S. Ottonis, qvam Autor Apostolicam, sed nævis illorum temporum aspersam, fuisse breviter monet.

RESPONSIO VALEDICTORIA AD SECUNdam Sandii Epistolam, in vindiciis Nucleisui Historiæ Ecclesiasticæ conscriptam, una cum Appendice de Cingallo. Per Samuelem Gardinerum S. T. D. Londini, 1681. in 8.

Ut

UT hæresin diu orco damnatam revocaret, incautosqve falleret *Christophorus Sandius*, anno M DC LXXVI *Nucleum* (ut ipse vocat,) *Historiæ Ecclesiasticæ*, Coloniæ (hunc enim locum frons libri inscriptum habet) publicavit. In qvo, per omnia inde à Christo nato secula, magno molimine probare nititur, Arii dogma de Christo, fidei Catholicæ contrarium, in Ecclesia semper obtinuisse. Ab hac igitur blasphemi dogmatis infamia ut Patres Ante-Nicænos liberaret Vir eruditissimus *D. Samuel Gardinerus, S. Theol. Prof. & Regiæ Majestati Britannicæ à Sacris*, ὑποτυπώσεως, sive *Catholicæ circa SS. Trinitatem fidei delineationi, ex scriptis Patrum Ante-Nicænorum desumtæ*, anno insequenti annexuit *Responsionem brevem*, qvâ laudatos modò Patres contra ἐγκλήματα Sandii defendit. Qvo facto, anno statim proximo M DC LXXVIII, Sandius *Appendici addendorum, confirmandorum & emendandorum, ad Nucleum suum*, ut vocavit, *Historiæ Ecclesiasticæ* editæ, subjunxit tres epistolas, qvarum *prima* ipsius est ad D. Gardinerum apologetica; *Secunda* D. Gardineri ad Sandium, in eadem caussa Patrum qvi ante Concilium Nicænum vixerant; *Tertia* iterum Sandii est, qva contra Gardinerum θέσιν, in gratiam Arianorum semel assumtam, pergit διαφυλάττειν. Sed hanc ultimam dicti Neo-Ariani epistolam in nominata suprà *Valedictoria Responsione* refutat Gardinerus, ostendens Patres Ante-Nicænos dogmati Ariano minimè faviisse. Sub calcem Responsionis *Cingallum* (sub qvô nomine Sandium latere arguit,) tangit, qvi Goudæ anno M DC LXXVIII vulgaverat libellum, cui titulus: *Scriptura S. Trinitatis Revelatrix*; in qvo, ut laudatus Gardinerus observat, ipse multos Scripturæ locos, qvi SS. Trinitatis ὁμοουσίαν, coæternitatem & coæqvalitatem validissimè probant, unius vel alterius, recentis nonnunqvam interpretis autoritate nixus enervat, & dum contra Socinianos animosè disputare videtur, Arianorum argumentis prolixè satis propositis, brevissimè, qvasi aliud agens, & negligentiùs satisfacit. Id qvod Theologus magni nominis, *D. Abraham Calovius* etiam in peculiari Dissertatione, Wittebergæ anno 1680. *de Scripturâ sacrâ veteris Testamenti S. S. Trinitatis revelatrici* propositâ, & eidem *Cingallo* oppositâ, accuratè & ex professo demonstravit.

JOH. ADAMI OSIANDRI, SS. THEOLOG. D. Cancellarii Universitatis & Præpositi Ecclesiæ Tubingensis, Theologia Casualis, in qva qvæstiones dubiæ & casus conscientiæ circa credenda & agenda enucleantur. Pars sexta & ultima. *Tubingæ Anno 1682. in 4.*

COnscientiæ casus, seu varia qvæ in credendis agendisve, vel intellectum, vel voluntatem remorantur, & conscientiam perplexam reddunt, dubia extricare qvantum interfit, cum celeberrimi nominis Theologus intelligeret, in id incubuit, ut post varia Theologiæ Exegeticæ, Didacticæ, Polemicæ, Homileticæ, & Moralis specimina, hanc etiam partem, qvæ in religionis articulis & variis hominum actionibus hæsitantibus conscientiis consulit, peculiari Theologiæ Casualis systemate illustriorem redderet. In qvo de conscientiâ ejusqve normâ, scrutinio, & cura qvatuor capitibus præfatus, ad speciales casus Theoreticos pariter & Practicos se accingit, eosqve subjunctis rationum fundamentis, & remotis objectionum obstaculis, decidit. Divisum est integrum opus in sex partes, qvarum ultima hoc ipso anno publicata eas qvæstiones enodat, qvæ de pace religionis, de simonia, de scandalo, de correptione delinqventium, de eleemosynis, & de Novissimis hominum moveri solent. Nunc ejusdem Autoris in scribendis edendisqve libris indefessi Commentarium in libros Samuelis & qvatuor Evangelia, nec non Canones Apostolorum illustratos, Relationem omnium Conciliorum, Reflexiones Theologicas in Cartesianissimum, & alia promissa monumenta expectamus.

RELATIO DIVERSORUM EXPERIMENTORUM factorum cum Phosphoro, tam liqvido, qvàm solido, à D. Fried. Slare, Reg. Soc. & Colleg. Med. Socio.

Excerpta ex Collectionibus Philosophicis Anglicis, no. 3. A. 1681. 10. Decembr. p. 48.

EXperimentorum præteritâ æstate coram Regiâ Societate exhibitorum qvædam cum Phosphoro liqvido, qvædam cum solido erant peracta, qvos inter qvoad materiam nulla est differentia, cum utrqve ex substantiis seu materiis ab humano corpore desumtis præpare-

paretur. Phosphorus ita paratus, in solidâ qvidem formâ, facilè urere valet corpus: at liqvori permistus, & ita liqvidum constituens, non urit; adeò ut fœminæ etiam manus nullâ ustione lædantur, imò ne calefiant qvidem, etiamsi eas eodem abluerit. Experimentum hujus proximâ septimanâ plurium in præsentiâ factum, dum persona qvædam erudita, cùm eodem & manus & faciem lavâsset, tantam lucem faciei suæ conciliavit, ut ejusdem coruscante splendore tres aut qvatuor aliæ personæ, haud adeò procul distantes, illustratæ ex facie cognosci potuerint: simulac verò candela conclavi illata fuit, splendor omnis disparuit, nec indicium ullius alterationis in eorundem cute deprehendi potuit. Qvòd si exactè inclusus conservetur hic Phosphorus, non adeò diu lucet: qvendam tamen observare contigit, 6. vel 7. successivis vicibus qvasi coruscantem, in vitro etiam exactè clauso; unde hic idem videtur cum Phosphoro fulgurante D. Elsholtzii, cum coruscationes ejus ad fulguris similitudinem propius accedant.

Alter solidus Phosphorus haud differt materialiter à fluido, cum maximam partem ex urinâ elaboratus sit; persvasum tamen omnino habeo, qvòd pariter & ex sangvine præparari qveat, si æqvè facilè illius ac urinæ copia obtineri posset, cùm urina nonnisi serum sit sangvinis, per renes transcolatum. Sub præparatione ejus, non solùm secundum communem analysin, phlegma, spiritus, sal volatile, sulphur vel oleum, sed & alia extraordinaria Phænomena se nobis exhibent, anteqvam singulare hoc productum prodeat. Phosphorus hic æqvè perspicuus reddi potest, ac qvodvis resinosum corpus, & ut instar ceræ in aqvâ calidâ liqvescat. Frigidus perqvam tenax est, & instar Lunæ Corneæ scissilis, vel potiùs hac adhuc durior: aqvâ coopertus lucere desinit, sin verò qvædam ejus portio in aerem emergat, lucebit, etiam in vitro hermeticè sigillato.

In amplo vitro asservatus, sine aqva, continuè ad aliqvot dies lucem sparsit, cum parvâ aut nullâ vel lucis vel ponderis diminutione.

Qvasdam solidi hujus Phosphori portiones aliis longè vividiores & inflammabiliores deprehendi. Præteritâ æstate, cùm experimenta qvædam circa hunc Phosphorum instituteremus, qvivis sine damno ullo tractare illum poterat, at qvædam tamen particulæ vix calidæ manus contactum, qvin ignem conciperent, sustinebant. Plurí-

bus contigit hoc infortunii, qvorum curiositas meis eum extorserat manibus, dum credere haud poterant, qvòd corpus adeò frigidum, sponte suâ in ignem tantopere urentem transire posset. Experimenti gratia, in præsentia Nobilis, particulam hujus lucidæ substantiæ, duarum circiter drachmarum, seponebam, & tamen ignem concipiebat, absente etiam qvavis candelâ, nobisqve omnibus notabili intervallo ab eadem distantibus, & instar fascis lignorum deflagrabat, adurebatqve mappam & mensam, cui imposita erat.

Cum Phosphoro non adeò igneo aut vivido scribebam vocabula pro lubitu in loco illuminato, & in loco tenebroso radiantes & lectu facilimi exhibebantur characteres, qvasi essent verba radio qvodam lucis scripta; idqve durabat ita ad notabile tempus. Qvod si literæ hæ igni admoveantur, donec incalescant, nigrescunt subitò, eumq; colorem tamdiu retinent, qvamdiu aliàs bonum solet atramentum.

Perqvam diffusiva est lux: nam supra centum characteres cum penicillo hoc illustri delineavi, & neqve 20mam ejus partem absumtam observavi. Similiter dimidium ejus granum, appetente nocte, manui meæ inducebam, qvæ exinde tota qvasi inaurata, & per integram noctem lucida reddebatur: appetente enim mane talem illam deprehendebam. Diffusiva ejus qvalitas ex eo porrò confirmatur, qvòd granum unum exactissimè ponderatum, in aëre libero per 7, l. 8. dies continuè lucidam flammulam sparsit, adeò ut cùm interdiu fenestras meas, qva spectant austrum, clauderem, continuò videre liceret sphæram igneam, qvæ attentiùs observata, flammulam candidam in aërem ambientem diffundebat, qvod largior portio longè notabilius præstat. Consumebantur ita omnia, non relictis cineribus aliisve recrementis, præter paucam humiditatem saporis subacidi. Majorem verò ejus portionem ita deflagrare cùm permisissem, copiosiorem humiditatem, saporis instar debilioris spiritus sulphuris per campanam acqvirebam. Id qvod mihi in mentem revocat, plures meorum amicorum, visoho experimento, fumos istos vocasse sulphureos; ac sanè in omnibus suis proprietatibus potiùs ad sulphurem, qvàm salina concreta referendus videtur, tam ratione suæ inflammabilitatis, qvàm ratione solubilitatis in aqva.

Qvantum ad Medicum usum conferre qveat nobile hoc subjectum; tempus docebit, nec Vos morabor circa ea, qvæ de hoc dicere possim.

possim. Hoc pro certo scio, qvòd eruditus *Willisius*, (modò adhuc viveret) cum gaudio visurus sit tale productum nostri corporis, qvi confidenter admodum præsupponebat aliqvid igneum, aut flammeum, aut igni saltem analogum, à qvo incendatur & imprægnetur sangvis. Nec improbat talem hypothesin eruditus *Lovverus*, licet sangvinis incensionem in pulmonibus potiùs, qvàm corde fieri statuat. Qvibus aliis Naturæ Phænomenis explicandis inserviat, paulò specialiùs scire velim, qvò & pertinet observatio Erudit. *D. Croon*, qvi suum corpus indusio recenti & calefacto fricando, utrumqve lucere facit: ut & ista Nobilis Bristoliensis, qvi unà cum filio mihi retulit, qvòd tibialia sua, post diuturnam deambulationem, freqventiùs luceant.

CONTINUATIO PRÆDICTORUM EXPERIMENTORUM, ejusdem Autoris, ex Collectionibus Philosophicis Anglicis, no. 4. A. 1681. 10. Jan. p. 48. excerpta.

TEntaturus vim elasticam substantiæ hujus luciferæ, ad inflammationem redactæ, seqvens instituebam experimentum. Portionem ejus includebam exiguæ vitreæ phialæ, nucis myristicæ magnitudinis, (igne lampadis ad insignem tenuitatem redactæ, ut eò promptiùs ab elasticitate substantiæ in flammam expansæ affici posset;) hanc sigillatam hermeticè, qvò nec aër nec aliud qvid citra illius fracturam posset erumpere, admovebam calori ignis, & juxta expectationem meam subitò materiam contentam incendi flammæ sub forma observabam; & ita flammas emittere, ac integram qvasi vitri capacitatem replere continuabat per breve temporis spatium, à qvo extincta videbatur, citra vitri vel fracturam vel rupturam.

Pro cognoscendo meliùs residuo illo, in qvod resolvitur materia adeò flammans, tale tentabam experimentum. Præparabam aliam parvam phialam, cum tubo nonnihil largiori in summitate aperto, ut hic fumarii loco igni in globo inferiori esse posset. Admovendo ergo materiam calori, eam, ut supra, inflammabam, & deprehendebam tam fumarium, qvàm superiorem globi partem obductam sulphure flavescente, qvod utut ita sublimatum, haud tamen spoliatum erat proprietate sua lucente, qvin ad levem incalescentiam tota phiala splen-

deret & lucceret. Ut experirer modum, qvo in aëre aperto deflagraret, incendebam portionem ejus, admovendo illam tantùm calori ignis; & deprehendebam, qvòd instar frustuli Nitri combureretur, sed sine explosione, celerrimè tantùm deflagrando.

Observavi ulteriùs, qvòd relinqvat materiam rubram tenuem, dum extingvitur, qvæ non absimilis est ceræ rubræ, & adeò percipitur acida, ut dentes stupefaciat, ferrumqve dissolvat.

Majus frustulum, exactè ponderatum, aëri ita expositum, diutius lucebat, anteqvam splendor planè extingveretur: examinati postmodum liqvoris, in qvem abierat, qvantitate, non absqve consternatione triplum ad minimum prioris ponderis reperiebam, qvi nonnullis eum gustantibus spiritus sulphuris, aliis spiritus salis videbatur.

Tentabam experimentum Domini Præsidis, applicando qvoddam ellychnium, an ita flamma ejus, ac lumen concentrari meliùs, & dirigi in certum objectum, mediante tali qvadam Phosphori vel solidi vel fluidi applicatione, qveat: nec tamen hactenus conveniente m perficiendi illud modum reperire licuit. Simul enim atqve solidus in ignem actualem incenditur, subitò seipsum ac ellychnium consumit: fluidus verò nullo modo incendi potest, etiamsi actualiter calefactus; & ita non poteram flammulam sursum in ellychnium adigere, nec vivida satis est lux ejus, pro singulari qvodam usu; licet ejus consistentiam liqvidam solidâ utiliorem existimem, pro subministrandâ luce. Cùm enim partem vitri sphærici amplioris, §. 1, 6. unciarum circiter Diametri, fluido Phosphoro implevissem, deprehendebam integram vitri cavitatem supra liqvorem ita radiis luminosis repletam, ut promptè majorem characterem juxta illos legere possem.

Cum universaliter jam concedatur, ignem & flammam pabulum suum ex Aere capere, lubido incessit, examinandi subjectum hoc in vacuo. Pro qvo scopo, considerabilem massulam ejus ponebam subter vitrum, qvod affigebam Machinæ Aeri exhauriendo dicatæ, & remotis candelis, exactè observabam, qvo luminis gradu luceret. Hinc subitò embolum suctorium machinæ (ad Papinii modum elaboratæ) agitabam, ac deprehendebam, qvòd lucida magis redderetur, cùm tamen carbo probè ignitus, ad primum suctum penitus extingveretur: post tertium & qvartum suctum, qvi bene exhauriebant vitrum, multùm augmentabat suum lumen, & ita auctâ splendebat luce, donec obser-

obſervando delaſſatus, aërem readmitterem, & phoſphorum ad priſtinum langvidum luminis gradum redire obſervarem.

Cùm tentarem per follium flatum ad incenſionem illum perducere, putabam penitus me illum extinxiſſe, adeò diu mortuus qvaſi jacebat, anteqvam lucis qvippiam appareret.

Omnes liqvores apti nati ſunt ad extingvendam lucem hanc, ſi ſubjectum illis immergatur: nec lucebit, nec inflammabitur, etiamſi in liqvoribus maximè inflammabilibus e. g. oleo olivarum, ſpiritu therebinthinæ, vel ipſo etiam ſpiritu vini, ebullire illud permiſeris.

OBSERVATIO MEDICA RARA, IN Apertione cadaveris cujusdam Epileptici, à Dn. Jac. Sponio, Medicinæ Doctore, ac Collegio Lugdunenſi in Galliâ aggregato communicata.

DOminus de L. - - - Lugdunenſis annos 42. natus vitam cauſariam jam ab annis duodecim agens, ultimoqvetribus abhinc annis inſultibus Epilepticis freqventiſſimè correptus, ſimul hydrope pectoris, qvo remediorum ope liberatus erat, tandem menſe Julio hujus anni 1682. ab hora 6. matur. ad meridianam uſqve, qvinqve aut ſex vicibus vehementiùs ſolito concuſſus eſt, ἀφῶν per illas ſex horas & apoplecticus, ultimo inſultui non reſiſtens fato ceſſit. Aperto cadavere præſentibus Medicis, chirurgoqve ſubſignatis, hæc obſervata fuerunt.

1. Abdomen, hepar, lien, inteſtina inſolitæ magnitudinis, ut edacibus, qvalis erat, eſſe ſoleat.

2. Stomachi conſtitutio ſatis naturalis.

3. Pulmones tumefacti, coloris obſcuri ac ferè lividi: qvod affecti ab hydrope pulmonis reſiduum erat.

4. Cerebri lateralis pars dextra inflammata.

5. In ventriculis cerebri ſangvinis coagulati copia: ruptura ſcilicet vaſorum ſangvineorum à motibus convulſivis procuratâ, qvæ apoplexiam & mortem intulit.

6. Pars major ramorum Jugularium internarum indurata & obſtructa humore glutinoſo exſiccato: hinc inde, forte in valvulis, corporibus qvaſi glanduloſis venas magis attollentibus.

Hinc

Hinc ex ultima hac obſervatione, qvæ oppidò rara eſt, concludere licet, circulationem ſangvinis hac in parte impeditam, regurgitaſſe in cerebrum ſangvinem & lympham, qvæ inſultus illos Epilepticos pariebant: qvi qvidem inſultus primo anno, ubi vaſa leniter obſtructa erant, leves fuerunt, ut ſenſibus non privaretur æger, ſenſimqve fortiùs obſtructis, graviores etiam fuerunt. Qvæ qvidem Epilepſiæ cauſa, etſi non unica, freqventiſſima tamen videtur eſſe, cùm pueris & pituitoſis, ut ait Hippocrates, & confirmat experientia, ſæpius qvàm aliis accidat. At ii glutinoſis humoribus abundant, has obſtructiones accerſentibus. Cæterùm divino Hippocrati non incognita cauſa hæc fuit: cùm ait libro de flatibus *Epilepſiam* fieri, *cùm obſtructiones multæ multis modis circa venas contingunt, & ſangvinis motus prohibetur: atqve hîc qvidem ſiſtitur, ibi tardius permeat, alibi autem citiùs*: ex qva *ſangvinis per corpus tranſitus inæqvalitate, variæ etiam inæqvalitates contingunt.*

Subſignati.

Andreas Falconet Exconſul & Decanus Collegii Medicorum Lugd.
Antonius Marqvis Aggregatus eidem Collegio.
Chataigner Chirurgus, qvi penes ſe habet venas illas è cadavere exemptas.

ABREGE DES OBSERVATIONS ET des reflexions ſur la Comete 1680. & 1681, preſenté au Roy par Mr. Caſſini. à Paris 1681 in 4.

Epitome obſervationum & conſiderationum ſuper Cometa 1680. & 1681. Regi exhibita.
Pariſiis 1681. in 4.

IN iſthac Synopſi conſtitutum eſt *Clariſſimo Authori*, juxta hypotheſin æternitatis Cometarum oſtendere, Cometam hunc eundem cenſeri poſſe, qvi anno ſeculi lapſi 77mo fulſit. Recenſitis autem breviter, qvæ circa phænomena præſentis notari in hanc rem merentur, & inſtitutâ inter utrumqve comparatione, peculiari Theoriâ, prolixo Schemate exhibitâ, ſententiam ſuam exponit & firmat, Cometæqve hujus phænomena ad cauſas ſuas ſtrictim revocat.

Atqve

Atqve ut tantò magis ſua ſibi conſtet Hypotheſis, Cometam à præcedente menſis Novembris diſtingvit: qvòd diverſus iis fuerit curſus, orbitæqve plus triginta gradibus ab invicem declinantes; Hoc in Auſtrum, poſt ſectam in Libræ Eclipticam; Illo, per Sagittarium, in Boream deflectente; Exemplo hucusqve non obvio, ut idem Cometa, locis adeò vicinis Eclipticam bis interſecuiſſet: qvòd motu prioris, uſqve ad occaſum heliacum, continuè decreſcente, poſterior ab ortu heliaco motum intenderit; viciſſitudine hactenus in nullo Cometarum obſervatâ: qvòd juxta Theoriam ſuam, æqvalem utriqve motum tribuentem, primus ſuum ſuper circumferentiâ, cujus centrum in Ariete, conficiat, centro alterius in Leone conſtituto; ipſoqve tum in Sagittario ſub Sole abſcondito, cum prior in Virgine comparere inciperet.

E phænomenis Cometæ præcipuè notat: I. binam Ejus cum Sole conjunctionem: primam d. Nov. 26, alteram d. 19 Januarii; illic Solis, hic Cometæ motu citatiore: utramqve intra ſpatium unius Signi, rariſſimo exemplo, contingentem. II. æqvalitatem motûs Cometici & Solaris prope conjunctionem ferme eclipticam: iis qvi ex effluviis Solaribus Cometas produci aſſerunt, patrocinantem. III. motûs, magnitudinis apparentis & longitudinis Caudæ continuum augmentum, ad uſqve d. 4 Januarii, Cometâ tum ad Perigeum devoluto; ſingulorum abhinc continuum ad diſparitionem uſqve d. circiter 20 Martii decrementum: claritate Luminis juxta rationem elongationis à Sole indies imminutâ. IV. Caudam, ab oppoſito Solis verſus occidentem, plagamqve motui ſuo proprio adverſam, à primâ apparitione magis indies magisqve, tanqvam ab altero latere premeretur, incurvatam.

Attendendo verò, cui forte, è prægreſſis olim Cometis, proximi qvadrarent: tres nuperos, annorum 1665, 1672, 1677, cum ultraseculari anni 1577 ita conſpiraſſe comperit, tanqvam tractus, ab Hoc olim cœptus, per eas conſtellationes, qvæ Eidem adhuc percurrendæ erant, Illis continuandus fuiſſet: differentiâ non majori, ac Planetæ ad eadem loca, circulo exacto, revolvuntur.

Hunc Cometæ anni 1577 tractum, tantopere Cometis freqventatum, & ea propter *Zodiacum Cometarum* Autori dictum, ut primùm Cometam poſterum tenere deprehendit, deinceps ſervaturum non temere Regi Galliarum prædixit; eventu utiqve non abnuente: cùm eadem utriqve via per Arcum Sagittarii, Genu Manumqve orientalem Antinoi, Os Eqvulei, & Pectus Pegaſi, fuerit.

Disparem porrò Cometæ anno 1577 & 1681, per eadem Signa, motûs celeritatem, Perigeo mobili (qvippe anno 1577 in Sagittario, anno 1681 in Aqvario constituto) tribuit: unde Idem, anno 1577 à Perigeo demum suo è radiis Solaribus se explicans, motu continuè, ut magnitudine apparenti, decreverit; anno 1680 verò rediens, & ad Perigeum compluſculis diebus tendens, longiorem viam in conſpectu noſtro, intenſiori motu, per Andromedam ſc. Piſcem Borealem, Triangulum, pedem meridionalem Perſei, ſupraqve caput Tauri, fuerit emenſus.

Utcunqve autem in iisdem ſignis diverſus olim atqve nunc motus iſte fuerit, parem tamen illi utrinqve rationem celeritatis per dies 68 continuos, illic à 13 Nov. 1577; hic à 9 Jan. 1681, qvantacunqve parte temporis hujus utrobiqve comparatâ, conſtitiſſe, conformitate non minori atqve in Planetis ſolet, ſuſtinet: ita ut differentia hinc inde paucorum minutorum, longè minor ſit eâ, qvam diverſa à Sole diſtantia (æqvalis illi, qvæ eodem comparationis momento, Cometæ anno 1577 & 1681 fuit) in Planetarum revolutionibus cauſatur. Ex qvâ deniqve ſimilitudine, qvæ unicè argumentum præbeat, cur v. c. Mercurius, olim hodieqve revertens, unus idemqve Planeta debeat cenſeri; Utrumqve pro eodem, qvi exactis, ſive unâ, ſ. pluribus revolutionibus reverſus ſit, agnoſci poſſe; ad minimum ſibi ſufficere pronunciat, in utroqve adnotaſſe, qvod uni minimè irregularium Planetarum, nunqvam duobus diverſis, ſuetum ſit contingere.

Diſtantiam Cometæ à Terrâ, *Autor* vario experimento, Lunari longè majorem evidenter deduxiſſe contentus eſt: cui in majus ſemper, indice continuo magnitudinis apparentis decremento, auctæ non ſolùm, ſed & debilitati luminis, Cometæ diſparitionem tribuit; cùm Ipſe nudis oculis jam inviſus, tubis adhuc Jove major, & inſtar nubeculæ ſubalbidæ, compareret, demumqve poſt 18 Martii, aëre à Lunâ, Jove & Venere nimis illuſtrato, penitus evaneſceret.

Caudam, qvam Cometis accidentalem cum comâ facit, ſive ſubtilis capitis exhalatio ſit, conditione talium exhalationum; ſive materia, lumen per ætherem diſpanſum frangere, perqve Athmoſphæram Cometæ reflectere apta, ceſſare, & ex intervallo redire poſſe ſtatuit.

Adornandæ ſuæ Hypotheſi duo ſupponit: 1. Poſſe Cometam per plures revolutiones viſui noſtro abſcondi. Idqve mirum non videri debere,

bere, exemplo Mercurii, pluribus revolutionibus inconſpicui : Fixæ in collo Ceti, per ſeptem octove menſes latentis ; diutius etiam, ſi ſolitæ apparitionis tempus incidat prope conjunctionem ejus cum Sole : Satellitis tertii Saturnini, ab ipſomet *Autore* anno 1672 detecti ; per qvamqve ſuam revolutionem 80 dierum, integro menſe inviſibilis. II. Cometas veroſimiliter non magis ordinato ſimpliciqve motu incedere, qvàm Planetas ; qvi ſcilicet ad eundem Zodiaci locum inæqvalibus temporibus revertantur.

Hæc tamen conditio nihil confert repræſentando reditui Cometæ anni 1577 ad annum 1681, obſervationibus utrobiqve habitis conformi : qvippe qvem *Autor* per æqvalem motum exhibet beneficio Theoriæ, circuli Terræ eccentrici, Lunæ orbem involventis. Juxta hanc, diſtantia Cometæ à centro ſuo undecupla ſeſqviqvarta eſt diſtantiæ ejus minimæ à Terrâ : ſecundùm qvam rationem motum diurnum Cometæ ex centro proprio ſpectatum, ad motum apparentem in Perigeo 4 gr. 30 min. determinat 24 min. 5 ſecund. 14 tert ; apparente motu à Perigeo, juxta rationem augmenti diſtantiæ à Terrâ, & radii viſivi, ad circuli Cometici circumferentiam obliqvati, dietim eo modo decreſcente, qvô, cum anno 1577, tum nuper anno 1681 obſervatus eſt : exceptâ pauxillâ variatione latitudinis, tum maximè ſenſibili, cùm nudis ampliùs oculis Cometa non cerneretur. Perigeum verò, anno 1577 in 14 gr. Sagittarii conſtitutum, *Autor* 6 ſec. 30 tert. ſecundùm ; Nodumqve Boreum tum in ejusdem ſigni gr. 20, 25 ſec contra ſeriem ſignorum dietim promovet : Latitudine anno 1577 maximâ 29 gr. 15 min., qvæ anno 1681 fuerat 28 gr. 20 min.

Ex hâc deniqve æqvalitate motûs, nullam, à variatâ diſtantiâ à Sole, variationem paſsâ, inqve aliis etiam Cometis, hâc methodo examinandis, obviâ, minimè neceſſarium judicat, vel cum *Tychone* ad compoſitum, ex Cometæ proprio & Solis ; vel cum *Dn. Hevelio* ad Telluris motum confugere : indicium verò ſumi poſſe, Eos non circa Solem, lege cæterorum Planetarum, qvorum motus, pro ſuâ ab illo diſtantiâ, intendatur remittaturve, moveri ; cùm trium menſium intervallo viciſſitudinem inde ſenſui perceptibilem nuperus non ſit paſſus : Eosdem adeò ſpeciem Planetarum peculiarem, qvorum motus à diverſo, ac reliqvorum, pendeat principio, conſtituere.

DE COMETARUM NATURA ET ORTU epistolica Dissertatio, ad Clarissimum Abbatem Franciscum Nazarium, Autore Dominico Gulielmino, M. D. Bononiensi.

Bononiæ M DC LXXXI, in fol.

ET huic scripto occasionem Cometa Anni, qvo editum est, dedit: in qvo Autor circa hanc materiam ea libanda sibi sumsit, qvæ ab hujus Cometæ observationibus, vel confirmata, vel rejecta, vel noviter suppeditata sibi sunt visa. Unde recensitis Philosophorū veterū recentiorumq; cogitatis, plurimis etiam tanqvam minus animo satis facientibus rejectis, ipsum Cometam, ut Capite, Crinibus & Caudâ spectandum se præbuit, describit, & Propositiones ex phænomenis ejusdem probabiliter deductas, Hypothesi suæ, seqventes præstruit: sc. materiam Capitis nó unius conditionis, Capillitii verò Caudæq; eandem naturam: Caudâ, qvomodocunq; tandem, Solari radio deberi: Caput sphæricū, saltim ad sensum, esse: Capillitii & Caudæ materiam esse aliqvaliter diaphanam; nuclei verò probabiliter ex opacâ coagmentatam: materiam deniq; hanc non elementarem, sed cœlestem; ex se qvidem lumine proprio destitutam, nec alienum reflectentem, variationi tamen cuidam obnoxiam, cujus causâ opacitatem apta sit qvandam induere; ad qvod sibi sufficiat concedi diversas, & magnitudinis & figuræ moleculas cœlesti materiæ innatare, ex qvarum unione & forti miscelâ lumini transitus præcludatur.

Facto posthæc ad cogitata sua, qvæ promeris hypotheticis se venditare modestè admodum profitetur, gradu: de Solis vertigine, è Macularum motu compertâ, qvæ circumpositam materiam qvamcunqve, ipsosq; adeò Planetas, secum rapiat; de particulari motu turbinationis, Planetas singulos in oppositam vertigini illi partem trahente, Vorticibusqve Planetarum differens, materiam duorum Vorticum commistam, qvod facile in Synodo Planetarum concipi possit, ob oppositum illorum motum, in tertium abire Vorticem, generationi Cometarum idoneum, posse, Fig. I sic illustrat:

TAB. XIV. Fig. I.

Supponit v.gr. Saturni Vorticem ABCD, Jovis AFCE, ipsis, in eâdem cum Sole lineâ, maximè sibi propinqvis; qvo casu occurrentium Vorticum materia misceatur, & portio utriqve communis fiat ABCF.

Vorticibus enim proprio motu ab Occidente in Orientem, videlicet

Digitized by Google

TAB. XIV. ad A. 1692.
pag 292.





Digitized by Google

Digitized by Google

licet ab A per C in D & denuo in A; & ab E per F in A, & rursus in E, delatis, manifestum esse, partem ABC superioris, & partem AFC inferioris Vorticis oppositò sibi motu occurrere. Quod si jam concipiatur, materiam Vorticis Saturnini penetrare in A Vorticem Jovialem, certum esse, fore, ut ea, nullo obnitente, per circulum ABC procedat: at motu secundi Vorticis ab F versus A impellente, fieri, ut infra lineam ABC per aliam AIK deprimatur, donec in H, quo loco diminuto impetu, quo ad plagam N tendebat (tum quod Vorticis superioris motus sursum vergere incipiat, tum vincente inferioris motu) non amplius in C, sed versus F retrocedat, supra lineam tamen HRI, unitis utriusque Vorticis lationibus ad superiora vergentibus; ideoque per lineam HXS, unde porrò per SVT &c. donec in Y, centro motûs, materia recolligatur: ubi, velut in hypomochlio, æquilibratis utriusque Vorticis momentis minima sit motio, & veluti quies. Quoniam verò hujusmodi Vorticibus proprium sit crassiorem materiam ad centrum detrudere, quod in typhonibus & fluentorum gurgitibus compareat; jam liquere, unde materiæ cœlestis coagmentationem à motu, tanquam efficiente Cometarum causâ, excitatam, petat. Quæ quidem unio, ab impetu Vorticum communicato sustenta, pro hujus conditione, Cometarum corpora jam tamdiu faciat observabilia, quamdiu debita à nobis distantia permittat; jam diffluente, ob motus Vorticis sui debilitatem materiâ, & ipsa soluta, Cometæ diametrum physicè, quod huic ipsi contigisse conjicit, imminuat. Crassiorem porrò materiam, si naturâ suâ opaca sit, nucleum opacum, citra dubium posse constituere; sin minus, particulas ejus, dummodò variæ sint magnitudinis & figuræ, fortuito occursu sibi applicatas, unione sui, inordinatâ concretione, motuque circulari vehementissimo, transitû lumini intercipere; reliquum verò crassioris materiæ prope nucleum fluido innatans ætheri, comam efficere, non omnimodè opacam, sed nec pellucidam usquequaque: ita ut radii illustrantes partim refracti ulterius tendant, partim reflexi ad nos remittantur.

Nucleum verò per opacitatem suam radios Solares terminantem (quod in Cometâ observarit) mirum non esse, nigricantem Caudæ axem, sui sc. Umbram, post se trahere. Ipsi autem Caudæ materiam ex indefinitâ cœlorum capacitate depromit; nullâ ad motum propensione aut resistentiâ præditam, eoque sequentem, quò vicinior rapiat impetus:

atqve ideo ad majorem etiam, ac Cometæ hujus ingens alioqvin cauda exigat, distantiam Vorticis alicujus diametrum posse extendi. Qvomodo verò etiam, citra materiæ reflectentis tam immanè copiam, Caudæ Cometicæ longitudo salvari possit, Fig. II beneficio ita explicat. Sit A Sol, à qvo impetus lucis globulis in ADE existentibus imprimatur, qvorum motus ab A ad D directè progrediens, ad oculum in F situm pervenire neqveat: at occurrente in D corpore DC, aspero & inæqvali (capite Cometæ) evenire fortassis, ut globuli inter D & E motum circularè circa proprium axem (exemplo pilarum lusoriarum reticulo obliincurrentium) concipiant, atqve sic versus F impulsæ, eundem oculo imprimant, ut luminis per D E trajectio eidem appareat; eâ tamen proportione, ut evanescente in partibus E proximioribus vertiginis motu, splendor in E debilior, qvàm in D, percipiatur. *Fig. II.*

Porrò, cum juxta hanc Hypothesin ex Fig. I, Cometarum genesis ad Synodos Planetarum referatur, Autor in suffragium ejus tum Astrologos, tum qvosdam Mathematicos, tum ipsam Historiam Cometarum, anni 1582, 1596, 1618, 1652, 1664 pluriumqve, advocat; non dubitans, ex curiosâ Ephemeridum cœlestium indagine, de antiqvioribus etiam Cometis circa conjunctiones Planetarum exortis, constituturum: rationes etiam subnectendo, cur neqve qvorumvis Planetarum concursibus Cometæ fulserint; alii etiam eos anteverterint, alii insecuti sint; neqve omnes etiam ad hanc causam ipse revocet.

Circa lineam motûs, Autor rectam præfort, qvòd Cometæ à maximæ velocitatis puncto qvadrantem nunqvam excedant: de principio verò motus hujus, ejusqve ratione, Fig. III & IV interprete, sic disserit: Supponantur Vortices A M S, B C N uniti, ex qvorum unione factus fuerit vortex I D H; necesse esse, ut ex mutuo occursu illorum duorum Vorticum materia unius alteri contranitatur, ita ut ex forti compressione materia ab M versus A, & ab N versus B deprimatur, impellente contrarii Vorticis impetu: hinc esse, ut in statu violento detenta, nixum se restituendi ad pristinam expansionem concipiat. Posito jam Vorticem inferiorem à conjunctione defluere, & à superioribus nexibus solvi, ita ut locum muret à B in C, secumqve trahat Vorticem I D H in L E F, ubi primò supponatur ab oppressione superioris Vorticis liberari; ibi, cum materiâ C F, prius arctè compressa, nihil desuper contranitens habeat, nixum suum exerere expansivum, & velut *Fig. III. & IV.*

arcum

arcum ab intenſione laxatum, Vorticem F E L per lineam L G projicere. Poſſe a. dictum Vorticem & aliâ ratione motum concipere, ſi á velociſsimo partium extimarum Vorticis impetu per unam ex illius Tangentibus vibretur. Ex hujus verò lineæ ad axem opticum inclinatione diverſa oriri phænomena: ſi enim Fig. IV ab oculo ad exortum lineæ L ducta linea angulum rectum cum L G efficiat, aut verſus G obtuſum; motum Cometæ initio majorem, ſemper decreſcere viſum iri: ſi verò angulus in L verſus G acutus fuerit, qvantitatem apparentem motûs diurni primò parvam, in dies incrementum ſuſcepturam, uſqve ad Perigeum R, ex qvo perpendicularis cadat in oculum T; unde verſus G progrediendo, à velocitate motus ſenſim remiſſurus ſit Cometa, donec in G ſtationarius evadat.

Locum Cometæ longè ſupra Solem tribuit duobus argumentis. I. qvod neceſſe fuerit, radios Solares aut pone caput Cometæ uniri, deinde ſcoparum in morem diſſolvi; aut incidentes comæ divergere: prius, falſitatis exinde argui, qvod toto apparitionis tempore caudæ laterales extremæ lineæ nunqvam viſæ ſint in duos angulos ad verticē inclinari: poſterius verò contingere non potuiſſe, niſi corpus Cometæ Solari ſat majus fuerit: cùm ergo apparens ejus magnitudo Solari fuerit minor; eandem per majorem diſtantiam debere compenſari, Cometamqve tantò altiùs ſupra Solem evehi. II. qvod Cometæ nucleus, à primâ apparitione uſqve ad finem, circularis figuræ apparuerit, æqvaliter ab omni parte illuminatæ; unde cum opacum eſſe ex projectâ umbrâ probaverit, neceſſe eſſe eundem cæterorum corporum à Sole illuminatorum leges ſecutum fuiſſe: Hinc, cum inferiores Sole Planetæ in ortu & occaſu heliaco falcati; ſuperiores verò qvocunqve cœli loco, & ad Solem reſpectu, diſciformes appareant; Cometa verò horum potius qvàm illorum imitatus ſit phaſes: convenire etiam, ut communi cum his ſede collocetur.

NOVUS COMETA,
à 16. Auguſti, ſt. vet. Anni 1682 Lipſiæ videri cœptus.

ADhuc, dum Virorum Clariſſimorum de nupero Cometâ cogitata Orbi Erudito exponimus, en! novum nobis de cœlo fulgentem: qvi, ut plerosqve hominum nunc in admirationem ſui rapit; ita dubio procul perſpicaciora ad profundam contemplationem excitaturus eſt ingenia. Qvorum præclaris meditatis, ſeu

ſeu Actis, referendis, dum ſe nobis det occaſio, non incongruum interea viſum eſt, qvæ citra Inſtrumentorum debitum apparatum, locoqve ejusmodi Obſervationibus minimè accommodo, notata ſunt, breviter & bonâ fide recenſuiſſe: ex aliorum accuratiori indagine petituris, qvid, qvantumqve noſtræ defuerit.

Poſtqvam de viſo per veſperam, d 16 Aug. noctemqve, novo Cometâ, altero mane rumor increbuit: intentis in Cœlum d. 17 Aug. oculis, à Solis occaſu maturè ſatis fuit deprehenſus: Hora decimâ cum ſtellis Urſæ Majoris Bayerianis (qvas deinceps uſurpabimus) υ & θ; ψ item, & λ rectam conſtituens lineam.

D. 18 Aug. mane H. IIdâ, Cauda Cometæ præter ι & κ ad dextram ſpectatoris tendebatur, duplo, qvod eſt inter has ſtellas, intervallo: θ & 34tâ Urſæ Tab. Rudolfinarum; κ item & 33â Rudolf. cum Cometâ in rectâ conſtitutis. Long. Com. 4½ gr. Leonis; Lat. 24½ gr. Boreâ, utcunqve æſtimatis.

D. 19 Hor. IIIâ, λ & 32da Rudolfinarum; μ item & 34ta Rudolf. in unâ rectâ cum Com. viſæ, indicio erant, Cometam intra diem ſupra 5 gr. in orbitâ propriâ confeciſſe, jamqve in 10½ gr. Leonis, cum Lat 25. gr. verſari.

Veſperi dimidiâ decimâ, rectæ per χ & ψ; item α & λ ductæ ſe mutuò in Cometâ interſecabant.

D. 20 H. IX, λ, μ; δ item & γ cum Cometâ rectam conſtituebant; eo triplo longius à μ, atqve ipſâ ſtellâ μ à λ, diſtante.

D. 21 Horâ IX, Cometes ſui diametro à rectâ per γ & 42dam Rudolf. ductâ verticem verſus declinabat; paulò plus à γ, qvàm γ ab ξ diſtans. Cauda tranſibat per ω, ultra aliqvantum exporrecta, ejusqve extremæ latitudo major erat diametro Lunari. Caput Venerem æqvabat. Long. 29⅓ gr. Leonis; Lat. 26 gr.

D. 22 & 23, qvo poſteriore Soli junctum æſtimavimus, cœlo veſperi nubilo latuit, utriusqve diei mane adhuc, ſed poſtremò viſus.

D. 24 veſperi per dehiſcentes ſubinde nubes viſi locus non potuit notari: niſi qvòd per comam Berenices æſtimatus ſit incedere.

D. 29 cœlo interea nubilo, Horâ IXnâ, verticalis per Arcturum ducta Cometam notabiliter ad dextram relinqvebat; qvi cum δ & lucidâ Jordanis ſupra comam Berenices in unâ recta erat, & ab Arcturo 13½ gr. diſtabat. Ex qvo, aliisq; circumſtantiis Long. conjiciebatur in 14 gr. Libræ, cum lat. 15⅔ gr.

D. 30 eodem tempore, Cometa à verticali per Arcturum pauxillo ad ſiniſtram deviabat: ρ & α Bootis, rectam cum Com. conſtituebant. Ex captis Qvadrante pedali altitudinibus, Cometæ diſtantia ab Arcturo erat 14 gr. ferè; motus diurnus 3 gr; Long. 17 gr. Libræ; Latitudo 17½ gr. Cauda tendebat ad ζ Bootis, cum aliqva ad π declinatione.

D. 31 Aug. qvantum per nubes licuit conjicere, ab heſterno loco 2½ gr. aberat: motu à 28 Aug. qvo 7 gradus Cometes confecit, continuè decreſcente.

Curſum ejus, uno velut intuitu, in Globo Horizontis arcus, ab interſectione meridiani borea occaſum verſus deſignat, elevato ad 47 gradus Polo, adductoqve ad meridianum Aqvarii principio.

Caudæ directio, nobis perpetuò ab oppoſito Solis, aliqvoties ultra 20. gradus, declinabat: Nodum verò S.S.S. dietim duabus tertiis unius gradûs promotum, ex obſervationibus noſtris qvalibuscunqve deduximus.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DC LXXXII.

PETRI PETITI PHILOSOPHI ET DOctoris Medici Miscellanearum Observationum libri quatuor, nunquam antehac editi.

Trajecti ad Rhenum, M. DC. LXXXII. 8.

DE bonis Autoribus qvi bene mereri ſtudent obſcura eorum loca illuſtrare, depravata emendare, & à vitiis librariorum vindicare, dubia reſtituere, adeoqvè genuinam & priſtinam faciem iis reddere laborant: qvæ opera utplurimum ſalutaris, ſæpenumero inutilis, interdum etiam damnoſa exiſtit; & niſi à ſubactis probè humaniori literaturâ ingeniis maturo judicio ſuſcipiatur, accidit, ut medicinæ loco toxicis adhibitis malè affecta loca deteriùs depraventur, qvandoqve etiam ſana corrumpantur. Qvò magis eſt laudanda eruditorum hominum induſtria, qvi omne ſuum ſtudium eò conferunt, & ingenium, qvod capitale nacti ſunt, diuturnâ Autorum lectione exercitatum & longo uſu eorum cuivis veluti aſſvefactum, in id intendunt, ut maculas ex Antiqvorum monumentis eluant, laboremqve minuant iis, qvi ex animo adſpirant ad Veteres illos rectè intelligendos. Neqve enim ulla menda ita puſilla eſt, qvam non permagni intereſit è ſcriptis Autorum tolli ac expungi; nam unius literulæ erratum eas interdum etiam eruditiſſimis hominibus offundit tenebras, ut tanqvam in illuni nocte errantes qvovis potius perveniant qvàm qvò volunt. Ut proinde nullum hominum genus magis proſit ſtudiis, qvàm eorum qvi accuratè & fideliter operam in monumentis Veterum purgandis emendandisqve ponunt. Horum qvippe beneficio contingit, ut qvod multa interdum ſecula ſummos viros latuit, id poſtea indicatum vel pueri primis literis imbuti aſſeqvi debuiſſe videantur. Huic igitur ſtudio incubuerunt & priſcis temporibus pleriqve qvi eruditionis gloriâ alios antecelluere,

& ſuperiori ac noſtro ſeculo omnes qvi bonarum literarum cum laude geſſerunt curam: qvarum cum ſtudiis nunqvam tam bene actum eſt, qvàm cum veterum Codicum ope & ingenii felicitate tot Philoſophorum, Hiſtoricorum, Oratorum, Poetarum, Veterum Legum & Sanctorum Patrum vulnera & cicatrices ſanatæ ſunt: ut confeſſuri ſint hodie ſi reviviſcant, ſe Scaligero, Lipſio, Mureto, Victorio, Caſaubono, Salmaſio, Sirmondo, Fabro, Gronovio & aliis veræ eruditionis aſſertoribus civicam coronam debere: qvorum ope & ingenio ex tot ſeculorum tenebris in claram lucem revocati ſint, & ab interitu ac morte qvaſi in vitam reducti. Medicas etiam iis manûs admovit feliciter & cum ſummâ ingenii laude *Petrus Petitus*, eruditus Gallus, qvi ab arte qvam tractavit medicâ alienum haud ratus, ut afflictis corporibus valetudinem, ſic affectis Autorum locis integritatem conciliare, in libris Antiqvorum, qvibus totâ vitâ incubuit, multa cùm obſervaſſet malè conſtituta & depravata, ea correxit & reſtituit, ac qvædam literis conſignata *qvatuor Miſcellanearum Obſervationum libris* incluſit. In qvibus non Ariſtotelis ſaltem & Græcorum ejus Interpretum varia loca examinantur, ſententiæ illuſtrantur, dicta laudantur, exponuntur & emendantur, adeoqve ex Academiæ umbraculis ac Lycei ambulacris profutura ſapientiæ ſtudioſis traduntur; ſed & omne genus Autorum tam Græcorum qvàm Latinorum, Poetarum, Hiſtoricorum, Oratorum & qvorumvis aliorum Scriptorum veterum & recentiorum illuſtratur, vitia eorum ſive à librariis illata ſive ipſorum culpâ extantia deteguntur, lacunæ ſupplentur, ſententiæ declarantur, minùs vulgata & obvia annotantur, corruptelæ oſtenduntur, adverſantia ſibi conciliantur, vulnera & cicatrices ſanantur: ut verè ac literati medici officium circa librorum curam ipſum expleviſſe agnoſcendum ſit. Qvin & ipſe in Præfatione ad Emericum Bigotium profitetur, cùm nullus ſit artis ac diſciplinæ angulus in qvem ſe non penetrârit, nulla nobilis qvæſtio qvam non luculenter ſe explicare poſſe confidat, hæc tamen omnia ad mentis potiùs felicitatem, ſuæqve & ſuorum valetudinis cuſtodiam, qvàm mercenariam operam referre decreviſſe, & omne tempus in literarum ſtudiis conſumſiſſe. Inde ſibi majora his Obſervationum Collectaneis ſuppetere gloriatur, qvibus non ſolùm Medici, ſed & Philoſophi, imò & Theologi dignitatem ſuſtinere poſſit: nec ſaltem varias lectiones in Autoribus & verborum

borum tricas, sed graviora & fructuosa in istis se sectatum esse affirmat. Quæ si magna sint, non minora tamen ista contemni debere, sine quibus ad summa non perveniatur.

GEORGII ADAMI STRUVII, JCti, Dissertatio Academica de Invocatione Nominis Divini.

Jenæ M. DC. LXXXII. 4.

QVæ hic horis subcisivis collecta & quinque capitibus distincta in lucem prodit dissertatio, ea in usum Studiosæ Juventutis in totidem disputationes divisa sub celeberrimi Auctoris præsidio publicæ cathedræ incudem experta est. Primum verò caput *Invocationis Divini nominis præcognita, quisque invocandus, & qui invocent, cum in genere tum in specie in jurejurando*, complectitur; Alterum *Invocationem divini nominis in variis negotiis & actibus* considerat; Tertium *varios* ejusdem *fines, effectus, formulas, ritus & accidentia loci & temporis* exhibet; Quartum ejus *Affinia*, & Quintum denique *Contraria* pandit. Spirat hoc opusculum ubique doctrinam edecumatam raramque in JCto πολυμάθειαν; siquidem non modò ex Jure Privato, Publico & Canonico, ac quam plurimis aliis cùm prisci tum moderni ævi JCtis, variisque hanc in rem Responsis, ad Praxin Fori conducentibus, hæc materia per aphorismos & his subjecta scholia dignè eruitur; sed etiam ex Historicis & Philosophis, Græcis æquè ac Latinis, tam antiquis, quàm recentioribus, nec non variorum Theologorum scriptis ita illustratur, ut cuivis eruditorum emolumento & delectationi futurum sit. Adjecti sunt ad calcem duo indices, Auctorum alter, alter rerum, utilissimi.

JUSTI SINOLT Schützens *Collegium Publicum de Statu Rei Romanæ. Cum Notis & Additionibus Caroli Scharschmidii, J.U.Ddi.*

Francofurti ad Mœnum A. 1682. in 4.

CUm hic ipse liber primò prodiret in publicum, ab eruditis tum ob celeberrimi nominis Autorem, tum materiarum varietatem

& concinnum ordinem tam avidè fuit exceptus, ut exempla ejus in officinis librariis passim disparuerint. Hinc cùm novam hujus operis editionem adornarent Bibliopolæ, novo etiam habitu illud indigere plerisqve visum, præprimis cùm ante Pacificationem Osnabrugensem & novissimas Imperatorum Capitulationes prima esset conscripta. Commodè igitur laborantibus succurrit partibus additionum Auctor, in qvibus non solùm ea, qvæ ex recentioribus legibus & Actis publicis observatu digna ac necessaria occurrunt, bonâ fide adjecit, sed controversias qvoqve, à *Schutzio* levi brachio & per transennam qvasi nonnunqvam tactas, uberiori discursu illustravit, qvibus omnibus duplex isqve locupletissimus rerum ac verborum Index accessit.

JOHANNIS DECKHERRI, D. & AUGUSTISsimi Cameralis Judicii Advocati & Procuratoris, Relationum, Votorum & Decisionum Ejusdem Judicii Liber singularis.

Spiræ. 1681. in 4to.

EXhibet hoc volumen XXI. Relationes & Vota, à præstantissimis qvibusdam Augustissimi, qvod Spiræ est, Imperialis Judicii, tum Assessoribus, tum ad hoc gloriosum munus ab Imperatore, Electoribus & Circulis Germaniæ præsentatis, speciminis locô ex variis causarum Civilium æqve ac Feudalium figuris, qvæ potissimùm per Appellationis viam eò fuerunt devolutæ, edita. Modus autem referendi in hôc consistit, ut, præmissâ priùs facti specie & formatô ritè Controversiæ statu, examinentur cujusqve causæ FORMALIA partim, partim MATERIALIA. Ratione *Formalium* inqviritur, an Cameræ Jurisdictio in præsenti casu sit fundata; an Appellatio gradatim facta, ejusqve fatalia tam ratione interpositionis qvàm introductionis (qvæ unicè in Camera attenduntur) legitimè observata; sitne summa appellabilis nec ne; & an fortè Judex à qvô privilegio de non appellando munitus; an rectè se habeant Procuratoria & Acta prioris Instantiæ sint integra? Qvoad *Materialia*, primô locô indagatur, qvænam actio sit instituta, vel etiam intentari potuerit; an ab Actore satis sit probata, an verò per Rei exceptiones elisa; qvid denique

niqve tum in causâ, tum expensarum ratione pronunciandum. Sicuti autem non exiguus legalis scientiæ thesaurus in his ipsis Relationibus continetur: ita earum Editor in procœmio iis præmisso lectorem solicitè monet, ut istas non *Præjudiciorum* (qvod nomen nihil mereri ait, nisi Conclusum totius Supremi Judicii, eò fine factum, ut ipsi hoc pro præjudicio in similibus causis, in futurum decidendis, fixum, stabile & perpetuum sit) sed *Exemplorum* loco accipiat, ex qvibus de agendi, respondendi, probandi, deducendi ac judicandi ratione, in illustrissimo hôc Tribunali secundum novissimum Imperii Recessum de Ao. 1654. observari solitâ, constare possit.

SPECIMEN MEDICINÆ SINICÆ, SIVE Opuscula Medica ad Mentem Sinensium, edita ab Andrea Cleyer, Hasso-Casselano, Societ. Indiæ in novâ Bataviâ Archiatro &c.

Francofurti, Anno 1682, in 4to.

OPusculorum horum sex sunt, qvorum potissima contenta pulsuum in morbis explorandorum maximam vim, pro morbis horumqve eventibus determinandis & medicamentis applicandis, respiciunt. Qvippe *in primo* certi Scriptoris Sinensis pulsuum investigandorum suppeditantur regulæ, cum cordis, hepatis aliorumqve membrorum ad pulsus habitudinibus atqve exinde petendis signis. Hinc pulsuum differentiæ horumqve mutationes recensentur, variis tamen aliis corporis affectionibus adjectis, qvæ signa diagnostica & prognostica suppeditare valent. Et qvia non tam morbis, qvàm pulsibus iis respondentibus Sinenses medentur, regula his per composita medicamina medendi additur, cum catalogo Simplicium usualium, qvæ ab Europæorum medicamentis maximè differunt.

Alterum pariter de pulsibus agit, secundum principia & placita Philosophiæ Sinensium Medicæ, prout qvidem ex Codice qvodam horum Veteri illa extraxerat Medicus qvidam Europæus: qvatenus sc. illi doctrinam hanc sympathiæ & relationi membrorum corporis, nec non pulsuum, cum qvinqve suis Elementis, nempe Aqva, Igne, Terra, & Metallo, nec non cum anni tempestatibus, superstruunt.

Tertium fragmentum operis Medici est, ab Europæo qvodam ex hypothesi Sinensium conscripti, pariter horum rationem pulsus explorandi iisqve medendi exponens: In qvo tamen, qvomodo etiam sine pulsus investigatione, ex solis corporis coloribus, sonis, appetitu, somniis similibusqve morborum conditio & mortis periculum indagari possit, simul docet. Inter alia Sinenses à Sangvinis missione, & qvidem per argumenta haud levia, abhorrere, uromantiam negligere ac rejicere, chymiam ignorare, sed alchymiam ad insaniam usq; colere, Compositiones Medicamentorum & Medicinam, ab Hippocrate, Galeno, Avicenna aliisqve Græcis & Europæis traditam & hactenus usitatam, nescire, Chirurgiæ aliqvantum peritos habere, perhibet opusculi hujus Scriptor. Interim ex pulsu eos cuncta dijudicare & pulsibus appropriata remedia propinare, diætam strictissimam ac victum tenuissimum commendare, ne suorum medicamentorum, utpote Europæis minùs potentium, vis ab alimentis obtundatur: atqve has regulas diæteticas accuratè & obsequiosè observare ægros, persvasos, aliàs aut mortem secuturam, aut morbum rediturum. Formulas illorum esse vel potiones, vel pulveres, vel pilulas, qvibus mediantibus modò sudorem, modò vomitum, modò catharsin, modò tepidi introductionem præstant, modò spiritus & qvalitates qvinqve suorum elementorum, qvarum aliqvam singulis membris potionibus attribuunt, restaurant.

Eadem ferè docet Opusculum *qvartum*, excerpta è literis cujusdam Europæi continens. Explicant hæc præprimis circulationem qvandam sangvinis & spirituum Sinensium, licet ab Europæorum qvàm diversissimam & ridiculam satis: utpote qvæ cum doctrina eorum de pulsibus, non Anatomicis fundamentis, à qvibus semper abhorrent, sed soli longiori usui seu experientiæ, ac codici cuidam antiqvissimo, innititur.

Tandem postqvam *qvinto* Schemata pro explicatis meliùs declarandis, eaqve autopsiæ Anatomicæ minùs adæqvata, adjecerat, *Sexto* opusculo terminum huic specimini imponit Noster, excerptum ex Medici cujusdam Christiani libro, de indiciis morborum ex Lingva, coloribus aliisqve affectionibus corporis præternaturalibus: qvorum ope, sine omni pulsus exploratione morborum plurium, in specie febris malignæ, vim & qvalitates dignosci posse, ille asseruerat.

ARCA-

ARCANUM ACIDULARUM NOVISSIME proditum, principiorum Chymicorum disquisitionis auxilio, in quo communis Opinio de Aquarum mineralium aciditate convellitur, Auth. PETRO GIVRIO, Medic. D.

Amstelodami in 12. Anno 1682.

SCriptum hoc jam diu est, quòd Parisiis gallicè, anno scilicet 1667, publicæ luci primitùs expositum fuit. Divulgatur autem hac vice denuo, latino sub habitu, & qvidem insigni sui parte auctius & locupletius: adeò ut qvicqvid à p. 206. usqve ad finem, seu paginam 366, in eodem reperire licet, id omne huic demum editioni accesserit. Institutum Autoris est, receptam communiter, & ab accuratioribus Chymicis dilucidatam, de Acidularum naturâ Vitriolicâ-Martiali sententiam convellere, & omni conatu demonstrare, qvòd mineræ, à qvibus acidularum sapor aliaqve attributa dependent, sint tantùm Ferrum & Alumen: ita ut Vitriolum seu Chalcanthum in illis nec deprehendatur, nec deprehendi possit. Idqve ex eo probare nititur, qvòd Vitriolum alteret, corrumpat, & in Cuprum convertat ferrum; cùm ex oppositio, ex alumine oriatur aciditas aqvarum ferruginosarum, & alumen ac ferrum mutuâ conspirent sympathiâ, paribus modo, ac Vitriolum cum Cupro conspirare soleat. Absolvitur his fere tota scripti pars prima, in qva tamen simul specialiùs in acidularum Pruvinearum in Gallia, (non neglectis aliarum acidularum plurium, præsertim in Gallia obviarum, scrutiniis) & Spadanarũ compositionem inqviritur, eaqve dictâ ratione explicatur; hac tamen observatâ differentiâ, qvòd Pruvineæ istæ plus de ferro participent, Spadanæ verò Alumine ditiores existant. Subjunguntur his facultates Pruvinearum, plurium exemplorum enumeratione confirmatæ, cum debito sub eorum usu Diætæ regimine.

Haud æqvè arrisit omnibus recensita Authoris hypothesis, cùm haud tanta Vitriolum inter & ferrum disparitas esse videatur, qvin vitriolum promiscuè nunc ferreum, nunc cupreum sit, prout scilicet idem spiritus sulphuris embryonati acidus, minetam vel ferri vel cupri roserit; & præcipitatio qvidem Vitrioli ferrei ab illo cupri, nulla

nulla verò mutatio ferri in cuprum locum obtineat. Plures itaqve eruditi in Galliis Medici novitias istas Autoris opiniones evertere moliti sunt, indeqve sua dubia ac objectiones per Epistolare commercium cum Autore communicarunt, qvibus is ipse debitis responsis satisfacere annisus est; qvales literariæ contentiones tantùm non totam secundam partem scripti hujus constituunt. Utut præter easdem, ob argumenti convenientiam, excutiantur simul *Observationes circa aqvas minerales plurium Galliæ Provinciarum, coram Academiâ Regiâ scientiarum, anno 1670. & 1671.* factæ, *& anno 1676. Parisiis in 12. à Dn. Du Clos*, Consiliario & Medico Regio, Chymiatro longo rerum usu egregio divulgatæ; earumqve cum hypothesi sua & conformitatem & difformitatem inprimis expendat Auctor.

SPIRITUS NITRO-AEREI OPERATIONES in Microcosmo. Illustrissimo & Amplissimo Senatui Imolensi *Ludov. Maria Barberius*, Imolensis, Phil. & Med. Doctor D.D.D.

Bononiæ M. DC. LXXX. in 12.

CUm aliis Seculi hujus Scriptoribus Spiritum qvendam in Aëre Nitrosum Auctor hic supponens, ejus vim in potissimis actionibus animalibus qvinqve Exercitationibus declarare contendit. Qvarum *Prima* aëris inspirati aliqvam portionem, sc. Spiritum Nitro-Aëreum, sangvinem subingredi, & adultis æqvè ac fœtui vitam conservare, contra *Highmorum* aliqvot ratiociniis docet, simulqve respirationis modum explicat. In *Secunda* Autor digestionem ventriculi eidem Spiritui Nitro-Aëreo in acceptis refert, qvatenus Spiritus animales, (qvos de Spiritus illius prosapiâ pronunciat, non tantùm à sangvine inter respirandum absorpti, sed ex aëre immediatè qvoqve per processus mammillares ad cerebri interiora derivati) cum sulphure alimentorum effervescentes, hæc fermentare sibi persvadet: adeoqve qvam alii acido ventriculi, alii fermentationi assumptorum, coctionem primam tribuunt, rejicit, acidum qvamvis seu sal fluidum ex reliqviis alimentorum prodiens atqve ventriculi tunicas vellicans famem efficere concedens. Qva occasione Ebrietatem à solo Spiritu animalium,

Digitized by Google

malium, ventriculo nimiâ assumptorum atqve haustorum copiâ gravato succurrentium, defectu, paradoxè satis ac invitis hactenus Scholarum hypothesibus contingere asserit, hincqve mictionis in potatoribus repentinæ, refectionis ab alimentorum assumptione subitaneæ, ac somni ebriosorum ætiologias tradit. Non minùs tamen Spiritum illum Nitro-Aëreum extra ventriculum qvoqve, v. g. in glandulis ac cerebro, digestoris munere fungi, potissimùm tamen ovi atqve fœtus vitalisationem, item plantarum vegetationem, præstare comprobat. Porrò, sc. in Exercitat. *Tertia*, Spiritus animales, seu Spiritum Nitro-Aëreum, nutritioni præesse, diversis argumentis declarat, qvatenus ille cum sangvinis sulphure seu concrescibilis hujus succi tenuiore parte effervescens, hanc poris partium alendarum impellat: satisfaciens simul partim illis, qvi, qvòd netvi à ligatura injecta haud intumescant, ejus per hos corporalem influxum negare præsumunt, partim iis, qvi sangvinem potiùs, qvàm serum hujus gelatinosum, alimentum partium propinqvius autumant: tandemqve modum suggerit, qvo idem Spiritus Nitro-Aëreus, à qvo vegetabilia qvoqve nutritionem sui petere ex antecedentibus supponit, horum nutrimento aliam, ac animalium alimoniæ, formam induca, diversimodè sc. in diversis corporum speciebus modificatus. In *qvarta* omnes sangvinis depurationes in glandulis à Spiritu eodem, tanqvam à fermento salinas ejus particulas præci pitante, adeòqve in epate qvoqve, perfici; ac in *Qvinta* nec Epar, nec Cor, nec sangvinem, sed Spiritum illum Nitro-Aëreum, in pulmonibus huic commixtum, sangvificare aliqvot argumentis evincere conatur. Qvibus demum *Dissertationem qvandam Epistolicam* Scipioni Saxatello Comiti nuncupatam, de pororum biliariorum ac bilis usu & motu annectit, huic vim in intestinis præcipitatoriam ex hypothesi Sylvii & Graëfii adscribens.

LA MANIERE D' AMOLIR LES OS ET DE faire cuire toutes sortes de viandes en fort peu de temps, & à peu de frais. Par Mr. Papin. à Paris. 1682. in 12.

Ratio emolliendi ossa, ac omnis generis esculenta qvàm minimo temporis spatio, & qvàm minimis sumptibus coqvendi. Auctore Dionysio Papino.

Parisiis 1682. in 12.

EX Anglico sermone in Gallicum translatus hic libellus est, cujus summam, unà cum machinarum huc spectantium figuris, jam Calendis Aprilis hujus anni exhibuimus. Ast non dissimulandum tamen, qvòd Interpres Gallus visus sibi fuerit faciliorem multò, ac magis commodam, minusq; sumptuosam machinæ componendæ rationem invenisse: qvam ut ipse calci opusculi hujus subjunxit, ita nos Benevolo Lectori hoc loco, & latino qvidem sermone, communicare non dubitavimus.

Pag. Actorum 105. sqq.

TAB. XV. Figura I literis GG: FF signata Cylindrum cavum exhibet, in qvo fructus, legumina, pisces, carnes, & ossa ad gelatinam parandam, coqvuntur. Cylindrus ille ex metallo est, ejusqve altitudo unius pedis Regii; diameter qvatuor pollicum; corona seu fascia ambiens GG qvatuor lineolas crassa, tantumdemqve prominens.

Fig. II signata H repræsentat operculum ex ære fusum, tres lineolas crassum, aliqvantulum fornicatum, Cylindro cavo GG: FF imponendum.

Fig. III literis K,V,K: K,L,K notata genus qvoddam receptaculi ferrei sistit.

Fig. IV N bractea ferrea est, qvatuor lineolas crassa, fundo receptaculi L imponenda.

Fig. V KVK: GGK: FFK Cylindrum cavum figuræ I exhibet, receptaculo figuræ III immissum. Operculum H ori GG validè per cochleam V imprimitur, magno stylo ferreo, qvalem figura IX sistit, vertendam.

Fig. VI BB: DD notata est Cylindrus cavus ex ære fusus. Ejus corona seu fascia ambiens BB sex lineolas alta est, ac totidem lineolas projicitur: fundus qvatuor circiter lineolas crassus est, ne per vim internæ pressionis cedere possit, qvando machina figuræ XI ardentibus carbonibus imposita est. Concavitas Cylindri BD figuræ VI unum pedem ac pollicem unum profunda est; latitudinis verò ejus diameter qvinqve pollices ac dimidium continet, ad totam machinam

TAB. XV. ad A. 1682 pag. 306.







Digitized by Google

Digitized by Google

nam figuræ V recipiendam, qvæ ſuper circulum tomento refertum ſeu coronam ſtramineam fundo DD imponitur.

Fig. VII a, T, a: AA Cylindrum ex ære fuſum exhibet, cavum ac inverſum, ut Cylindro cavo BB: DD figuræ VI pro operculo eſſe poſſit, ceu in figura XI videre eſt. Diameter illius æqvalis eſt diametro Cylindri cavi BB: altitudo duorum pollicum ac dimidii: corona ſeu projectura AA ſex lineolas alta eſt, totidemqve extat. Canalis T ex ære fuſus eſt, & fundo aa operculi aa: AA, per qvem trajicitur, conferruminatus, cujus uſus talis eſt, qvalem Dn. Papinus deſcripſit.

Fig. VIII Y bractea ferrea eſt qvatuor lineolas craſſa, & in medio aliqvantum convexa; in Z verò eum in finem inciſa, ut impoſita fundo *aa* operculi *aa:* AA, canalem T, ut in figura XI patet, recipiat. Iſta bractea facit ad operculum *aa:* AA premendum, & cum Cylindro BB: DD per cochleas O, I, firmiſſimè jungendum, ceu figura XI docet.

Fig. IX Q ſtylum ferreum notat vertendis cochleis deſtinatum.

Fig. X literis R C: o m i: ES notata, cuſa eſt ad formam duplicis regulæ angularis, cujus extremitates in uncos rectangulos deſinunt, qvorum unusqvisqve dimidium pollicem introrſum extat. Iſti unci corpus Cylindri AA: BB figuræ VI arctè ſubter projecturâ ſeu faſciâ prominente BB conſtringunt. Deniqve per duas cochleas O, I, ſtylo ferreo figuræ IX in cochlidiis faſciæ ferreæ CE vertendas, operculum *aa:* AA figuræ VII conſtringitur, & arctiſſimè orificio BB Cylindri BB: DD conjungitur, ſicut id omne ex Figurâ XI apparet.

Duplex illa regula angularis RCES fibulam parvam M continet, qva, Figurâ XI indice, vectis ſeu planum illud repagulum MTX inuncatur, qvod per gravitatem ſuam & pondus P inſervit premendæ chartæ, qvæ ori canalis T bene occludendo imponitur eum in finem, ne dum machina carbonibus ardentibus impoſita eſt, evadere qvicqvam aut exhalare poſſit.

Duplex illa regula angularis uncinata ubiqve ſesqvipollicem lata, ac dimidium pollicem craſſa eſt, ejusqve unci R S dimidium pollicem ad minimum introrſum projiciuntur. Latitudo ſeu diſtantia inter latera CR: ES, æqvalis eſt diametro coronarum ſeu projecturarum AA: BB, qvas complectitur: At diſtantia R S inter extremitates ſeu cuſpides uncorum, præciſè reſpondet diametro Cylindri BB: DD,

qvem ſubter coronam ſeu projecturam BB dimidium pollicem ex omni parte extantem complecti debet. Altitudo duplicis hujus regulæ angularis qvatuor circiter pollicum eſt, ut complecti poſſit projecturam BB, totum item operculum aa: AA, & bracteamY, in qvam incidunt cuſpides cochlearum OI, in cochlidiis partis horizontalis CE duplicis regulæ angularis RC: OMI: ES, vertendarum.

Deprehendi poſtea, *(ita pergit Interpres Gallus)* poſſe machinam hanc adhuc faciliori & minùs ſumptuosâ ratione fieri; ſeqventi ſcilicet. Poſito qvòd Cylindrus cavus ex ære fuſus figuræ VI, literis BB: DD notatus, profundus ſatis ſit ad recipiendam omnino totam machinam figuræ V literis KVK: GG: KFFK ſignatam: non habebis opus operculo cylindraceo cavo figuræ VII. Sufficiet enim laminam habere æream tres aut qvatuor lineolas craſſam, cujus diameter ſit æqvales diametro BB Cylindri cavi ex ære fuſi, inclusâ illius projecturâ. Illa enim lamina pro operculo futura eſt Cylindro cavo AA: BB figuræ VI & XI, per qvam canalis ex ære fuſus T agitur, illiqve conferruminatur. Ita ſimul ſemelqve machina AA: BB aqvâ impletur & lamina ſua operitur: cui cum impoſita fuerit lamina altera inciſa YZ figuræ VIII, duplex illa regula angularis RC: OMI: ES applicanda eſt &c.

INSIGNIS ET CURIOSA LUTETIÆ Pariſiorum nuper reperta Antiqvitas, expoſita à Claudio Molinetto Canon. Sanctæ Genovevæ:

E gallico in latinum idioma translata.

DUm in ædibus prope S. Euſtachium extruendis operas exercet Dn. Berrier, prope hortum reperta ſunt fundamenta mœniorum, qvibus ſine dubio ſuperſtructum olim fuerat vetuſtiſſimum & magnificum ædificium, Templum fortè vel palatium qvoddam. Nam cùm terra effoderetur, mutilum in eâ inventum eſt caput mulieris, cujus hîc effigiem exhibemus, qvod ex metallo conflatum & affabre factum ſpeciem referebat humanâ paulò majorem, geſtans ſuper caput turrim, & oculis defectum, fortè qvòd ex argento hi conflati fuiſſent,

TAB. XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ceu in veteribus ſtatuis plerisqve deprehendere licet. Hoc cùm in Bibliothecâ Abbatis Berrerii vidiſſem, rei nummariæ arte edoctus caput iſthoc exiſtimavi fuiſſe Deæ, qvam Lutetiarum tutelarem olim habuerint Gentiles: multi qvippe Græci inveniuntur nummi veteres, qvi ſignatum habent caput fœmininum cum turribus & adjectum nomen urbis, v. g. Ἀυλιοχέων, Λαοδικαίων. Cumqve attentiùs cogitaſſem, qvænam ex Dearum numero olim à Gentilibus qvi hæc loca habitarunt, culta fuerit, *Iſidem* deprehendiſſe mihi viſus ſum: tum qvod hæc imago turrim in capite referat, tum qvod conſtet eam hic locorum priſcis temporibus fuiſſe cultam. E multis qvidem autoribus manifeſtum eſt, Deam qvæ apud Græcos Jo dicta eſt, & Ægyptiis Iſidis nomine venit, à Romanis ſub Cybeles nomine cultam fuiſſe, qvæ nil aliud qvàm Terra eſt & Natura ipſa: qvam Ægyptii conjugem commenti ſunt Oſiridis, qvi erat Sol, à qvo fœcunda iſta redderetur & Mater omnium qvæ è largo ipſius ſinu prodeunt. Hæc mens eſt Plutarchi & Apuleji, qvorum hic Lib. VI. Metamorph. Iſidem ſic loqventem introducit: *Rerum Natura parens ſum, elementorum Domina*; & Macrobius: *Neqve aliud eſſe Oſirim qvàm Solem, & Iſim qvàm Terram diximus, naturamqve rerum.* Sanè tanta ſimilitudo eſt imaginum, qvâ Veteres geminas Deas has retulerunt, Iſidem Ægyptii, Romani Cybelem, ut utramqve eſſe eandem facilè intelligi poſſit: & fatetur ipſe Apulejus, *ejus nomen circum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo, totum venerari Orbem.* Iſidem autem Ægyptiorum fuiſſe reginam, qvæ cum marito Oſiride regnaverit ſub tempora Iſraelitarum veterum, navium & velorum invenerit uſum, in longiſſimè remotaq; & barbara regna penetrârit, qvorum populos Deorum religionem & agriculturam docuerit, è Tacito clarum eſt, qvi ſimul docet, *ſignum* hujus Deæ *in modum liburna figuratum fuiſſe*, procul dubio in memoriam repertæ & traditæ ab eâ navigandi artis. Habemus certè nummos Ægyptios Juliani Cæſaris, in qvibus ipſa navi inſidens cernitur; & apud Kircherum ac alibi reperiuntur ejus imagines, qvibus ipſa manu navim geſtare refertur. Qvocirca cum qvidam rationem inſignium urbis Pariſiorum, qvæ navim exhibent, invenire non poſſent, ea atqve ac nomen Pariſiorum ab Iſide petiere. Crediderunt enim nomen urbis Græcum eſſe, & ϖὸς Ἶσις, qvaſi juxta Iſidis templum latè celebratum extructam eam notare. Statuendum igitur, qvod & vulgò creditum

est, templum fuisse dicatum isti Deæ in isthac regione, qvæ hodie ad Abbatiam S. Germani de Pratis pertinet. Duravit sanè istud usqve dum Christiana religio in Gallià reciperetur: & cum destrueretur fanum, servata tamen fuit imago Isidis adorata Gentilibus, repositaqve in angulum qvendam ædis S. Germani de Pratis, cum ea extrueretur à Childeberto dedicata S. Vincentio, ut tropæi loco esset devictæ idololatriæ & per Christianam religionem eversæ. Superfuit autem ad annum usqve MDXIV. qvo cum Cardinalis Brissonnetus istius Ecclesiæ Abbas resciviſſet, à muliere qvadam simplici per temerariam superstitionem idolo isti candelas dedicatas & oblatas fuisse, loco istud dejicere & confringere jussit, ceu narrat Brevillius in Antiqvitatibus Parisinis: qvi se à Fratribus id audivisse memorat, imaginem eam jussu Cardinalis confringi sibi visam narrantibus. Titulus etiam Fundationis Abbatiæ S. Germani in honorem S. Vincentii à Childeberto factæ indicat, exædificatum fuisse istud templum *in urbe Parisiacâ prope muros civitatis in terrâ, qvæ adspicit ad Fiscum Isiacensem.* Ut adeò dubitandi nullus relinqvatur locus, Isidis Parisiorum tutelaris Deæ imaginem esse, qvæ terrâ effossa in Bibliothecâ S. Genovevæ nunc asservatur.

MOYENS SEURS ET HONNESTES pour la Conversion de tous les Heretiqves, & Avis & Expediens salutaires pour la Reformation de l'Eglise,

en deux Tomes.

A Cologne Anno M DC LXXXI.

Media certa & honesta pro conversione omnium Hæreticorum, nec non Monita & consilia salutaria pro Reformatione Ecclesiæ. Tomi duo.

Coloniæ 1681. in 12.

AUtor hujus libelli, qvi nomen suum celat, & Romano-Catholicæ Religioni videri vult addictus, ante tringinta & qvod excurrit annos, si præfationi fides habenda, Romam venit; ubi cùm in Aulâ Papali, cujus major ex longinqvo reverentia fuerat, multa

à Christi

à Christi & Apostolorum regulis & exemplis aliena animadvertisset, infallibilem illam, qvam sibi hactenus imaginatus fuerat, Romani Pontificis autoritatem suspectam habuit, & de religione suâ, cujus illa centrum & præcipuum fundamentum est, dubitare cœpit. Hunc autem animi fluctuantis æstum ut sedaret, in Religionis Christianæ principia paulò diligentiùs inqvirere decrevit, eoqve consilio Novi Testamenti libros duabus vicibus attentissimè perlegit, in qvibus tantũ abfuit, ut de Papâ ejusqve supremô dominiô vel unicum verbulum deprehenderet, ut potiùs Mysticum Ecclesiæ corpus à Solo Christô tanqvam unico capite dependere, omniaqve Christi & Apostolorum dicta & facta ad pietatem, charitatem, castitatem, humilitatem ac mundi contemptum composita à Romanæ Curiæ institutô atqve moribus maximopere dissentire, è Sacris illis paginis cognosceret. Qvamobrem contubernalem suum Abbatem qvendam Gallicum, à qvo Novum Testamentum mutuum acceperat, de perplexis animi sui dubiis consuluit, qvi ipsi Bellarminum celeberrimum Monarchiæ Papalis promachum legendum commendavit. At ne hic qvidem affligentes animum scrupulos legenti eximere suffecit. Nihil enim præter contorta qvædam Scripturæ loca & rationes nonnullas humanas, qvæ perito rerum æstimatori fucum facere minimè possent, in vastô illo opere invenit. Postea in Germaniam profectus ad Patrum lectionem animum intendit, & eorum scripta diligenter perlustravit, ut primam Papatûs originem investigaret, qvem tandem à Religione Catholicâ separandum & planè abolendum esse, animo suo firmiter persvasit, spe non incertâ fretus, hac ratione Græcos & Protestantes, qvi non aliam ob causam, qvàm ob Romani Pontificis tyrannidem ab Ecclesiâ secesserint, cum aliis hæreticis & infidelibus ad Ecclesiæ Communionem redituros esse. Qvamvis autem potentiam Papatus per S. Scripturæ ignorantiam, & Clericorum multitudinem, & beneficiorum temporalium respectum, firmiores radices egisse intelligeret, qvàm ut desperatæ seculi sui miseriæ se profuturum sperare posset; animum tamen suum non sine gravi indignatione & acerbis qverelis bipartitô hoc libellô editô exonerare voluit. Cujus prior pars tribus capitibus absoluta, Papatum nec in S. Literis fundari cap. 1. nec in Ecclesiâ primitivâ viguisse c. 2. nec Ecclesiæ qvicqvam conducere, sed potiùs malorum omnium fontem esse c. 3. demonstrare instituit, & simul ad ea, qvæ vel è Sacrô Codice, vel è

Patrum

Patrum ſcriptis, vel è Ratione Statûs, pro ſtabilienda Papali Monarchiâ depromuntur argumenta, in ſingulis capitibus reſpondet. Altera autem pars, qvam Autor imperfectam & minus conſummatam reliqvit, à Cardinalibus ad Epiſcopos & reliqvos Clericos progrediens, viam ac rationem Eccleſiam reformandi ſubminiſtrat, varios abuſus per longam conſvetudinem invecteratos perſtringit, & poſtremo locò de diverſis punctis religionis negotium attinentibus ſuam ſententiam & judicium ſubnectit.

PRODROMUS CORPORIS THEOLOGIÆ, qvô tota fidei ac morum doctrina, hiſtoria item & Prophetia, methodô pariter ac verbis ſanis, ſecundùm rerum Vet. Teſt. illisqve reſpondentium Novi ſeriem multifariam aſſeruntur, atqve ſic veritates Divinæ omnes in luce integrâ SS. literæ in arce collocantur.

Hagæ Comitum apud Arnoldum Leers, A. 1682. in 4.

POſtqvam Coccejaniſmus ortus fuit in Belgio, Theologi ejus in duas abierunt factiones, qvarum altera illum propagavit, altera oppugnavit. Neutri verò Autor hujus Scripti Anonymus ex toto videtur addictus eſſe, ſed novam potiùs ſectam, ſicuti novum Theologiæ Corpus, cui hunc præmittit prodromum, condere velle. Tametſi namqve per majorem Libri partem totus in eo eſt, ut ad Scripturam doctrinas fidei referat unicè aut videatur referre, imitatus in hoc Nobilis Exegetæ Cocceji ſtudium Biblicum; qvem magni etiam æſtimat, ſæpiusqve expreſſô, ſuppreſſô verò nomine ſubtitulo Magni Commentatoris Novi allegat; qvanqvam etiam V. & N. T. in certa intervalla diſtingvit, qvod & Coccejus fecerat ante eum; apertè tamen ab hoc in eo abit, qvod intervalla illa ſtatim in creatione præfigurata eſſe dicit. Coccejus in V. T. ſex agnoſcit periodos, in N. ſeptem. Illas primùm Bileamo Numer. XXIII & XXIV revelatas & à Moſe Deuter. XXX. 1. obſervatas eſſe; ad has è ſcriptis V. T. duo Cantica, alterum Moſis Deuteron. XXXII, alterum Salomonis ex toto, reliqvas Prophetias ex parte referri debere putat. Noſter verò V. pariter atqve N. T. in ſex diſtribuit periodos, qvas cum ſex diebus creationis à cap. 18. usqve ad 25. confert;

fert; creationem hinc à Moſe deſcriptam vocans creationem propriam: duo verò tempora V. & N.T. duas creationes Myſticas; qvibus etiam geminam myſticam qvietem, qvæ propriæ in Sabbatho primo non ſit abſimilis, cap. 25. ſubjungit. Unde conjicere licet, totum Theologiæ Corpus, qvod promittit, futurum eſſe Myſticum, tale ſcilicet, qvalis hic eſt ejus Prodromus, ſi ad ultimam ejus analyſin aut ſcopum, ceu par eſt, reſpiciatur.

PETRI ALLINGÆ VIS VERITATI ILLATA REPULSA: ſeu Exercitationes Pacificæ ad nonnullas qvæſtiones problematicas qvæ hodie moventur, de teſtamentis & œconomia fœderum Dei. Accedit Reſponſum ad nuperum D. Leydekkeri Apologeticum.

Amſtelodami ap. Henricum Wetſtenium, A. 1682. 4.

TOtus eſt hic Autor præſente anno in edendis Exercitationibus pacificis; qvarum primæ ſub titulo *Facis diſſidii extinctæ* nuper prodierunt, relatæ à nobis Menſe Majo p. 160: jam ſeqvuntur alteræ, *Vis veritati illata repulſa* dictæ. Illæ partim Carteſii, partim Cocceji; hæ ſolius Cocceji ſententias nonnullas de teſtamentis & œconomia fœderum Dei defendunt; & qvidam adverſus Melchiorem Leydekkerum, Profeſſorem Ultrajectinum. Unde, tametſi Exercitationes Pacificæ dicantur, revera tamen ſunt Polemicæ, qvibus lites illæ, niſi pugnando, non componentur. Qvo obſervato, non opus eſt *οἰκονομίαν* Libri pleniùs delineare. Dedit eam, qvoad fieri poteſt de hujusmodi ſcripto, Autor ipſe in præfatione ſeqventibus verbis: *Non eſt, qvòd multa dicam de hoc meo opere. Examino omnia, qvæ Profeſſor* (Leydekkerus, cùm Allinga ſit Paſtor paganus; hinc titulus officii, loco nominis ſæpius poſitus,) *veritati oppoſuit, fraudes Viri detego, ſententiam noſtram plurimis rationibus munio, ac objectiones Profeſſoris ſolvo. Pro veritate theſium noſtrarum pugno, alio loco acturus de antiqvitate.* Hæc autem omnia pertractata ſunt 25 capitibus: qvibus adjicitur *Reſponſum ad nuperum D. Leydekkeri Apologeticum*, qvod hic pro Face Veritatis in lucem publicam emiſerat. In illo verò breviſſimus eſt Allinga, ratus ſe unâ plagulâ totam rem conficere poſſe; in primis

cùm Leydekkerus etiam brevitati, non absqve saltu, qvem ipsi imputat, studuerit.

MYSTERIUM ARTIS STEGANOGRAphicæ Novissimum, modum omnes Epistolas, aliaqve scripta incognita, Characteribus furtivis exarata, in omnibus Linguis, præsertim Latina, Germanica, Gallica, Italica expeditè solvendi pandens: ex Museo

M. Ludovici Henrici Hilleri, Diaconi Eslingensis.

Ulmæ A. 1682. in 8.

ARtem Steganographicam perfecturus Auctor, initio præfationis profitetur, se illam tradere, in qvantum ejusdem beneficio omnes epistolæ & scripturæ, qvibuscunqve characteribus incognitis, notis Arithmeticis, Chymicis, Astronomicis exaratæ solvi possint. Ad qvam definitionem annotat; 1. Se aliter tradere, qvàm Trithemium, Schottum aliosqve, qvi magis occupati sunt in concinnandis Alphabetis variis modisqve occultè scribendi, qvàm solvendi. 2. aliter qvoqve se agere, ac illi, qvi per sententias scribunt, vel qvi sumunt unum tantùm vel duo vel tria vocabula, exqve iis sententiis occultas formant scripturas. 3. explicare se non omnium scripturarum solutionem, etiam illarum, qvæ ex pluribus alphabetis compositæ sunt, sed qvæ ex uno eodemqve alphabeto sunt contextæ. 4. sub characteribus comprehendi non solùm Ciphras, Medicas, Chymicas notas, qvascunqve fingi possint ab ingenio humano, sed etiam integra vocabula sive Arabica, sive Latina, sive Germanica loco literarum alphabeticarum usurpata, etiam signa, picturas, res ipsas pro vocabulis adhibitas. Deinde de origine & progressu Steganographiæ differens commemorat Ciceronem, Cæsarem, Augustum occultè scripsisse, non tamen qvæ scripserant solvere potuisse, nisi prius inter se convenissent: Judæorum Temuram, qvæ inter species tredecim Cabalæ in nonnullis Scripturæ locis reperiri creditur, ad Steganographiam pertinere: Recentiori ævo Trithemium Abbatem Sponheimensem Steganographiam scripsisse, illustratam nostro seculo augusto Custavi Seleni Commentario. Post Trithemium Portam Neapolitanum Medicum collocat, cujus qvinqve libri de occultis Literarum Notis Argentorati an. 1606.

1606 satis vitiosè excusi sunt. Post illum Steganologia & Steganographia edita est à Resene Gibronte Runeclus Hanedi id est per anagramma Daniel Schventer Noribergense. Hunc secutum esse Harsdorfferum Mysterio Steganographico clarum, ait: Agmen claudere Caspari Schotti Jesuitæ Scholam Steganographicam.

Ipse Liber continet XII. Capita. (1) Discernere docet idioma, qvo occultè scriptum constat. (2) Proprietates singularum Literarum Lingvæ Latinæ ducentis Regulis exemplis applicatas complectitur. (3) Refutat Joh. Baptistæ Portæ lib. 3. (4) Danielis Schventeri methodum Scripturas Latinas solvendi refellit. (5) Harsdörfferi Mysterium Steganographicum explicat. (6) Caspari Schotti Jesuitæ Scholam Steganographicam examinat. (7) Germanicæ Lingvæ Regulas tractat. (8) Exemplum Germanicum proponit. (9) Schventerum in Germanicâ Lingvâ refellit. (10) Gallicæ Lingvæ Regulas cum exemplis exhibet. (11) Regulas Lingvæ Italicæ cum exemplo continet. (12) Reciproca seu cancrina vocabula, qvæ retrorsum lecta seipsa generant, Latina, Germanica, Gallica, Italica enumerat; ex qvorum recensione observat Latinam Lingvam plurimas habere ejusmodi voces, & non aliam magis idoneam componendis versibus reciprocis seu canerinis, qvia consonantes & vocales ejusdem lingvæ utplurimùm alternant.

PAN-SOPHIA ENCHIRETICA

seu

Philosophia Universalis Experimentalis in Academia Moysis primùm per sex prima capita Libri primi Geneseos tradita, demum per ignem examinata & probata, stante post Tabulam

Arnoldo Bachimio Denstonio Cosmosopho

Auctore.

Norimbergæ Anno 1682. in 12.

QVisqvis est Auctor Libelli titulo valde augusto, Helmontiana dogmata præcipuè sequitur, eademqve magis perspicuis & aptis notionibus Philosophicis exprimit & ornat. In Chemiâ non mediocrem præ se fert experientiam, ex qva naturam mineralium inprimis explicat, atqve passim aliorum in illâ arte errores castigat. Modestiam

ſtiam recentiorum Philoſophorum æmulatur, cùm non pro decretis ſed hypotheſibus ſua venditat. Cæterùm qvæ de hominis integri ſtatu, lapſu, formatione Corporis Chriſti, excitatiqve ex mortuis natura & qvalitatibus, noſtrorumqve poſt univerſalem reſurrectionem corporum conditione tradidit, nec Theologis Fidei Romanæ, qvam profitetur ſe nullis dictis ſuis velle læſam, placebunt.

Ephemerid. Nat. Cur. Vol. II. p. 1931

OBSERVATIO MEDICA I. Ettmuller

De
Crinonibus ſeu Comedonibus infantum.

INcognitus & indictus Antiqvioribus fuit Morbus, cujus paſſim ſuperiori ac hodierno ſeculo à Medicis non minus, qvàm medicaſtris mulierculis fit mentio, & ab iſtis qvidem Morbus Pilaris Infantum communiter appellatur, ſpeciatim autem *Crinonum*, item *Comedonum* nomine venit, Germanis Miteſſer audit. Contabeſcunt infantes paulatim, inſomnes redduntur, & inqvieti, & inſignem ſimul pruritum corporis pati videntur: qvòd ſi in balneo ritè tractentur, corpuſcula pilorum craſſiorum inſtar denſa & ſpiſſa (unde ſimilitudinis ratione, Crinonum nomen) è poris corporis prominent, qvæ pro animalculis intercutanea loca inhabitantibus (unde Comedonum nomen, qvaſi vermium alimentum infantum depaſcentium) ab aliis habita fuerunt, qvibus unâ alterave vice ablatis, meliùs habere infantes obſervantur. Utrum itaqve cenſui excrementorum ſpiſſiorum tertiæ coctionis, an verò animantium generi adſcribendum ſit iſtud extra cutim prominens, diutiùs controverſum fuit, prout ſcilicet fieri in naturalibus amat, ubi ſolis rationibus, citra experientiæ armaturam pugna inſtituitur. Hæc tandem rerum magiſtra litem diremit, oſtendendo Microſcopiorum ope manifeſtè, eſſe revera animalcula viva, qvicqvid ſpiſſorum iſtorum capillorum facie ſubinde compareat. Coloris obſervantur ſubcinericei & plus minùs nigricantis, cornubus ſeu potiùs autennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis cum cauda ob-
Tab. XVII. longa in fine villoſa; paucis, aſpectu ſatis horridi, prout ex *TAB.* XVI conſpici poteſt: in qva Fig. A magnitudinem nativam, prout nudo oculo ſe exhibet, repræſentat: Fig. B verò Crinonem integrum, accuratè ob-

Digitized by Google

TAB. XVII. ad A: 1682. pag 316:



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

obſervatum, reſupinato ſitu collocatum: Fig. C C eosdem crinones, prono corpore delineatos, ſed ſub ſeparatione à cute, caudâ truncatos. Nam non tantùm propter moroſitatem puerorum, difficulter ſeparari poſſunt, ſed ob exilitatem etiam ac teneritudinem vix integri obtineri, qvin facillimo attritu vitientur: id qvod in fig. D. contigit. Pueri ſunt, & infantes in qvibus freqventiùs naſci ſolent, qvorum crura, brachia, & inprimis dorſum, ſive totum, ſive interſcapilium tantùm, maximè tamen ipſam ſcapularum regionem ſolent occupare. Sed qvæ huc ſpectant alia, curioſo lectore digna, prolixiùs, pro uſu inprimis Medico, expoſuit Erud. *Georgius Hieronymus Velſchius*, in Exercitatione de *Vermiculis Capillaribus Infantum*, in qva omne id, qvicqvid pro uſu tam theoretico qvàm practico deſiderari poteſt, ex qvibusvis Scriptoribus in unum faſciculum concinnè collectum exhibetur, adeò ut unus hic autor qvorumvis aliorum vices commodè ſupplere qveat. Annexa eſt dicta Exercitatio iſti *de Vena Medinenſi* laboriosè & accuratè conſcriptæ, & anno 1674 Auguſtæ Vindel. in qvarto primitus, ſub auſpiciis Claudiæ Felicis Imperatricis, luci publicæ expoſitæ.

OBSERVATIO MEDICA II.

De

Sironibus.

ALii longè à *Crinonibus* ſunt *Sirones* ſeu *Cirones*, vermiculi ſcilicet minuti, qvaſi pediculares, in puſtulis ſeroſis prurientibus, ſub cuticulâ manuum inprimis & pedum, ſubſiſtentes. Germanis Geuren/ item Reiſſieſen vocari ſolent. Minùs de his diſceptatum fuit, animalculorum claſſi an aſſociandi, ſiqvidem hoc jam olim ſubtili *Scaligero Exerc. 194. de Subtil. num 7.* extra dubitationis aleam poſitum fuit: qvi tamen ipſis formam nullam expreſſam eſſe aſſerit, qvæ Microſcopiorum ope diſtinctè ſatis & accuratè conſpici poteſt, ſecundum eam faciem, qvam Tabul. XVI fig. EEE repræſentat. Colore ſunt albicante, & pedibus exceptis, qvi propiùs intuenti nigricare videntur: pedibus ſex inſtructi ſunt, binis utrinqve mox juxta caput poſitis, qvibus talparum ritu cuniculos ſub cuticula agere, & oblongos non rarò qvaſi ſulcos trahere, ſimulqve moleſtiſſimum pruritum excitare videntur. Num

dorſum ſit ſqvamoſum, ſeu ſqvamis coopertum, prout qvidem affirmat *Dn. Rohaultus Tract. Phyſic. part. 1. c. 21.* definire nolumus, illo præſtantiore dubiò procul microſcopio inſtructo. Mirum de cætero eſt, qvantas moleſtias tam puſillum animal homini excitare qveat, qvas ſtupendâ hiſtoriâ pluribus explicat *Mouſetus* in *Theatr. Inſect. lib. 2. cap. 24. &c.*

LETTRE à M. L. A. D. C. DOCTEUR DE Sorbonne; ou il eſt prouvé par pluſieurs raiſons tirées de la Philoſophie & de la Theologie, qve les Cometes ne ſont point le preſage d' aucun malheur: avec pluſieurs Reflexions Morales & Politiqves, & pluſieurs Obſervations Hiſtoriqves; & la Refutation de qvelqves erreurs populaires.

à Cologne Anno 1682. in 12.

Epiſtola ad Doctorem Sorbonicum; in qvâ multis rationibus è Philoſophiâ & Theologiâ depromtis probatur, Cometas neqvaqvam ullius calamitatis eſſe prænuncios: pluribus adjectis Obſervationibus ethicis & politicis, annotationibus item hiſtoricis; & Confutatione errorum qvorundam vulgarium.

Coloniæ (veriùs Amſtelodami) 1682. in 12.

MAgnâ in varietate & diſſenſione ſunt Philoſophorum ſententiæ de Cometarum naturâ, origine & ſignificatione, inqve tantâ opinionum diverſitate invidioſum non minùs qvàm difficile eſt ſententiam dicere, diſtractis in partes doctis hominibus. Paſſim qvidè ad viſum Cometam trepidatur, nec vulgus modò & ſimpliciores, ſed etiam doctiprudentesqve ſubinde ſciſcitantur ex aliis, qvid mali oſtentum hoc & qvibus Principibus, populis ac civitatibus portendat? Qvòd ſi qvis non levibus rationibus, experientiâ etiam in hujusmodi rebus qvæ ſenſu atqve obſervatione conſtant rationes ſuperante, adductus, à communi popularique opinione, malorum anteambulones Cometas ſtatuente, ſibi diſcedendum

dum censet, is ab aliis, plus æqvo ob causarum ignorationem meticulosis, in horrendum gravissimumqve impietatis crimen vocatur. Qvi verò Cometas propterea accendi in cœlo dicunt, ut sint magnarum calamitatum qvæ impendeant prænuncii, & in hanc rem varios eventus & veterum Poetarum Historiarumqve testimonia afferunt, sacras etiam literas in partes trahunt, superstitionis damnantur ab iis, qvi lubrico aut nullo niti fundamento, cùm terrores illos ac metus, tùm qvæ passim circumferuntur Cometomanticorum hariolationes ac vaticinia ostendunt. Et extant clarissimorum Virorum de Cometarum naturâ & significatione multi libelli, justa etiam Volumina, qvorum qvisqve peculiarem & separatam ab aliis rationem inire studuit, ut orbi suam opinionem persvadeat. Hujus Epistolæ autor, qvi cum Sorbonæ Theologo sibi rem esse præ se fert, vanam & incertam esse omnem illam ex astris divinationem existimans, nunqvam adeò vel argumentis, vel experientiâ, nedum sacrarum literarum testimonio comprobatum censet, Cometis aliqvam præsagiendi vim inesse, ac cum Gassendo non postremum imbecillitatis humanæ argumentum habet, ad ista expavescere, qvibus cum res nostræ commercii nihil habent. Mirum putans, cur ne Deo qvidem credatur, dum à signis cœli nihil metuendum jubet; qvi si Cometam non constituat signum cladis venturæ, nulla in eo aut futurorum notitia aut affectus significandi esse possit: qvippe qvi viam suam pergat, ut naturalia cætera, cujusqve parum interfit qvid humanæ gentes inter se moliantur. Sed cum plerorumqve animos alia longè occupaverit opinio, Cometam nimirum certissimum iræ divinæ imminentisqve pœnæ indicium esse: inveteratas autem opiniones, & ab his profectos horrores, qvos mentibus hominum autoritas veterum & communis incussit rumor, erroresqve qvos longinqvitas temporis confirmavit, evellere res magni laboris sit & invidiæ plena: id potissimum studet, ut præconceptis ab opinionibus hominum animos liberet, qvibus non sublatis frustra de metu minuendo aliqvem sollicitum fore censet. Qvoniam autem philosophia & ex eâ depromta argumenta suspecta admodum sunt, qvòd in utramqve partem, etiam à veritate, deflectere animos vi rationum subtiliter & argutè allatarum valeant, relictis his, ex Theologiâ, à sapientiâ & bonitate Dei petitis rationibus, præsagiendi vim Cometis adimere, & populares rationes evertere laboravit: existimans, haud meliori modo jugulum causæ incidi posse,

qvàm

qvàm si ex eodem fundo, cui errores vulgi innituntur, depromtis machinis isti subruantur, & falsâ persvasione occupatæ hominum mentes rectiora doceantur. Qvod ut obtineat, in hunc modum disserit: Si Cometæ calamitates venturas præsagiunt, vel eas efficiunt ut causæ, vel denotant saltem ut signa. Causæ verò earum esse non possunt; *primùm* qvia rerum à libero arbitrio hominis dependentium, & fortunæ ludibrio expositarum, ut sunt bella, mutationes Rerumpublicarum & religionis, conspirationes & humanæ societatis eversiones aliæ, causæ sidera esse neqveunt; & statuere hoc velle impium est: *secundò* nec à priori ratio dari potest, qvæ Cometas naturalem causam belli, famis pestisve probet; qvæcunqve enim afferuntur futilia sunt, nec virtutem qvâ influant sidera in mundanas res satis ostendunt: *tertiò* à posteriori autem qvæ datur & ab experientiâ ducitur ratio falsa est; nam ab adversâ parte magis ea stat, & felicia tempora post cometam evenisse, tristia fuisse cum nullus præluceret cometa, manifestum est. Calamitatibus autem semper premuntur miseri mortales, modò in hoc modò in alio terrarum angulo gravioribus: igitur qvandocunqve ortæ sunt hæ stellæ crinitæ, afflicta fuit qvædam, nec fortasse una saltem, orbis regio: qvando & in posterum orientur, incident in calamitosa tempora, qvibus nulla ætas, licet cometâ destituatur caret: ideò nec assignanda sunt cometis qvi non faciunt, sed inveniunt hæc mala: *qvartò* qvia omnes orbis partes, qvæ sidus hoc afflat, eandem experirentur fortunam, si efficaciam qvandam istud haberet & calamitatis causa existeret in hac vel illâ provinciâ. Porrò signa tristium temporum non sunt; *primùm* qvia nullam à naturâ connexionem cum fortunis regnorum acceperunt, unde homines has istorum ortu denotari intelligere possint: *secundò* nec Deus nobis revelavit, se voluisse hanc significandi vim ipsis indere, peculiarem autem characterem tributum eis esse, nobis non licet fingere: *tertiò*, miracula autem Deus non edit qvibus confirmetur Idololatria & astrorum cultus, neqve enim peccata mortalium ut aboleantur, alia eaqve majora longè criminalpermittit. Hæc omnia Autor prolixè & copiosè deduxit, adversantibus argumentis respondit, jucundisqve Digressionibus ex civili doctrinâ & Historiâ petitis, v. g. de studio qvo Gentiles veteres & recentiores dein Christiani qvoqve Astrologiam coluerint, hodieqve in eandem ferantur & de ejus vanitate; de fatalibus diebus, nominibus & temporibus;

bus; de Lunæ ejusqve mutationis effectibus; de Eclipsium naturâ & circa eas variis hominum opinionibus, Opusculum hoc distinxit: in eo tamen argumento, qvod de Miraculis tractat, amplissimè se diffudit & de prodigiis qvæqve ex iis oriatur Idololatriâ; hominum in eam impetu; superstitione tam Gentilium qvàm Christianorum veterum, & hodienum receptâ; cum primis autem de Atheismo multa haud proletaria disserit, istum cum Idololatriâ contulit, & utrum horum majus crimen ac facilius eluendum expendit, nec ad morum vitæq; corruptelâ illum magis qvàm hanc ducere probavit; Hinc alia attulit, qvibus Domum Austriacam & Hispanos ad Universalem Monarchiam, cui Galliarum Imperium destinatum aptumqve ipsi videtur, minus idoneos fuisse doceat, ac plures amœnas Digressiones inseruit, ut ipse miscellaneas opiniones se congessisse profiteatur. Sub finem Breviarium integri Opusculi exhibet, & argumenta qvibus cometarum præsagia elevarit, enumerat, concluditqve Cometas eos non esse pro qvibus habentur vulgò, sed corpora esse mundo coæva, & juxta motum, qvo Deus universi machinam versat moveri, nobis autem conspiciendos se præbere qvando determinati sunt, ut oculis nostris se sistant, & tum pro vario Solis motu radios reflectere, perqve refractionem radiorum solarium secundum naturæ leges caudarum speciem præbere. Proscribendos igitur animis timores, & liberandas superstitionis tormento mentes, qvas sollicitas metu futurorum perversa de Cometis opinio vulgò cruciet.

OBSERVATIONES MICROSCOPICÆ Antonii Leuvenhœck, circa particulas liqvorum globosas, & animalia in semine insectorum masculino. Ex Collectionibus Philosophicis Anglicanis num. 3. Decembr. 10. An. 1681. p. 51. sqq. excerptæ.

POst Observationes circa globulos spumæ, & sangvinis nuperrimè communicatas, feces Vini Germanici examinavi, diluendo eas pro feliciori indagine cum aqva, & observavi eas ex globulis admodum irregularibus, alios globulos minores, nunc 2, nunc 3, 4, 5, & 6, complexis, consistere. Suspicabar itaqve ex hac compositione, perfectam globulorum horum texturam ex 6 simplicioribus globulis coalituram, qvod etiam reperiebam ita in Vino lagenæ incluso fermentante. Hujus

enim feces maximam partem ex talibus globulis constabant, qvi ex aliis 6 minoribus, ac illis etiam qvi in sangvine aut spuma deprehendi solent magis exiguis, componebantur. In Musto fermentante infinita parvarum bullularum copia, (non absqve intuentis tædio) ex vitri locis inæqvalibus exurgebat, qvæ certatim velut ascendentes amplitudine crescebant, earumqve nonnullæ dissilientes in unam largiorem aëream bullam coibant. Perturbabant ascensu suo insigniter Vinum, elevando secum simul globulos, partim perfectos, ut supra ex 6. minoribus, partim imperfectos ex 3.4. vel 5 tantùm compositos, qvi tamen à bulla aërea relicti fundum versus recidebant, ita ut interdum globulos istos sextuplices in suas partes divisos cernere liceret. Eadem globulorum divisio in spumâ cervisiæ etiam instituì potest: sed globuli sangvinei ex digito meo extracti, cum sint teneriores, promtius coalescendo unicum saltem globulum constituere videbantur. In syrupis fermentantibus, globulos ex 3. aut 4. aliis, sed non ex sex compositos observabam, id qvod à densitate liqvoris & langvido ejus motu procedere videtur. Pro inveniendis hujusmodi globulis in aqva, celerior motus in Phialis
TAB. XVIII. angustioribus huic conciliandus. Adeoqve in Vitro (Fig. I) ad A aperto, à C ad B aqva pluviali repleto, in D verò aëre pleno, qvod in conclavi meo tam Solis radiis qvàm vento pervio sæpo sueram, post 14. dies nudo oculo aliqvot particulas, circiter 6 observabam, qvæ sub microscopio communi exhibebant rotundas pilas, easqve si densius erant conglomeratæ, virides; sed accuratiùs à me examinatæ, globulos ex aliis 6 minoribus, illis in sangvine simi'ibus, compositos repræsentabant. Qvidam horum in alio Vitro observati, præter dictos 6tuplices, alios oviformes ex 12 minoribus concretos exhibebant, unà cum parvis pluribus animalculis, inter eosdem natantibus.

Cùm examinare vellem liqvorem Venarum lactearum in animalibus, vacca 24 horas jejuna frustrabatur conatum. In Chylo verò agni, largiter pasti, deprehendebam insignem numerum globulorum compressorum ac invicem coagulatorum, ex 2, 3. 4. 5. 6. minoribus globulis compositorum; altera verò pars non concrescens, tenuis perqvam & fluida erat, prioribus compositis globulis intermista: qvin & globulorum, plus qvam sexies globulis sangvineis minorum, innumerabilis aderat copia, tanqvam nil aliud esset chylus, qvàm hi globuli in tenui glutinosa materia natantes. Eadem Phænomena in Vituli chylo, ex

vena

venâ prope pancreas elicito pariter occurrebant. In lacte calido vaccino reperiebam tantum globulos magnitudine suâ sextam globulorum sangvineorum partem æqvantes, ut & alios, numero 2, 3, 4, & 5. invi-



Digitized by Google

venâ prope pancreas elicito pariter occurrebant. In lacte calido vaccino reperiebam tantum globulos magnitudine suâ sextam globulorum sangvineorum partem æqvantes, ut & alios, numero 2, 3, 4, & 5. invicem cohærentes, qvi fundum petebant, aliis in summitate natantibus, qvos cremorem seu butyrum esse existimo. In Urinâ ægrotantis propriâ observabâ plures globulos sangvineos copiosis subtilissimis vasculis adhærentes, qvasi fila bombycina invicem contexta essent, à qvorum extremitatibus secalina grana dependerent: residuum Urinæ repletum erat globulis, magnitudinis sextæ tantum partis globulorum sangvineorum.

Cùm examinarem sæpius particulas istas, qvæ in nebula particulis aqvosis in aëre intermistæ sunt, easdam sextam tantum partem globulorum sangvineorum æqvare deprehendebam. Descendunt hæ particulæ noctu ex aëre, nec confundendæ sunt cum istis, qvas vel nudo oculo in radiis solaribus videmus, figuræ perqvam irregularis, ut vix binas similes videre liceat, grani arenarii interdum magnitudinis.

Observavi ulterius, sub candelarum deflagratione maculari res qvasdam, qvateng scilicet qvodvis corpus, dũ comburitur, in particulas minutas invisibiles, & ita etiam candela in fluidum per universum aëra dispersum abit, cujus particulæ sextæ tantùm parti globulorum sangvineorum respondentes, figuris perqvam irregularibus cohærentes, in descensu condensatæ nigras istas maculas exhibent.

Cùm existimarem, cor machinam tantùm sangvinis circulatoriam esse, hæsitavi diu circa modum, qvo ex arteriis sangvis venas subintret; num scilicet id per inosculationem vasorum capillarium fiat. Vasorum itaqve horum vestigia eò usqve investigabam, donec major sangvinis globulus (compositus scilicet) per arteriam transire recusaret, sed simplex tantũ angustias loci penetrare posset, ita ut sub cordis impetu pulsatorio, globulus compositus, anteqvam per arteriolam trajiceretur, in sex minores alios divideretur, qvi in vena denuò in compositum istũ coibant. Alii horum, parte aqvosâ magis diluti, ad corporis circumferentiam deferebantur pro sudoris & lacrymarum materia. Detexisse me hanc anastomosin in musc arum viscer ibus perqvam candidis, sangvine verò admodum nigro, existimabam: nihilominus tamen, licet vasa bis centies millies minora barbæ meæ pilo observarem, nullam tamen unionem perspicere poteram. Proportionem verò modò dictam

eliciebam, comparando diametros, & inde supputando ipsas areas. Vana erat pariter inqvisitio hujus Anastomoseos in magno scarabæo cum mercibus ex Indiis allato, siqvidem tantum unionem vasculorum ex communi ramo oriundorum inveniebam. Ut in Fig. 2. C E & D F utraqve à B oriuntur, & per canaliculos C D & E F junguntur.

Observabam porrò in semine masculino Scarabæi Rutilantis, sub copula, (secundùm Fig. 3. in qva A B C D mas, D genitalia, E F G fœmella,) plura viventia animalcula, anteriori corporis sui parte subrotunda, posterius in longam caudam desinentia.

Tentanti idem circa semen masculinum Muscæ majalis, plures parvi qvidem vermiculi, sed non viventes, occurrebant. Ast in iisdem congredientibus (secundùm Fig. 4, ubi anterior est mas) observabam aperturam in dorso fœmellæ & plura ovula circa locum B, simulqve exactè videbam in maris semine animalcula viventia, qvæ vermium instar, in sex vel octo arcus se flectebant, qvorum, & qvidem mortuorum faciem Fig. 5. litt. A B repræsentat. In semine Grylli maris mortuos vermiculos mense Julio reperiebam, declinante verò Augusto perfectè viventes iidem occurrebant, & multi qvidem, nonnunqvam 25, qvoad superiores partes continno ordine juxta se invicem locati, caudas tantum latius explicantes, & serpentino celeri motu agitantes, aliis partibus qviescentibus. Semen Muscæ Maris, juxta Fig. 6 exhibebat ingentem turbam parvorum vermiculorum: aperto verò ventriculo ejus, egrediebatur materia clara, ingenti numero corpusculorum qvadratorum, tam cubicorum, qvam parallepipedorum, rectangulorum omnium, diversâ tamen crassitiei referta. In Muscæ Eqvisugæ fœminæ intestinis plures viventes observabam vermiculos, crassiores ac breviores, sed celerioris motionis, claro liqvori innatantes.

Præter tædiosa scrutinia generationis insectorum ex ovulis, texturæ involucri ut in bombycibus, & mutationis eorum in muscas, nunc impensius principio vitæ insectorum in semine masculino perveſtigando occupatus fui. Ac sanè, non absqve delectatione, inveni insignem qvantitatem animalium, serpentinæ, sed proportionaliter tenuioris & longioris figuræ, exiguis veſiculis, parvi arenæ grani magnitudinis, & qvas pro testiculis muscarum harum habeo, inclusorum: qvarum qvoqve binas reperire licet, interdum etiam unam tantum, altera subsectione forsan læsâ. Demiror de cætero in semine tam exiguarum muscarum, animalcula adeo crassa proportionaliter reperiri

riri: qvæ si vel mortua, vel pauciora interdum inveniantur, suspicor, qvod vel per generationem jam excreta fuerint, vel ad debitam maturitatem nondum pervenerint, vel sub dissectione enecati fuerint.

Exactissimè etiam inqvisivi, in semen, ventriculum, renes, vasa &c. hujusmodi insectorum: sed inter varias vasorum species, videre contigit aliam, eamqve planè extraordinariæ conformationis, arteriæ tracheæ instar, constructâ ex annulis & ramulis, ut fig. 7. A B Costendit; ac licet vascula A & B millecuplo minora sint pilo barbæ meæ, commodè tamen in iis annuli distingvi possunt, qvi an sangvinem an aërem pro respiratione contineant, nondum constat. In pediculo, in eorundem vasorum subtilioribus, post plures ramificationes, ramusculis annulos invenire non licebat, ob nimiam eorum parvitatem.

Crebrius examinavi midarum intestina, ut invenirem in eorum semine eadem animalia, sed ob perspicuitatem & fluiditatem ejus, hactenus frustra. Qvin tamen in iisdem qvoqve reperiantur, nullam dubitandi video rationem; siqvidem in omnibus cujusvis speciei & magnitudinis animalibus, ab eqvo ad eqvisugam usqve eadem invenerim, & nisi summa exilitas & perspicuitas impedimento fuisset, forsan in minoribus bestiolis pariter observare, concessum fuisset. Nec sine ratione concludere possumus, Naturam eandem methodum in visibilium ac invisibilium formatione observare, & minima pariter ac maxima ex semine suam habere originem, nec muscam eqvisugam magis qvàm eqvum ex corruptione generari. Sæpius ingentem exercitum animalculorum in cuticum genitura observavi, minorum tamen, qvàm erant in museis, & in fœmellis insignem ovorum copiam crassioribus ob id & magis pellucidis.

Nuperrimè aqvam infusionis piperis pulverisati perscrutanti, binas ratione conformationis differentes animalium species videre contigit: & utriusqve speciei majora alia, alia minora, ita ut hæc juniora, seniora illa judicarem. Arbitror me vidisse, juniorum horum qvædam in ventre majorum contenta fuisse, & bina sub natatu invicem cohærentia, congressum celebrasse.

Cum verò Nobiles qvidam Galli dubitent de animalculorum talium existentia, asserendo easdem particulas, iisdem motibus agitatas in aqva fervefactâ pariter observari posse, qvas aliis in aqvis demonstraverim; iisdem hoc tantum regero, qvam plurimis Eruditis clarissimisqve viris, & qvi non tam facilè imponi sibi patiuntur, de sententiæ

meæ veritate abunde constare. Me ipsum qvod attinet, sincerè & apertè affirmo, me etiam minimam illarum, qvarum hactenus mentio facta, speciem, æqve distinctè viventem, ac aliàs nudo oculo cuilicem in aere se moventem, observasse (licet qvædam earum millies millies minores sint grano arenario) & non solum celeritatis & tarditatis motionum gradus, sed etiam varias contorsiones & convolutiones, qvin & sursum deorsumqve lusorios qvasi motus, item easdem morientes, mortuas, motuqve omni destitutas vidisse: Crassiores verò hinc inde ante oculos cursitantes ad instar murium, qvin & qvasdam oris internas partes exserentes, & retrahentes iterum ludendo qvasi, non secus ac veros pilos in oris ambitu notasse. Qvoad modum computandi adeo magnas differentias corporum, qvorum unum alterum aliqvot milliombus excedat, dico longè minorem differentiam istam futuram, si Diametri aut singulæ dimensiones comparentur. Videlicet corpus, qvod mole suâ millies millies majus est altero, eodem hôc tàtùm cetuplo majus erit, suâ Diametro: & sive sumatur longitudo, sive latitudo, sive profunditas, corporis ad corpus proportio erit triplicata proportionis singularum dimensionum. Adeoqve si unum horum animalculorum latitudine, profunditate, ambituaut longitudine centesimam partem æqvet grani arenarii similis figuræ, moles illius tantùm erit pars millies millesima dicti grani.

Ac licet perqvam difficile sit, simplici intuitu judicium ferre de corporibus, qvorum unum centuplo majus sit altero; facilè tamen à qvolibet æstimari poterit, unius corporis diametrum qvadruplo majorem esse alterius secundi; & hujus secundi qvintuplo majorem tertii; & tertii qvintuplo majorem qvarti alterius corporis; atqve adeò per iteratas vices promptè licere conseqvi, qvod unicâ sit difficillimum. Hoc supposito, Diametrum unius ex crassissimis animalculis duodecimam circiter partem Diametri grani arenarii esse reperio: & inde, utrinqve cubicè multiplicando, animalculum 1728mam partem ipsius grani. Hinc comparatis secundæ speciei animalculis cum prioribus, illa priorum qvintam; & ratione molis 125tam partem deprehendo, grani verò 216000mam. Porro comparando cum secundâ adhuc tertiam speciem animalculorum, horũ unum invenio decimam solùm partem secundi, & conseqventer moles hujus est 1000ma secundæ; 125000ma primæ speciei; & denique 216000000ma pars ipsius grapi arenarii. Adeo differentias, qvas ob magnitudinem suam sigillatim com-

computare impossibile videtur, per gradûs eundo facile consequimur.

OPUSCULA PETRI DE MARCA ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS nunc primùm in lucem edita, Studio Steph. Baluzii. Parisiis 1681. 8.

Immortalis memoriæ Vir PETRUS DE MARCA Archiepiscopus Parisiensis, antequam diem suum clauderet, quod contigit III. Kal Jul. MDCLXII. cum sexagesimum nonum ætatis ageret annum, supremis veluti testamenti tabulis scriptorum suorum opportuno tempore publicandorum curam commisit doctissimo viro STEPHANO BALUZIO, quo studiorum socio & adjutore ac assiduo comite fuerat usus, & cui librorum suorum ac schedarum custodiam multis ante annis commendaverat. Illud verò in primis mandavit, ut curam susciperet lucubrationũ suarũ, cum earũ, quæ nondũ editæ in publicũ essent, tum earũ etiã, quæ in lucẽ jam prodiissent. Quod mandatũ qvã religione ac diligentiã, qvã felicitate item ac laudabili successu is fuerit executus, ingens ac verè incomparabile ob doctrinam & eruditionem Opus DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII seu LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ demonstrat: quod ab illustrissimo Auctore anno MDCXLI evulgatum, altero ab ipsius obitu anno, augustiori habitu adornatum, iterum emisit in lucem Baluzius, & non saltem priores qvatuor libros recensuit, additionibus ab Auctore compositis auxit, ac suis Notis, ubi occasio tulit, illustravit; sed & integrum Tomum alterum nunqvam antea editum ex autographo Summi Viri descriptum addidit, nonnulla Antiqvitatis Ecclesiasticæ illustria monumenta adjecit, integrosqve in eo Libros, qvod Gallicè essent scripti, in Latinam lingvam vertit. Cumqve Opus hoc tanto favore eruditorum fuerit exceptum & communi approbatione commendatum, ut intra breve tempus distracta exemplaria fuerint, istud anno M DC LXIX. recognitum emendatius copiosiusqve literato iterum orbi dedit; *Vitam* etiam Doctoris & Mæcenatis sui peculiari libello anno M DC LXIII. editam & primæ Operis de Concord. à Sacerdotii cum Imperio præfixam editioni, novæ auctiorem præmisit, Utrqve supremæ Patroni voluntati fidem & diligentiam porrò probaret, nonnullas Illustrissimi Viri *Dissertationes* anno M DC LXIX. publici juris fecit. In qvibus de autoritate Romani Pontificis & cæterorum Patriarcharum ac Primatum, tum de vexatissimâ Canonis Arausicani explicatione, qvæ viros eruditissimos inter se commiserat, denique de initiis susceptæ Christianæ apud Gallos religionis erudite tractatum est. Sed cum plures adhuc lucubrationes in schedis morte doctissimi Archiepiscopi ad Baluzium, scriptorum gloriã & eruditionis laude ipsi jam parem, devolutis laterent, earum qvasdam superiori anno M DC LXXXI publicam in lucem emisit, & moderno Parisiensi Archiepiscopo III. Francisco de Harlæo nuncupavit. Qvæ qvoniam in egregiis argumentis occupantur ac variâ eruditione refertæ sunt, à doctis hominibus haud exigua gratia referetur de bonis ligeris optimè merito Editori. In Præfatione, qvam consveto more elegantem præmisit, occasionem & tempora designat qvibus qvodqve ab Auctore

ctore scriptum fuerit opusculum, qvibusdam etiam à Christiano Lupo & Joanne Gerbasio, sibi Objectis solidè & eleganter respondet. Opuscula autem sive Dissertationes, qvas jam exhibet, hac collocavit serie:

I. De Stemmate sive Genealogiâ Christi, scripta Anno M DC XLIX. II. De Adventu Magorum ad Christum, & an hi Reges fuerint, Anno M DC LIV. III. De singulari Primatu Petri, Anno M DC XLVII. IV. De discrimine Clericorum & Laicorum ex jure divino, & de formâ regiminis à Christo institutâ in Ecclesia, Anno M DC LVI. V. De Synodo Sirmiensi plenariâ, & de Valentis & Ursacii veniâ, Anno M DC LI. VI. De Synodicâ epistolâ Illyricianæ Synodi, habitæ decreto Valentiniani senioris A. C. 365. Anno M DC LV. VII. Explicatio canonis qvinti Synodi Constantinopolitanæ Anno Christi CCC LXXI habitæ. VIII. De veteribus Canonum collectionibus, Anno M DC LX. IX. Interpretatio capitis *Clericus* 3. qv. 4. Anno M DC L. X. De patriâ Vigilantii, Anno M DC LI. XI. De origine & progressu cultûs B. Mariæ Virgini in Montesserrato exhibiti, Anno M DC LI. XII. De origine Monasterii Scalæ-Dei apud Bigerros in diœcesi Tarbiensi. Anno M DC LIX. XIII. De thecâ reliqviarum S. Johannis Baptistæ, qvæ servatur in Ecclesiâ Dominicanorum Perpinianensium. Anno M DC LX. XIV. Oratio ad Provinciales & alios Superiores Ordinum Religiosorum Barcinonensium, habita in eâ urbe die XV. Julii Anno M DC XLIV. XV. Fragmenta qvædam libellorum qvos imperfectos in schedis reliqvit Petrus de Marca. Exhibentur autem hic: Adversus Satyras in se scriptas, Anno M DC LVIII: De advocatione Comitum: Explicatio canonis XVII. Ancyrani: Qvis sit proprius sacerdos: De Presbyteris, ubi ordinandi sint. XVI. Bina Carmina, qvorum alterum Petri de Marca iter Lutetiâ in Galliam Narbonensem elegiaco carmine Anno M DC LIV. descriptum, alterum epigramma de Frontinacensi vino generoso exhibet. Sub finem horum Opusculorum Marcæ, doctissimorum Sociecatis Jesu Theologorum JACOBI SIRMONDI & DIONYSII PETAVII Opuscula gemina subjecta sunt; qvòd eorum cognitio admodum utilis videretur ad libellum de Synodo Sirmiensi rectè intelligendum. Et Petavii qvidem Dissertatio *de Photino Haretico ejusq; damnatione in qvinq; Synodis facta, ac de duplici Sirmiensi contra illum Synodo & formulis in posteriore editis*, jam Anno M DC XXXVI. cum is Rationarium tertiò ederet, ei adnexa prodierat: Sirmondi verò duas diatribas, qvarum prima *de anno Synodi Sirmiensis & fidei formulis in eâ editis* agit, altera *examen Dissertationis Petaviana* continet, & singulis capitibus ad singula istius capita respondet, nunc primum edidit Baluzius: illam ex autographo Sirmondi à Jo. Garnerio, hanc ab Emerico Bigotio nactus. Nullum horum omnium Opusculorum Marcæ, Petavii & Sirmondi utilitate suâ & laude caret, & à doctissimo Editore eâ elegantiâ doctrinæ instructa sunt omnia atq; exornata, ut non possint non prodesse & oblectare eum, qvi cultiorem eruditionem amat. Cujus studiosi avidè expectabunt promissam alteram AGOBARDI Operum editionem, gaudentes ejusdem doctissimi Viri curâ & studio emendatas & excultas binis Voluminibus collectas, qvæ dispersæ fuerant jam prodiisse INNOCENTII III. PONTIFICIS ROMANI EPISTOLAS, qvæ in seqventis mensis Acta referentur.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno M DC LXXXII.

BEDÆ PRESBYTERI & FREDEGARII Scholastici concordia ad senioris Dagoberti definiendam Monarchiæ periodum, atque ad primæ totius Regum Francorum stirpis Chronologiam stabiliendam &c. Auctore Petro Franc. Chiffletio, Societatis Jesu Presbytero.

Parisiis, 1681 in 4.

COntroversia quædam Chronologica de annis Dagoberti I. Francorum Regis, inter eruditos non ita pridem agitari cœpta, opus hoc edendi occasionem doctissimo Auctori præbuit. Etsi enim ex *Fredegario, Aimoino*, atque aliis certo constat, anno regni sui decimo sexto Dagobertum illum profluvio ventris extinctum: non tamen, quo post orbem redemtum anno obierit, æque liquet; aliis in annum 644, aliis in 638 mortem ejus referentibus. Nempe cum Dagobertus vivo adhuc patre Clotario Austrasiæ regnum jam anno 622 adierit, dubium est, num sedecim illi Regni Dagobertini anni, quos *Fredegarius* & ex eo alii memorant, a morte patris Clotarii, quæ in annum 628 incidit, numerandi sint, an ab exordio potius regni Austrasiensis superstite adhuc patre susceptι. Nam ex priori hypothesi sequitur, ineunte demum anno 644: ex posteriori, jam anno 638 Dagobertum e vivis excessisse. Et prior quidem sententia communis fuit, omniumque recentioris ævi scriptorum comprobata calculo, donec primus in eam *Hadrianus Valesius Libro XIIX Rerum Francicarum* insurrexit, eandemque post illum *Carolus le Cointe, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, tomo II, III, & IV*, nec non *Joh. Mabillonius in Præfatione tomi secundi Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & in Præfatione Seculi quarti Benedictini*, oppugnarunt, ac inprimis *Hermanni Contracti in Chronico auctiore*, quod *Henr. Canisius tomo I. Antiqv. Le-*

tion. edidit, auctoritate subnixi, rejecta priori, posteriorem hypothesin adstruere sustinuerunt. Ea itaque res tanti visa Auctori nostro fuit, ut sententiam communem excutiendam accuratius, & adversus clarissimos hosce Triumviros peculiari Dissertatione propugnandam censuerit: qua ipsa *Fredegarium* primum, quo male intellecto *Hermannum Contractum* in errorem olim lapsum, nuperque memoratos supra viros præcipites secum egisse contendit, sic explicat, ut vulgarem hypothesin firmare potius, quam labefactare videatur; eandemque porro & aliorum auctoritate, & argumentis quam plurimis, tum ex gestis contemporaneis, tum ex secutorum temporum contextu depromtis comprobare nititur; cometa etiam qui anno Christi 677 per tres menses orbe toto spectatus est, in subsidium vocato. Qua occasione, inserta etiam Dissertationi *Vitæ S. Baboleni Auctore Anonymo*, quam mutilam *primo Historiæ Francicæ Tomo Andreas du Chesne* ediderat, ac notis illustrata, id agit Auctor, ut totius prope septimi a Christo nato seculi Chronologiam, impeditissimam utique in Francica Historia ac difficillimam, expediat stabiliatque, ac lectori adeo non tam Disputatiunculam de sex vitæ annis Dagoberto seu detrahendis, seu vindicandis, exhibeat, quam restitutæ seculi integri Chronologiæ, lucisque Francorum Annalibus tam ecclesiasticis, quam civilibus passim affusæ gloriam reportet. Denique Dissertationi huic Appendicem de S. Dionysio Areopagita & S. Genovefa Parisiorum patronis, subjunxit Chifletius, ac in ea *vitam S. Genovefæ Auctore Anonymo*, sed quiter senis ab ejus obitu annis scripsisse dicitur, ex pervetusto codice, notis suis illustratam, non alio instituto, quam ut S. Genovefæ testimonio suum Parisiensibus Areopagitam assereret: tenax nimirum sententiæ, quam *de uno Dionysio, primum Areopagita & Episcopo Atheniensi, tum deinde Parisiensium Apostolo & Martyre*, jam ante cum *Germano Milleto, Joanne Samblacato, Hugone Menardo, Petro Halloix, Natali Alexandro*, aliisque, adversus *Jacobum Sirmondum & Joannem Launoium*, qui Dionysium Areopagitam Athenienſium Episcopum, a Dionysio Parisiensium Episcopo longe diversum fuisse eruditis scriptis docuerunt, defendendam peculiari Dissertatione, sed cui a *Launoio* pridem responsum est, susceperat.

Cæterum cum in hac Disquisitione *Bedæ Presbyteri*, quem Venerabilem vocant, appellanda subinde auctoritas esset, ejusque cum

Fre-

Fredegario concordia circa hoc negotium demonſtranda: in Chifletii vero manus *Hiſtoriæ* illius *Eccleſiaſticæ gentis Anglorum*, tum codices manuſcripti alii, tum vetuſtiſſimus S. Maximini Trevirenſis pervenissent; novam Hiſtoriæ illius editionem adornandam ſibi, & Diſſertationi de annis Dagoberti præmittendam cenſuit. Atque ea una cum *præliminari Diſſertatione de Beda ejusque ætate, ac vero obitus anno*, nec non *Cuthberti ad Cuthwinum Epiſtola*, ex qua anno 762 eum obiiſſe conſtat, ac *Chifletii in Bedam notis*, primam hujus operis partem conſtituit: eſtque nova hæc Eccleſiaſticæ illius gentis Anglorum Hiſtoriæ editio, ut Auctor ipſe prædicat, tum aliis omnibus, tum *Heidelbergenſi* quoque *anni 1587*, & *Cantabrigienſi anni 1644*, quas accuratiſſimas hactenus habuimus, emendatior, nunc que demum primævo nitori ſuo reſtituta.

DISQUISITIO THEOLOGICA DE SANguine Corporis Chriſti poſt reſurrectionem, ad Epiſtolam 146 S. Auguſtini. Autore Theologo Pariſienſi, Metropolitanæ Senonenſis Eccleſiæ Decano.

Pariſiis, 1681. in 8.

Diſquiſitio hæc *Jacobum Boileau*, Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctorem & Socium Sorbonicum, nec non Metropolitanæ Senonenſis Eccleſiæ Decanum, autorem habens, opponitur *Petro Allixio* Reformatæ, quæ vulgo ſic dicitur, Religionis apud Charentonios Miniſtro, qui a. 1680 ejusdem argumenti diſquiſitionem eo conſilio ediderat, ut doctrinam de reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento Cœnæ præſentia Eccleſiæ primitivæ ignotam fuiſſe, ex iſta Auguſtini epiſtola Lectoribus ſuis perſuadere poſſet. Enim vero inter varias quæſtiones, quas Conſentius quidam Auguſtino diluendas per epiſtolam propoſuit, primo loco hæc occurrit: *Utrum nunc corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat?* Quam quæſtionem *Auguſtinus in epiſtola 146*, qua Conſentio reſponder, diſcutere detrectat, his inter alia verbis utens: *fides adſit, & nulla quæſtio remanebit, niſi forte de ſanguine requirendum eſt, quia eum* (Chriſtus) *dixiſſet*: palpate & videte, quia Spiritus carnem

& ossa non habet, *non addidit sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, si placet, finita sit quæstio* &c. Ex quo prædictus Autor infert, incredibile videri, quod Hipponensis ille Præsul & Consentius, quem itidem Episcopali dignitate præditum fuisse suspicatur, realem sanguinis Christi in Cœna præsentiam crediderint, cum, si illam firmiter credidissent, neque Consentius quæstionem hanc tam dubitanter proponere, nec Augustinus tam trepide ad eam respondere potuisset. Cui argumento ut pondus addat, non modo Augustinum de sanguine Christi redivivi dubitasse, aut aliis saltem liberum dubitandi locum reliquisse, sed plures etiam Ecclesiæ Doctores, quorum testimonia longo agmine adducit, *Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Origenem, Hilarium Pictavien-sem, Gregorium Nazianzenum, & Nyssenum, Palladium, Basilium Magnum, Athanasium, Theodoretum, Chrysostomum, Synesium, Maximum, Damascenum*, & integra *Concilia, Constantinopolitanum* scilicet A. 754 celebratum, & *Nicenum* II, Christi corpus post resurrectionem aereum & exangue statuisse, probare nititur. Hanc vero disquisitionem Metropolitanæ Senonensis Ecclesiæ Decanus ex professo confutandam sibi sumit; ac primum quæ Augustini de Christi sanguine sententia fuerit, & cur in Epistola ad Consentium, quam Benedictini Monachi Congregationis S. Mauri in nova Augustini editione anno 420 scriptam esse censuerunt, & ad numerum CCV retulerunt, decisionem quæstionis a Consentio propositæ declinaverit, ostendit. Deinde Athenagoræ & reliquorum modo memoratorum Patrum testimonia ad examen revocat, eosque a sententia corporis aerei & sanguine vacui alienos fuisse demonstrat. Tum ideam futuræ resurrectionis, quam S. Scriptura efformat, cum opinione ista, quæ glorificatis corporibus sanguinem adimit, minime convenire animadvertit, & subjectis *Ignatii, Hippolyti, Minutii Felicis* & aliorum quorundam Patrum sententiis concludit, Ecclesiæ Doctores nunquam corpora nostra post resurrectionem aerea & exanguia fore censuisse, & si Doctores quidam in contrariam sententiam iviſse demonstrentur, dubitandi locum non relinqui, quin opinio eorum insolens, Scripturæ contraria & in Ecclesia intolerabilis visa fuerit. Tandem vero opinionis ejus, quæ Christo corpus sanguine destitutum & in aerem diffusum tribuit, originem & progressum recenset, infantiam & prima ejus incunabula ad *Ostiandrum*

drum & Calvinum referens, cum Osiander sanguinem a Christo effusum non in venas rediisse, sed computruisse sibi persuaserit, & Calvinus, quamvis Osiandrum satyrico sale defricet, ab ea tamen sententia haud fuerit alienus, cujus rei testem Vossium *in thesibus Theologicis & Historicis* allegat. Et *Vossius* quidem inter patronos ejus opinionis etiam *Dominicum Dominicanum* Episcopum Torcellanum & Brixianum retulit, ut qui ante sesquisæculum quæstionem illam de Christi sanguine ancipiti lance librari posse libro de sanguine Christi dedita opera scripto ostenderit. Verum hoc Autor disquisitionis hujus negat, cum Dominicus ille de Dominicis Scholastica quadam contentione circa articulum de sanguinis Christi unione cum Deitate inter Franciscanos & Dominicanos oborta, lucubrationem quidem de ea quæstione Æneæ Sylvio seu Pio II inscripserit, at de vero Christi sanguine, quod ex ista lucubratione haud difficulter pateat, minime dubitaverit. Igitur ab Osiandro & Calvino ad *Edmundum Albertinum* progreditur, in cujus libris de Eucharistia opinionem de exangui Christi corpore ad pubertatem perveniisse censet; ubi simul ea, quæ circa controversiam de concomitantia sanguinis Christi enim *Fr. Amante Brixiano* in Concilio Tridentino gesta sunt, e *Paulo Servita*, qui sub Petri Suavis nomine latet, & *Pallavicino* obiter memorat. Postremo adolescentiam ejus opinionis Historiæ Eucharisticæ Gallico sermone conscriptæ Autori, cui nomen est *Larroque*, virilem vero ætatem & fortasse senium *Petro Allixio* tribuit, quem disquisitionis a se impugnatæ Autorem esse sibi firmiter persuadet, & quem cum sociis ex penuria argumentorum contra realem corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam quæsitorum, ad extrema hæc, sed infirma laborantis causæ præsidia adactum judicat.

CASPARI KNITTEL e SOCIETATE JESU Via Regia ad omnes Scientias & Artes.

Pragæ, Anno 1682 in 8.

IPsa quidem scientiarum & artium genera unius in compendii formam redigere non propositum hic est Autori; regiam modo viam monstrare hoc scripto voluit ad arcana singularum facilius perveniendi; seu universalem methodum potius in cujusvis disciplinæ probe

obſervandam ſtudio. Decem vero partibus veluti quibusdam intervallis Via univerſa diſtinguitur.

Poſtquam enim poſſibilem ejusmodi artis exiſtentiam ex *Prædicamentis* Pythagoræ, ex Ariſtotelis *Logica*, ex *Arte Mirabili* Raymundi Lullii, ex *Syntaxi Artis Mirabilis* Gregorii Toloſani, ex *Typo Omnium Scientiarum* Ægidii Moncurtii, ex *Arte Cyclognomica* Cornelii Gemmæ, ex *Methodo Mirifica* Petri Sanchez, ex *Digeſto Sapientiæ* Ivonis Pariſini, ex *Inſtauratione nova novoque Organo* Franciſci de Verulamio, ex *Pharo Scientiarum* Sebaſtiani Izquierdo, ex *Arte Magna Sciendi* Athanaſii Kircheri, & ſimilibus ſuaſiſſet in parte *prima*;

In *ſecunda* proponit artificium combinandi res quotcunque: quemadmodum in *tertia*, easdem comparandi, ſeu analogias rerum, ſimilitudines & diſſimilitudines inveniendi. Hiſce duabus enim aliis inſtructum, in ardua quarumvis facile artium evolare poſſe perſuaſus eſt. Et Combinatoriam quidem iſtam in Anagrammaticam diſpeſcit, Algebraicam, Elementarem, & aliam quæ edoceat, quoties artis, aut ſcientiæ cujuslibet principia, terminos, propoſitiones, ſyllogiſmos combinare fas ſit. Hinc quot inter ſe modis permutari cujuscunque numeri res poſſint ex multiplicandi oſtendit lege; a rerum interim permutatione, combinationem earundem diſcernens, fructusque varios enumerans, quos in locis Dialecticis, in modis figurisque ſyllogiſticis, in corporum primis qualitatibus conſtituendis Ariſtoteli; in extruendis vocabulorum anagrammaſi, Poetis: Kircherò in Muſarithmica, in Polygraphia Univerſali, in Arca Mathematica, in artificio mirifico linguarum, in Phyſiognomico, Medico, Chymico, aliisque arcanis inveniendis, præſtitiſſet hæc ipſa *Combinatoria*.

Analogicam deinde exemplis illuſtrat, univerſali maxime, a tribus petito mundis, nexu continuo copulatis. *Majoris* enim cognitioni intentum contemplari *minorem* jubet, & vice commutata: *medii* vero, id eſt, Politici orbis notitiam anhelantem, alterutrum, aut utrumque percurrere, & in cunctis ſingula per analogiam applicare ſingulis: Ita fore, ut omnia in omnibus, & in ſingulis ſingula reperiantur proportionaliter. Jam quantum hoc genus artis ſcientiis commodet, cum addiſcendis tum inveniendis, quibusve de cauſis id præ-

id præstet, edisserit: nec non quomodo unius Scientiæ principia ad aliam trahi possint & applicari; Medica v. g. ad Politicam, Metaphysica ad Physicam, proprietates puncti ad DEUM, qualitates Solis ad cuncta divinæ humanæque Sapientiæ semina.

Quarta parte Universalem sciendi artem persequitur Hebræorum, ex alphabeto; & Pythagoricorum, e numeris Scientiarum omnium secreta indagantium. Ubi de vanitate hujus artis, de Cabala Hebræorum falsa, ut & genuina; de abusu divinorum nominum apud Hebræos; de Cabala Pythagoricorum, de Prædicamentis Pythagoræ, eorumque origine & obscuritate, plura afferuntur.

Quinta sistit Aristotelicam, e Logicis Philosophi libris sic deductam, ut quantum doctrina unaquæque Organo comprehensa in universalis hujus artis usum conferre possit, nervose ostendatur. Lullianam examinat parte *sexta* ejusdemque non synopsin modo tradit & praxin, sed defectus quoque varios, inutilem eam efficientes: *Septima*, Lulliano-Kircherianam cum fundamentis suis & principiis, universalibus subjectis, usu, & addiscendi eam ratione.

Octava delineat Autor tyroni propriam. Analytico-Syntheticam dixit, seu Resolutorio-Compositoriam, quod Analysis & Synthesis, hoc est, resolutio quæsiti in aliqua principia, & probatio ejusdem ex principiis, nec non deductio ejus ad impossibile aliquod, utramque paginam hic faciant, sive in probanda thesi versetur, sive in oppugnanda. Deducere autem dicto jam modo consequentias ex re oblata cum difficile tironi videatur, perlustrare eundem propositi prædicatum jubet & subjectum, nec definire modo utrumque, sed etiam dividere: qua occasione adminicula ad utrumque præstandum varia, nec contemnenda, eidem subjicit, nullumve causæ genus ostendit esse, cujus ope rem explicare, nec ullum dari prædicamentum, cujus beneficio rem dividere non liceat.

Præcepta artis hunc in modum tradita, *Nona* parte magno illustrantur, ne de universali praxi quis dubitet, exemplorum cumulo, depromtorum e Scriptura Sacra, Theologia Scholastica, Polemica, & Morali; ex Jure Canonico, & Civili; ex arte Medica, & Chymica; ex Methaphysica, Physica & Logica; ex Ethica, Oeconomica, & Politica, nec non Mathesi; ex Rhetorica, ac Poetica; ex Agricultura deniq; & arte militoria.

Extremum Regiæ hujus viæ praxes exhibet non parum curiosas, viginti septem numero, expedite diffuseque discurrendi, disputandi, quæ-

quærendi, respondendi, scribendi, argumentandi &c. de quocunque themate, juxta artium hucusque propositarum, Analogicæ cumprimis, ductum institutas. Quas inter loco non postremo habendus est partus ille artis analogicæ satis ingenii habens & festivitatis plurimum, qui modum non unum nobis præbet de quocunque themate concionandi perorandique ex tempore, & pro eodem ex omni prorsus verbo, etiam minimo, non inveniendi tantum argumenta, sed memoriæ quoque imprimendi. Septem quippe argumenta dicendi de *Humilitate* v.g. quam sit accepta DEO derivat, nec invita adeo Minerva, ex Virgiliani versus vocibus: *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena*, pag. 376. seqq. Rursus diversa de *immaculata Conceptione* differendi argumenta ex illo Grammaticorum, *Quæ maribus solum tribuuntur, mascula sunto*, & quidem e singulis ordine verbis, arripit p. 392. Sic de *laude Principis* acturo, materiam vocalis sex, in Orationis Dominicæ præfatione contentæ suggerunt: de *Charitate*, octo argumenta illud Psalmi, *Dixit Dominus Domino meo: sede a dexteris meis*, suppeditat. Postremo *Viri Sapientis laudes* ex analogia, h. e. similitudine & dissimilitudine, quæ illi cum re prorsus disparata, v.g. cum fornace est, non absurde deducit, quo scil. probatum det, nullum sibi themа proponi posse, de quo aptam dicendi materiam capere non queat ex verbulo quolibet, & ex re quacunque, utut diversissima.

Quæ sub finem adjecta huic Viæ legitur Mantissa, theses aliquot Philosophicas cum curiosis incidentibus continet, in Disputatione quadam prosuprema Philosophiæ laurea a perillustri Juvene, Præside Autore, propugnatas & defensas.

Samuelis Pufendorff Einleitung zu der Historia der vornehmsten Reiche und Staaten/so ietziger Zeit in Europa sich finden.

SAMUELIS PUFENDORFII INTRODUCTIO in Historiam præcipuorum Imperiorum ac Rerumpublicarum, quæ in Europa hoc tempore existunt.

Francofurti ad Mœnum, apud J. F. Knochium, anno 1682. in 8.

In schö-

IN ſcholis quidem hactenus opinio invaluit, ſtudioſæ Juventuti veteris hiſtoriæ Scriptores potiſſimum proponendos eſſe, ut quæ olim poſt Chaldæos & Perſas, a Græcis & Romanis geſta leguntur, cognoſcant, neglecto fere recentis hiſtoriæ ſtudio. Sed errorem hunc confutavit nuper *Vir præclaris ingenii monumentis celeberrimus, Dn. Samuel Pufendorfius, S.R. Majeſtatis Sueciæ Conjugis Sereniſſimæ Secretarius & Hiſtoriographus Regius*, qui in gratiam privatorum diſcipulorum, quos in Academiis olim habuerat illuſtres, hanc *Introductionem in hiſtoriam recentem* compoſuit, quam cum alii Scriptoris nobiliſſimi fama allecti, paſſim deſcriberent, & eam inconſulto Autore typis exſcribere publicis molirentur, ipſe prius eandem jam in Suecicam linguam translatam revidens, eo idiomate, quo conceperat primum, hoc eſt, Germanico, in patria ſua publicari voluit. Quo ut præclare de hiſtoriæ & prudentiæ civilis ſtudio meritus eſt; ita ipſi gratiam haut minorem debent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ac S. Theologiæ cultores. Nam *ultimo* capite, quod eſt *duodecimum*, Pontificis R. ac Monarchiæ Eccleſiaſticæ ſtatum in compendio ſolertiſſime delineat; totam ſcilicet ejus ætatem percenſens, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quandam robuſtam maturitatem pervenerit, & ut poſtea ævo ſuperiori velut conſenuerit, ac D. Luthero divinum reformationis opus aggreſſo, iterum decreverit. Status rationem, ac intereſſe quod vocant Cleri Pontificii, accurate ſimiliter annotavit, dum arcanas doctrinæ Pontificiæ rationes indagavit atque expoſuit. Utiliſſimam hanc libri partem ante paucos annos non-nemo inſcio autore, Lipſiæ & Hamburgi, ſub *Baſilii Hyperetæ* nomine inprimi curaverat, quam nunc Autor doctiſſimus operi ſuo, unde quaſi reſecta fuerat, mutatis quibusdam locis, aſſeruit. *Status civiles Europæ* eo ordine, quo a quibusdam Geographis ſiſtuntur, deſcribit; præmiſſa in I. *Cap.* diſſertatione erudita de originibus regnorum ac fatis diverſis Monarchiarum quatuor, imprimis Romanæ. Inde digreſſus *Cap.* II. Regnum Hiſpaniæ, *C.* III. Portugalliæ, *C.* IV. Angliæ, *C.* V. Galliæ. *C.* VI. Statum fœderati Belgii, VII. Remp. Helvetiorum, VIII. Imperium Germanicum, IX. Daniæ, X. Poloniæ, XI. Moſcoviæ & XII. Statum R. Papæ recenſet. Quod dum optima autorum fide nixus, procul habito partium ſtudio præſtat, cujusque ſimul nationis indolem ac characteres, formam regiminis, vires & intereſſe, quod vocant, politicum, juxta communis prudentiæ re-

gulas observat atque declarat. Majus posthac opus, quo *historiam belli & pacis Germanicæ* complectitur, ab ipso orbis eruditus expectat, quod ut absolvat feliciter, optamus.

EXCERPTUM EX EPISTOLA DN. SIGISMUNDI KONIG M. D. & Inclytæ Reipublicæ Bernensis in Helvetia Physici ad Dn. Robertum Hoock, Regiæ Societati Anglicæ a Secretis, 2. Cal. Oct. a. 1681 data, monstrosi cujusdam morbi, admirandorumque Symptomatum Historiam continentia Collegii Medici Bernensis, aliorumque, nec non auctoritate & directione Magistratus certissimam complexa.

Ex Collectionibus Philosophicis Anglicanis no. 2. anni $168\frac{1}{4}$ p. 68. seqq.

Margareta Lauwera, sexus Œconti, Filia circiter ætatis annorum viginti quinque, honestis parentibus legitimo toto nata, Orthodoxia in sinu Ecclesiæ hujus enutrita, nostra concivis, modeste vivens, anno periodi suæ vigesimo primo, qui seculi fuit septuagesimus octavus, tempore verno menstruis deficientibus incidit in varios cruciatus acerbissimosque dolores, hinc inde jam supernas, jam infernas, jam dextras, jam sinistras corporis partes infestantes, variis subito sæpius ad palmæ latitudinem erumpentibus vesicis, limpida plenis, ardentissimeque flagrantibus, ut ignem sacrum subesse putares; & cito nisi dissecarentur, evasit dolor intolerabilis, mentemque deturbans; moxque sedatis ex una, fit eruptio ex altera parte. In his mitigandis & curandis cum detenti in Nosocomio Clementissimi Magistratus (Insula dicto) omnem operam cuncti navaremus, causam tanti mali ad acrimoniam lymphatici humoris singularem, & vim illi in glandulis subcutaneis stypticam impressam, ideoque coagulatum refluere non potentem referentes, quæcunque ars & methodus docent in demulcendo, dissolvendo, avertendo & vacuando isto humore, adhibebamus, pleraque frustra; dum tandem ratione & analogia ducti ad ptyalismum mercurialem confugimus, cujus effectus respondit: sicque post octimestrem curam mense *Martio* anno septuagesimo nono e Nosocomio viribus restitutis dimissa ad usū seri lactis caprilli chalybeati relegabatur.

Abhinc

Abhinc integre valuit ad tertiam *Januarii* anni octuagesimi, omnibus functionibus suis incumbens, quæ ipsa vesicarum eruptione iterum vexari, auxiliatricesque ac beneficas manus summi Magistratus in Nosocomio expetere cœpit, qua ejusdem quinta porrecta, omnis cardo in eo versabatur, ut præcedenti methodo de ptyalismo inniteremur; sed omnibus ante opus esse voluit ad ejusmodi majorum & arduorum remediorum usum corpus disponere, in quod intentis non tamen mota catharsi, fit momentanea a circumferentia in centrum, ab exterioribus in ima penetralia decima quinta dicti mensis humorum reductio, subito omnes evanescunt vesicæ, adeo arcte cuti se infigit cuticula, ne vestigia præcedentium permanserint, ex qua veloci revulsione cum nihil boni ominatus, etsi ægrota Deo hymnum cantaret pro divina subitanea e summis cruciatibus liberatione, sed decubitum acrium humorum in viscus aliquod nobile veritus, licet quinque dies *εὐθοείαν* summam ægra percipiebat, nusquam tamen destiti discutientia & diaphoretica temperata propinare recidivæ vel majoris mali metu.

Evenit vigesima hujus lerna malorum & omnis judicii illusio, querebatur dolorem lumborum, vesicæ, perinæi & inguinum, cum virium prostratione, inappetentia, nausea, notabili inflammatione, & sanguinis *ἐνπνοία*, retentione urinæ, pulsu celeri & intercepto, unde nephritidem concludere erat necesse: quapropter secta vena præparatur ex nephriticis & frigidis seminibus blanda emulsio, injicitur clisma ex emollientibus frigidis paregoricis, mox injectum, omnium stupore, horæ intra quadrantem rejicitur per os; repetitur idem & superne rejicitur idem cum quantitate instar trophi lapillorum ad unciam semis, nullis unquam excrementis permixtis. Fiunt insessus, semicupia, applicantur vesicatoria artubus ad humoris noxii revulsionem, anodyna & resolventia lumbis & pubi; repetitur ob æstuantia viscera venæsectio, sanguis apparet rubicundus, insipidus, cum pauco sero subflavo, cito concretus; remittit febris; propinantur ex pulpis decocta solutiva, quæ tamen cuncta cum jusculis, aut aliis assumptis vomendo quantitatem lapidum, mox duriorum instar silicis, & frusta corticum marmori albo simillima durissima rejecit. Iterum transitur ad clismata pari ut dictum successu per superiora, nisi quod quantitas lapidum excretorum augeretur, & ut priores exigui pisorum instar, hi

avellanas minores nuces, quas tamen mox excedebant, magnitudine æquabant. Vesica summo dolore mejendique desiderio premebatur, applicato cathetere ne gutta fluxit, inhærebat ipse velut glutini infixus, ut vi retrahi debuerit, nobisque tangentibus vesicam muco repletam declaravit. Suspicabamur non immerito, in renibus & vesica glandulisque mesenterii generari calculos, prout in ventriculo & intestinis ἐντερία docuit. Venter in aliquam, non tamen nimiam, molem, cum oppressione præcordiorum & spirandi difficultate intumuerat, acutissimum dolorem pungentem & lancinantem in regione dextri renis & sinistri hypochondrii ferens; fragor invicem allidentium lapidum vel admota manu vel citato vomitu audiebatur, in hunc usque diem durans; ac in enixu sæpius observatum, lapillos confractos ab aliis intus restantibus avulsos esse; sed quod maximum est, toto durante morbo, ægra εὐσαρκὴ, bene colorata, facie florida mansit. Nitebamur itaque omni nervo humorum concretionem impedire, & concretos dissolvere, varia menstrua quærentes in volatilibus martiatis & urinosis, sed extra spiritum nitri in usum vocatum nullum dissolutione efficax esse potuit; & his juxta alia auxilia adhibitis, ut injectione in vesicam ex variis decoctis tam de mineralibus, quam expressis plantarum succis, perficariæ, &c. ad mucosæ illius substantiæ in vesica dissolutionem, nil tamen obtinere; sed mox anodynis ob exquisitissimum sensum, mirum in isto muco, concurrere necesse habuimus. Tandem secunda & duodecima *Februarii* extrahebantur Cathetere circiter urinæ viridis & crassæ unciæ quatuor; cibus abhinc paucus, nullaque sitis urgebat. Interim cum unum alterumve cochlear juris carnium vel hordeati, aut alterius sorbilis medicamenti vi caperet, repente revomit de die bis, ter, lapillorum circiter unciam semis ad drachmas sex, plus minus, ad decimam quartam usque. A qua ad sextam decimam *Junii* elapsos quatuor menses, nec edit nec bibit, sed quamprimum solum cochlear brodii propinaretur, statim vomitu cruento exspuit lapillorum majorem quam antea copiam, ut cruciatus contra ipsius voluntatem irritando omni offerendo cibo potuque abstinere hoc tempore debuerimus. Mansit itaque ægra totum quadrimestre abstemia, non edens, non bibens, non sumens remedii quicquam, quam quinto sextove die cochlear exiguum olei amygdalarum dulcium spiritu nitri impregnatum, quod optimum solvens in hoc affectu repertum, ægræque supra alia, remedii genus acceptum erat, ut uncias novem

vem ad decem hoc integro tempore adſumſerit. Alvus hactenus conſtricta manens, quum varie cliſmatibus tentaretur, ſemper ſingula ſurſum rejiciebantur, lapillis variigeneris, albicantibus, rufis, griſeis, aſperis, lævioribus, mollioribus, durioribusve magna mole comitantibus, mox homogeneis uniusque ſubſtantiæ, tophis, ſilicibus, cruſtis marmoreis, mox heterogeneis, compoſitis ex cemento cum ſilicibus; horum alii cruore, alii muco chyloſo obducti, alii omni aliena admiſſione immunes excernebantur; dyſuria premebat, ſed non niſi de decima ad duodecimam mane, licet tertia quavis die catheterē injecto, ad uncias duas vel tres pro vice ad ſummum & mucoſæ viridis urinæ elici poſſit, cum alius liquor, quam qui per cliſmata, ſuppeditatus non fuerit. Attamen his intermediis nullo immutato neque in victu, cum nullum ſumpſiſſet, neque in remedio, cum aliud tolerare non poſſet, & urina ſexto *Aprilis* ſolveretur, unciæ tres fluxerunt cæruleæ tranſlucidæ & tenues, ſaturate coloratæ, nec vero ultra durarunt; ſiquidem 17. urina iterum ſubviridis & media parte diſſoluto ſabulo griſeo impleta matula apparuit, unde diſſolutio tartari argumentum mox evaneſcens, cum ſymptomata doloresque adeo ingraveſcerent, ut mentem ſede moverent, hinc deliria, mox ſtupor, riſus & cantilenæ, febris absque ſenſu, mox atrociſſimus lumborum dolor, ut de punctione conquerenti ſi cultellus ægræ admiſſus fuiſſet, ipſa intrudiſſet. Tandem his ſymptomatibus perverſis capti, rati ſumus quocunque modo illud corpus movere, quapropter gr. 2. Mercurii vitæ in aqua frigida fontana ſoluti 29. *Aprilis*, ut & gr. 3. 2. *Maji* propinavi, non alio ſucceſſu, quam quod drachmas ſeptem lapillorum duobus motibus evomuerit. Inde octava *Mercurii* vivi in tanta alvi conſtipatione uncias quatuor, & ad ſolutionem tartareæ materiæ, & excitandum ptyaliſmum, ut & 10. ejusdem, uncias ſex propinavi, ſed præterlapſus *Mercurius* anumque excidens, partim in lecto, partim in hypocauſto recolligebatur, cujus quantitatem per inteſtina circulati mecum reſervo. Quid ultra? Sic vita agebatur abſtemia ad ſextam decimam *Junii*, qua inteſtina aqua frigida eluere magna quantitate, in qua ſal polycreſtum ſolutum, ſtatui, duas horas lecto me applicui, de quadrante in quadrantem uncias ſex propinando, ſic ut libras tres fontanæ biberit, os ipſi comprimens, vomitumque cohibens effeci, ut ſub veſperam ſubſequuta ſit craſſiſſimorum juxta & duriſſimorum alvi excremento-

rum dejectio, ad metum ruptionis tantopere anum distendentium, sic quod integris 4 mensibus varie & incassum remediis tentatum, una Aqua omnia fontana solvit: hic deliria remiserunt & appetitus resuscitatus: Ergo ad aquæ simplicis acidularumque usum balneaque transgressum, tertia die omnino reluctante iterum natura abstinuimus. Interim in *Novembrem* alvi dejectio quinta sextaque die pauca sed libera erat, intercidente vomitu, adeo ut calculi jam superne & inferne dejicerentur, tantæ magnitudinis sæpius unus alterque drachmas duas non modo ponderabat, sed excedebat, quorum copia penes me; & facile conjicere est non absque cruore, asperos illos & acuminatos lapillos, summoque dolore dejici potuisse. Hoc intermedio tempore, *Septembris* quippe mense, cum ab eo quo rursus cibum licet paucum caperet, remediis aperitivis, diureticis, emmenagogis, ac diaphoreticis non destitissem, menses, ardentesque veficæ quales prius, erupere: Unde spes λύσεως & μεταστάσεως affulsit, ni cito omnia evanuissent, hactenus irreconciliabilia. Cumque abhinc ad quintam *Novembris* natura in sua μεταμορφώσ nihil immutasset, alvus iterum constipari, cordis vires opprimi, omniaque inversa viderentur; & ipsa prius in intestinis recondita excrementa sursum rejicerentur, spes omnis convalescentiæ cessit, sed divina gratia motus hic non nisi quinta, nona & quinta decima *Novembris* contigit, dum decocto solutivo ex pulpis natura immutasset; reducta in priorem statum alvo, urina semper suppressa, cum summa necessitas urgeret, quarta *Februarii* anni currentis injectus catheter nihil eduxit, sed mox expetita matula ægra urinæ subviridis & fæculentæ nixu parturientis omnium admiratione capta lib. 8. absque illo tamen calculo eminxit; a quo vesica plane recluſa, loco descensus altero tertiove die urinæ graveolentis quantitatem unciarum iij. vel iiij. ad 16. *Maji*, ore dejecit. A qua cum balneis fontanæque largo potu nitri spiritu permixto hac æstate uteretur, res eo devenit, ut facie florida incedere queat, modice comedat, urinam singulis claram subflavam cum tenui hypostasi, aliquando mucosam & cruentam ad *drachm. iij.* vel *drachm.* v. alvum vero quarta die sed paucam duramque deponat, subinde vomat, sed minorem longe quam antea lapidum quantitatem. Interim quod onus natura œsophago excreverat, nunc quoque vesica sæpius acutissimum lapillum excernendo reddit; Abdomen aliquantum, duritie in sinistro hypochondrio, dextraque lumborum regio-

regione dolente, remanente, tumens, contrectatum, obtusum strepitum allidentium lapidum edit.

Et ut calamitas nulla sola, sic sors contigit miseræ, ut gradus descendendo aliquot ceciderit, non humerum modo sed & cubitum dextrum cum carpo quarta hujus dislocarit. Aſt convalescens, singulare divinæ potentiæ argumentum, vivit superstes, subjectum humanæ tragœdiæ & campus amplissimus exercendi ingenii.

Quam enim mirum est, hominem bene valentem in tartarum subito commutari?

Tartarum non unius, sed diversi generis, in imis penetralibus enasci?

Tanto pondere e corpore durum ejici, ut quinque libras lapilli, si omnes coacervassem nullique hinc inde distracti fuissent, ipseque communicassem, exæsissent?

Tam diversæ a tophis podagricorum substantiæ? Cum hic mucosa aeri exposita materia incrassentur, nostri vero resolvantur, quod de primis nolens observavi, cum scatulam e ventriculo excretorum aeri relinquendo expositam, in pollinem redacti sint: e contra in spiritum vini aliumve liquorem extra subtilem acidum immissi indurentur.

Quæ vesicarum protinus emergentium sub epidermide flagrantium & redeuntium causa?

Quæ ratio inversi peristaltici motus valvulæque intestinalis?

Quæ via ab ano ad œsophagum clismatibus excernendis data sit? cum durissimis & crassissimis excrementis Colon cum Recto infarctum fuerit, ut enixus demonstrabat.

Quis iste mucus in vesica?

Quæ causæ colorum viridis & cærulei urinarum perspicui?

Quis locus retentæ urinæ dandus, cum antea cathetere nihil, dein naturæ impetu summa & exeedens quantitas fluxerit, mox cohibita?

Quæ via urinosi laticis per fauces regurgitandi?

Tandem quæ abstinentiæ causa, & unde corpus sine cibo & potu enutriatur?

Sed quum mysteria inter sua viscera natura sagax plurima recondat, Anatome si faxit Deus nobis non pauca cum tempore patefaciet.

Obser-

OBSERVATIONES QUÆDAM DE CALCULO in Equo quodam reperto habitæ & Regali Societati exhibitæ, ab H. P. M. D. & R. S. S.

Ex collectionibus Philosophicis Anglicanis no. 7. a. 1682. p. 191. sqq.

CUM non ita pridem honoratissimæ huic Societati, rerum rariorum studiosissimæ, immensæ molis calculum in villa *Lambethana*, ex equi visceribus exemptum obtuleram, in mandatis tunc habui, ejus & equi pleniorem historiam indagare, & exponere. Sunt qui magno conamine, & fastu rationes expediunt, quare res sit, cum tamen ea, si strictiori examine probetur, minime sit. Omnia quæ tunc fuerunt acutiora torsit ingenia pueri Dens aureus, cum non esset nisi deauratus. E contra etiam Cl. Salmasius, vir in re literaria primi nominis, sedulo causas quærit, quibus *Aristotelici Problematis* fidem firmet, nullum animalium calculosum esse præter hominem. Quippe in cæteris animalibus majoribus præsertim vesicæ meatus laxiores sunt, per quos terrenus, & crassior humor facilius & liberius exiret, & inde ait mulieribus & puellis Calculos rarius nasci, quam in viris & pueris. Atque inde insuper pueros frequentius Calculo laborare quam senes. Calculo autem Renum quadrupedes non esse obnoxios argumento probat, ab ipso eorum statu, & positura ducto, qua semper in terram prona sunt, unde humor ille corporis saccatus, qui per Renes eorum transitum habet, non ibi moratur, nec desidet, sed quasi suspensus vix ibidem potest inhærescere. Tam versatile autem ingenium est hominis, ut alii cum jam constet Calculos etiam in quadrupedibus gigni, non solum has rationes nihil hic valere probent, sed etiam ex altera parte stare, & in eam sententiam, quam firmare videntur, e diametro prorsus pugnare. Patentiores enim qui sunt in majoribus animalibus quam in homine meatus, crassius admittunt sabulum, & acinis confertim confluentibus liberiorem aditum faciunt, quæ sese in itinere arripiunt & prehendunt, & in eam tandem in vesica accrescunt molem, utpote cui per meatus urinarios minime pateat exitus. Quod alteram partem spectat, humor iste in corpore lixivialis in animalibus, quæ prono incessu pergunt, aptior

aptior est concrescere, quia mora & otio torpescit, & inde viscosus evadit: in homine autem erecto serum sanguinis citatiori itinere quasi ex alto in renes defluit, nec inde in arenas coalescit. Sed hæc obiter; redeo ad id, quod in me suscepi. Erat Calculus pondere quatuor librarum, & totidem unciarum, magnitudine quasi capitis humani, & figura non multum absimili, oblonga quidem, non tamen tam rotunda quam sima. Ea quæ quotidie & constanti lege fiunt, negligimus prorsus; in quibus aut errat, aut ludit Natura hæremus, & plane cœcutimus. Ut autem huic rei, in tenebris licet peractæ, aliqualis saltem lux affulgeat, rogo de calculi situ, de equi conditione, ætate, & an aliquo indicio constaret de sanguinis mictione, de urinæ difficultate, stillicidio, aut omnimoda suppressione. Vulgus autem hominum semper fere in his rebus incuriosum est; jumenta si in eo opere, quod severe exigunt, fideliter persistant, nihil ultra quærunt, nec aliud quicquam pensi habent. Ille qui Calculum exemerat, partium opinor earumque situs ignarus, asserit illum inventum esse inter vesicam & intestinum. Et tamen fortasse non totus a scopo & rei veritate aberravit. Calculus quippe ex una parte planus erat & lævigatus, utpote per quam urina continuo cursu non sine lucta & nixu, propter angustum illi relictum locum colata pertransierat; ex altera parte, quæ vesicæ incumberet & adhæreret, asper & rugosus, lapidem bibulum referens, qui cum mole & pondere quotidie crescret, instar lapidis molaris totam tandem corruperat teneram vesicæ tunicam, ut ejus nullum prorsus maneret vestigium. Et forte, si quis attente adverteret, ipsum simum propter pondus intestino recto incumbens in aliam, quam qua solet, figuram compressam etiam cum difficultate excerni notaret. De equo dominus, sub quo per duodecim annos fido obsequio & labore meruerat, hæc retulit. Erat statura quindecim palmarum, destinatus pannis vehendis & revehendis, nunc sinceris, nunc coloribus infectis. In iis, quorum nulla certa constat ratio, omnia suspecta habentur. In pannis tingendis plurima peruntur ex mineralium familia, calcanthum, alumen, variique sales, & alia etiam cognatæ sortis ex animalium & vegetabilium classe, quorum etiam hic frequens usus est.

Panni his rebus infecti, & calentes ex puteis extracti in equum coacervantur, qui sub hoc onere gemit & fatiscit. Hic fortasse non

inepte quæri poteſt, annon ex his tam arcte preſſis & cohærentibus ſubtiliora exeant effluvia, quæ furtiva inſpiratione attracta, aliquid ſaltem faciant ad calculi concretionem, & particulas ſalinas glutine quodam congregent, & uniant? Non parum momenti habet in fide huic conjecturæ facienda, quod liquor iſte, quo tinctores ſæpius utuntur, Spiritu vitriolico fœtus concretionem maxime promovet. Quod videre eſt in pluribus Angliæ locis, ubi Spiritus iſte obtinet, qui quicquid illi obviam fit arripit, ligna, teſtas, paleas, cruſta lapidea involvit. Magna ſæpe fiunt ex minimis, diuturna præſertim conſuetudine repetitis. Niſi hodie exoleſceret prorſus opinio, quæ diu apud antiquos immota ſtetit, Renum ſcilicet calorem easdem in Calculo faciendo partes habere, quas ignis habet in lateribus coquendis, hic inprimis valeret, cum equus ſub monte quidem pannoſo, etiam dorſi regioni impoſito, quotidie laboraret, & anhelaret.

Tam religioſe olim cavebant Veteres, ne intenſus calor renes adureret, ut lumborum regionem laxo ſolummodo linteo defenderent, ita ut dorſum non pectus feneſtratum gererent. Affirmat Salmaſius, ſe plerosque vidiſſe, qui Calculũ in Renibus ſolummodo contraxerant, quod menſæ adſiderent obverſo ad ignem tergo. Alio quidem reſpectu renibus inprimis nocet fervidior æſtus, qui tamen Calculo, niſi materiam inveniat, quæ apta ſit concreſcere, ſuum haud confert ſymbolum. Ab itineribus per aliquot annos Equus deſueverat, ita ut nec ephippium nec ſeſſorem ſine ſumma lucta & protervia admitteret, quaſi rectius & levius ſederet ſolitum & quotidianum onus, novum autem maxime irritaret: aut provido ſenſu præſagiit, ſi ad iter ſe accingeret, onus, quod jam quaſi in pulvinar, dum pedetentim pergit, quietum reclinabat, citatioris curſus exagitatione graviores cruciatus, & moleſtias daturum. Id quod ſæpe videre eſt in hominibus Calculum filamentis quibusdam in æquilibrio ſuſpenſum diu ſine magno incommodo geſtari, illis autem vehementi aliqua lucta & contentione ruptis in collum veſicæ prolapſum, unde acerrimus in tam tenera & ſenſili parte dolor, quem miſera mors excipit. Erat inſuper Equo pro pabulo quotidiano fœnum aridum; herboſis & liberioribus paſcuis per aliquot annos raro aut nunquam gaudebat, in quibus aut commune remedium inveniret, aut fortaſſe ſingulare aliquod ſeligeret, cujus vim & virtutem ſenſus & experientia comprobaſſent. Quidni enim

eandem

eandem cum aliis animalibus demus solertiam? Canis cibis distentus & gravatus sedulo discurrit, & inter mille alia peculiare suum quærit & eligit gramen, quo vomitu provocato ventriculum onere suo liberet & relevet. Cervus sagitta sauciatus ad suum statim festinat probatissimum in hoc casu dictamnum. Felis, sive male, sive bene se habeat, nepeta sua se relevat & recreat, quæ ideo de suo nomine Cataria, & mentha felina nuncupatur. Equus etiam hic bis quotannis, verno scilicet & autumnali tempore, macrescere, & in partibus posterioribus præcipue ita hebes & languidus fieri solebat, ut ægre & vix pedes expediret, & post se traheret. Gravi scilicet onere oppressi fatiscunt spiritus. Ita sæpe videre est membrum aliquod graviori ictu contusum, & spiritibus destitutum atrophia tabescere, & inutile fieri pondus. Octo autem aut decem ante mortem dies urinam minime reddidit, Calculo scilicet ita omnem capacitatem oppletente, ut nullus daretur urinæ transitus. In solum jam se projicit, se verberat, volvit revolvitque, terram pedibus proscindit, & omni, qua potest vehementia, acutissimi doloris exprimit sensum. Sed quod magis adhuc mirum est, per totum illud tempus, quo urina non profluxit, etiam oblatam aquam pertinaciter aversatus est. Quasi ex ipso Naturæ instinctu sentiret, aquas, si non transeant, altiores assurgere, & longe graviora creare tormina. Cum miram hanc Calculi historiam pro unica propemodum haberem, omnibus fere numeris occurrit eadem in libro cui titulus, *Le Journal de Scavans*, Gallico idiomate scripto. Hæc si raritatem minuat, talem tamen Calculum dari posse firmat fidem.

DEL CHIACCIO, e DELLA COAGULATIONE Trattati, del P. Daniello Bartoli, della Compagnia di Giesu. Roma, 1681, in 4.

hoc est:

Danielis Bartoli, Soc. Jes. Tractatus de Glacie & Coagulatione. Romæ 1681. in 4.

INclaruit jam Autoris præsentis notitia Physica, edito non solum *Venetiis in 12. anno 1678.* eleganti Dialogo, in quo Tensio & Pressio differunt inter se, cujus potentia argentum vivum in phialis vacuis

sustineatur, sed & *anno 1680* Bononiæ in quarto, integro volumine *de sono & tremoribus harmonicis, & de auditu.* Sequitur jam præsens Scriptum binos in tractatus distributum, quorum *prior* circa modum glaciationis, circa modos coagulationis *posterior* occupatus est. Sectatur equidem Autor in suis principiis ubique *Peripatismum*; simul tamen haud obscure colligi potest, modernorum scriptorum, præsertim qui experimentalis Philosophiæ laude cluent, diligentem admodum & lectorem & examinatorem laboriosum illum ipsum existere.

Præmissa ergo prolixa Introductione, in qua Deum operibus naturæ etiam minimis, ingeniorum nostrorum arrogantiam deprimere ostendit; Cap. 7. nervum totius Tractatus primi tangit, duas quæstiones, quasi cardinales, in eodem principaliter tractandas, præmonendo: *1. An congelatio aquæ fiat per condensationem secundum Aristotelem, an vero per rarefactionem? 2. An sola potentia frigidi & sicci glaciem efficiat, an vero præterea tertium quoddam, sive vapores, sive spiritus, sive atomi, a quibus quasi coaguletur aqua in glaciem, requiratur?* Pro harum itaque decisione probabiliori, mox sub libri frontispicio duo insignia quasi impedimenta, binas scilicet opiniones doctas & ingeniosas, de modo congelationis, removet, *Francisci* nempe *Vallesii*, Med. & Philos. & *Rob. Boylii*, Nob. Angli, quorum uterque, ex oppositis licet penitus principiis, tandem concludat, glaciem ex aqua a se ipsa oriri, sive per naturalem quandam consequentiam, h. e. necessariam causarum subordinatarum fluxum. *Vallesii* quod attinet sententiam in *Philos. Sacra*, aquam ceu summum in Natura frigidum, natura congelationem appetere, seu ad eam inclinare, cum frigus congelans summo isto seu primo frigido intensius esse nequeat, eandem cap. 1. propositam, 3. refutat, postquam c. 2. male ac non sufficienter argumentis Carnesii impugnari illam, docuisset. *Boylii* vero hypothesin, aquam ex parvis particulis corpus non tam continuum quam contiguum constituere, ita ut particulæ istæ in continuo sint motu & agitatione, qua undeeunque cessante, glacies per quietem immediate generetur, quoad tria hæc præsupposita & examinat, & pariter c. 4. 5. 6. 7. rejicit.

His ita excussis, ad ipsa Congelationis phænomena propius accedit, recensendo 22 experientias sive observationes principaliores, totidem capitibus comprehensas, circa glaciei proprietates & conglaciandi modos, ab aliis, ut plurimum modernis, iisque fide dignis & experimentorum

mentorum fulcro innixis scriptoribus, annotatas partim, partim & communicatas, quas accurate semper ventilat & examinat: quo commodius inoffenso pede ad quæstiones istas decidendas pergere queat.

Capite ergo 31, pro prima ista cardinali quæstione, ex Peripato concludit, *condensari aquam sub sui congelatione, non vero rarefieri.* Cum enim rarefactio sit, dum eadem materia, citra alterius materiæ superventum, dilatatur, & in majorem quantitatem distrahitur, sub aquæ vero glaciatione, copiose admodum aer eam subintret, & glaciem repleat, qui in specie sit levior aqua, conciliabitur ab hoc ipso aquæ major *dilatatio & levitas*, ast non *rarefactio*: nec obstare, quod glacies & aqua, ex qua coalescit, vel in quam resolvitur, sint ejusdem ponderis; siquidem ex diversitate medii aerei & aquei, in quo fit ponderis examen, hoc dependeat.

Cap. vero 34. ad alteram quæstionem cardinalem accedit, postquam *c. 32.* varias opiniones de modo glaciationis recensuisset, & *c. 33.* quædam præsupposita, velut, nec solum frigidum, nec solum siccum esse glaciei causam, elementa quævis mista & confusa esse quamplurimis aliis particulis & corporibus, & aquam speciatim spiritibus salino-nitrosis diversis esse imprægnatam, exactius trutinasset, concluditque tandem, *glaciem fieri a frigido & sicco, ceu caussis adaquatis*, nec alia opus esse qualitate aut substantia, quæ aquam tanquam coagulum lac constringat; spiritus vero salino-nitrosos in aqua promovere quidem utcunque congelationem, sed hoc saltem, quatenus & ipsi frigidi & sicci sint. Subjungit his denique *c. 35.* ac ultimo Phænomena ac accidentia varia, sub aquæ congelatione notabilia, quæ ex sua hypothesi explicare nititur.

Tractatus II. saltem appendix videtur, priori isti adjecta, idque ex occasione oppositorum, cum congelatio sit accidentaria, violenta & naturæ injuriosa; coagulatio vero adeo essentialis eidem, ut sine illa pauciſſima componantur & producantur: unde & speciales tantum modi quidam coagulationum regni animalis & vegetabilis ab Autore considerantur. Præmissis ergo *c. 1.* aliquot observationibus coagulationum fluidorum levi quodam & simplici artificio, *c. 2.* circa animalia observat, humores quosdam corporis illorum non esse coagulabiles, salivam, lacrymas, sudorem, urinas: quosdam vero esse coagulabiles, serum sanguinis, lympham quamlibet, etiam pericardii & pan-

creatis. Sanguinem, quousque intra venas fluctuat, fluidum esse, qui simul ac extravasatus sit, de seipso coaguletur. Causam hujus Phænomeni, quoad prius membrum, negat *c. 3.* esse motum circulatorium illius, negat pariter, quoad posterius membrum, *c. 4.* ope fibrarum sanguinis illud fieri, cum potius fibræ istæ sint novum productum, in sanguine exhausto & refrigerato genitum ex partibus terrestrioribus, quæ in coagulum crassius subsideant, & caseosæ lactis portioni respondeant: quin potius in *Thomæ Cornelii Consentini* castra transit, dum affirmat, *præsentiam halitus tenuissimi vitalis sanguineas atomos incitare continuo, ut solutæ fluant, & nunquam inter se cohæresçant, cujus expiratione sanguis concresçat.* Attingit denique *c. 5.* coagulationem ossium, quam ex prædisposita nonnihil materia per vim seminalem oriri asserit: miratur simul potentiam canum in resolvendis iisdem in subtilissimum pulverem, quam ex Helmontii aliquot locis potissimum illustrat.

Quoad Vegetabilia, horum ex semine generationem, ex nutrimento coagulationem perpendit, & *c. 7. ac 8.* recte declarat, quamvis arborem ac plantam non tantum virtute sive potentia, sed potius mole minima in suo semine delitescere, nec esse hoc solam plantæ inchoationem, nec cadaveris modo se habere, sed potius embryonis instar animapropria jam informatum esse: quod semen *c. 9.* generetur ex subtiliori, spirituosiori & vivaciori totius plantæ substantia, cum humido oleoso permista, & in eodem concentrata, quæ omnia ex medulla, ceu parte plantæ vivaciori deriventur: exinde enim esse, quod citrus aurantio insita pomum perfectum citrium, semine tamen aurantii proferat. Aggreditur postmodum specialius coagulationem plantæ, sub sui ex semine formatione, considerare, ita quidem, ut *c. 10.* in semine hoc, terræ ceu matrici suæ commisso, spiritus antea sopitos, calore vernali excitari asserat, a quibus blanda cum cæteris particulis fermentatione aperiantur pori pro humidi nutritivi meliori susceptione; idque cum sit aqua, prout scil. existit, eaque ad quasvis plantas indifferenter se habeat, vi plantæ propria ac seminali transmutari in succum appropriatum, ut coagulata in augmentum totius abeat. Excitatos vero ita spiritus magis magisque, per humidi penetrationem, fere instar particularum ignearum in Calce viva, blandam fermentationem cum sale dulci vegetabili, ceu principio vegetationis, & acido

sulphu-

ſulphuris innati, ceu principio coagulationis concitare, ita ut ex aqua ceu principio communi, ac ſale & ſulphure plantæ propriis, liquor nutriendo cuivis parvæ plantulæ membro aptus emergat. Jam vero in plantula ex ſemine propullulante, cor quaſi eſſe juncturam iſtam inter binas plantulæ medietates, in quam ſemina ſe explicant (utut anima plantæ ſit tota in toto, & tota in qualibet ejus parte) & ex qua partim deſcenſus radicis in terram, partim aſcenſus ſupra terram in truncum fiat, in quo corde prima humorum contingat alteratio & coagulatio, quorum quod ſit præſtantius, in medullam abeat, ex qua melior portio in ſemen denuo colligatur. Pergit denique *c. 12.* ſpecialiter texturam plantarum mirabilem, juxta vaſa & nervos exponere, partim ſecundum experimenta *Malpighii* in *Anat. Plant.* partim ſecundum proprias, in quibusdam vegetabilibus, in ſpecie, Scolymo ſive Cinara obſervationes, una cum reflexione, *c. 13.* in modum, quo ſuccus nutritius per totam plantam diffundatur, num attractione, an preſſione fiat: in quo negotio ſecundum Cæſalpini allegatam explicationē, priori ſententiæ adhæret.

DE MOTU ANIMALIUM JOHANNIS Alphonſi Borelli, Neapolitani, Matheſeos Profeſſoris, Opus poſthumum. Pars prima.

Romæ, 1680. in 4.

SI ex ungue leonem dignoſcimus, ex Scripti præſentis poſthumi Auctore ſtatim quoque de præſtantia illius, quantumque hoc ab aliorū hujus ſeculi ſcriptis tantium partubus diſter, augurari licebit; utpote quē alia jamdum edita præclara opera, ſcilicet *Tractatus de febrium maligna rum cauſis, Euclides reſtitutus, Commentarius in Apollonii Pergæi Conicorum libros 5, 6, & 7. Theoricæ Mediceorum planetarum, de vi percuſſionis, de incendio montis Ætnæ a. 1669, ac de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, poſteritati ſeræ non minus, ac Eruditis noſtri temporis, commendabunt. Poſt tot itaque Borelli noſtri doctiſſima ſcripta conſummatum tandem præſens hoc de motu animalium opus, poſt Autoris fata, auſpiciis CHRISTINÆ SVECIÆ REGINÆ, curante vero *Carolo Jo. a Jeſu, Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum Præpoſito generali*, publicam in lucem prodiit, cui ſimile, in hoc quidem argumenti genere, viſum hactenus non eſt.

Quam-

Quamvis enim plurimi ex antiquis æque ac recentioribus Scriptoribus quam perſpicaciſſimi de motibus animaljum egerint, nemo tamen eorum hac ratione rem aggreſſus eſt, prout Borellus felici ſatis ſucceſſu fecit, totam animalem oeconomiam ſub tractatione hac complexus, ac propoſitis innumeris problematibus, egregiis ſcituque jucundis, iisdemque per mechanicas demonſtrationes declaratis, quæ tetigit hactenus nemo, aut tractare certe ea ratione nemo ſeu curavit, ſeu potuit; ita ut inpoſterum hæc etiam Phyſices pars Mathematicis demonſtrationibus ornata, non minus quam Aſtronomia, inter Phyſico-Mathematicas diſciplinas recenſeri queat.

Diviſit Auctor opus in partes duas, quarum prima anno 1680 edita, de conſpicuis animalium motionibus, i. e. de externarum partium & artuum flexionibus, ac extenſionibus, ac tandem de totius corporis molis ab uno ad alium locum translatione triplici, ſcilicet greſſu, volatu, & natatu, agit: altera demum anno 1681 lucem publicam vidit, & cauſas motus muſculorum, ac motionum internarum, nempe humorum per vaſa & viſcera, rationes explicat.

Quoad primum ergo volumen, in hoc ante omnia muſculorum fabricam & figuram declarat, horum ſpecies recenſet, actionemque explicat, ac ſimul *Stenonis* de illorum ſtructura & operandi ratione dogma examinat atque redarguit. Quo facto muſculos duplicem vim præſtare ſupponit, unam quæ ab ipſa fibrarum illorum ſtructura dependeat, & quam contra ſuos antagoniſtas exerant, fibris propriam dicendam: alteram, quæ a cauſa extrinſecus impellente, ſeu ab imperio voluntatis emanet, & in contractione validiſſima ac voluntaria conſiſtat, vitalem ideo appellandam.

Quamvis autem prioris virtutis motivæ quasdam reliquias paulo poſt mortem quoque animalis reſtitare, evidens ſit, exiguum tamen ſatis illarum gradum eſſe, inde colligit, quod a pondere paucarum librarum illa vis ſuperari valeat. Econtra ratione poſterioris ſeu vitalis virtutis, quam vulgo quidem cum priore confundunt, gradus, veteres erraſſe cenſet Noſter, dum ope machinæ muſcularis, debili vi motiva totum animalis corpus notabiliter grave ſuſtineri ac impelli, imo ingentia pondera ſublevari, docuerant: contrarium potius aſſerens, magna nimirum virtute parva pondera elevari ac ſuſtineri, ita ut multoties virtus motiva centies & millies pondus oſſium & articulorum moven-

movendorum superet, nunquam vero illo minor existat, quod per potissimum primæ hujus partis tractum variis theorematibus ac Lemmatibus mathematicis prolixe confirmat.

Atque hoc dum præstat, inter alia phænomeni illius Anatomici, cur tendines musculorum non in capitibus aut extremitatibus ossium articulandorum, sed in eorum productionibus, prope articulum, & quidem directione ad ejusdem ossis longitudinem obliqua, alligentur? Hinc, in specie, potentiæ motivæ musculorum nonnullorum, v. g. cubitum ac tibiam flectentium, femur extendentium, deltoidis, ac maxillam flectentium atque manforiorum structuram ac vires mirandas determinat, & posteriorum quidem potentiam motivam in homine fere librarum 534 vim, in brutis autem, v. g. canibus, leonibus &c. propter rostrum horum oblongius, potentiam librarum 1350 superare (stupendam sane) evincit. Pariter vim motivam musculorum intercostalium, postquam thoracis & maxillarum conformitatem atque differentiam exposuerat, indagare contendit, & fibrarum omnium musculorum intercostalium multitudinem duplo fibras musculorum temporalium & masseterum superare, illarumque inclinationem anguli semirecti, qui vires in proportione sesquialtera auget, attendens, vim musculorum intercostalium humanorum resistentiam ponderis 1068 librarum superare infert: in parenthesi quasi allegans experimentum in Anglia superioribus annis factum, quo pondere librarum 100 super vesicam suillam aere semiplenam impositio, nihilominus hanc ab aere, e thorace hominis gracilis insufflato, distentam, simulque grande illud pondus elevatum fuisse observarunt. Imo postmodum sese corrigit, & vim motivam absolutam musculorum temporalium ac manforiorum in homine non minorem esse vi ponderis librarum 16020, intercostalium vero potentiam proxime accedere asserit ad potentiam ponderis 32040 librarum. Atque his peractis proceditur Autor ad operationes ipsas partium & totius animalis, sc. motus artuum varios atque hinc resultantes corporis agitationes, præprimis vero gressum, volatum & natatum, horumque modos & rationes exponit iis præmittendo doctrinam de statione, cum gressus quoque animalium stando peragatur. Qua occasione diversa, ab aliis intacta, aut certe minus adæquate resoluta proponit atque exponit problemata, inter quæ observantur: Cur stando alternis pedibus

minus defatigemur, quam quando ab ambobus ſimul fulcimur? Quare aves uno pede innixæ commodius ſtent, quam homines? Quare aves ſtando, ramis arborum comprehenſis, absque ruina quieſcant ac dormiant? Cur ſexipedes & multipedes majore labore, quam quadrupedes, ſtent?

De greſſu animalium dum diſſerit, rationes reddit, cur inceſſus per locum acclivem laborioſus & moleſtus magis, quam per planum horizontale, & deſcenſus per declivia paulo laborioſior, quam per idem planum, pariterque modum explicat, quomodo inceſſus hominum calopodiis ferratis inſtructorum per glaciem fiat? Porro, vim motivam, in homine ſaltum producentem, ter millies fere ejus pondus ſuperare, demonſtrat: & qua ratione muſcæ, formicæ, ſimiliave inſecta pronis ſuperficiebus vitreis lævigatis adhæreant, & per eas absque delapſu procedant? inquirit.

Volatilium motus ubi tractat, docet, quomodo aer impulſui alarum illorum reſiſtat? Potentiam muſculorum alas flectentium plusquam deciesmillies pondere avis volantis majorem exiſtere: & impoſſibile eſſe, hominem propriis viribus artificioſe volare poſſe.

Natatum explicans inter alia disquirit, quomodo piſces in medio profunditatis aquarum æquilibrati quieſcere queant? Eosdem non vi pinnarum, ſed caudæ ſaltem, natare, pinnis vero, præprimis duplicatis illis, quæ in duobus locis infimi eorum ventris extant, immobiles inniti & ſtare docet. Item, quare aves & animalia quadrupedia naturæ inſtinctu natent, homines vero naturali inſtinctu natare nequeant? Tandem vero machinam novam, cujus ope homines aquæ diu immerſi reſpirare & vivere, imo ad ſui libitum ſub hac ad inſtar piſcium moveri & quieſcere poſſint: nec non navis urinatoriæ fabricam novam & uſum delineat.

R. P. CLAUDII FRASSENII PERONENSIS Doctoris Theologi Pariſienſis & Profeſſoris emeriti, atque Conventus & Collegii Generalis FF. Minorum Pariſienſium Guardiani DISQUISITIONES BIBLICÆ QUATUOR LIBRIS COMPREHENSÆ.

Lutetiæ Pariſiorum Anno 1682, in 4.

Cum

CUm præter Celsum, Porphirium, Simplicium, Julianum apostatam, aliosque plurimos olim Christiani nominis juratos hostes, non desint etiamnum maleferiati ac nimis infelices homines, qui Cacodæmonis votis operam & studium navantes, in Divinos Scripturæ libros bellum redintegrant, atque eorum sinceritatem impugnantes, illos e medio exturbare nituntur (qualis fuit non ita multis abhinc annis larvati *Præ-Adamitarum Parentis* infestus conatus, quali-*Hobbesii, Spinosæ*, aliorumque hujus ætatis Criticorum in simili argumento non condonanda vesania) his omnibus occurrendum esse duxit P. FRASSENIUS (ex editis antehac Philosophicis & Theologicis aliquot operibus non ignotus Autor) *Disquisitionibus istis Biblicis*. Quamvis autem innumeri propemodum Tractatus ad Sacrorum Codicum sinceritatem asserendam, demonstrandam divinam autoritatem, & latentia sub rudioribus literæ involucris mysteria manifestanda, summo studio concinnati prostent, & jam actum agere videatur, quisquis nova hac de re Opuscula edere tentaverit; ipse tamen FRASSENIUS ad tabernaculi spiritualis pulchritudinem consummandam, suum quoque ἐπιβάλλον μέρος afferre, nec talentum a Deo concreditum defodere voluit. Sed, quæ ipsum vehementius ad hoc opus auspicandum urfit ratio, ea fuit, ut juniores Theologos, præsertim Franciscanos, ad Sacrorum Bibliorum lectionem & studium, remotis jam offendiculis & via complanata provocaret. Allexit etiam spes alterius non levioris utilitatis; fortassis inde futurum, ut inter Catholicos, Doctrinarum Studiosi ad manum habentes arte concinnata in Sacros Codices Præludia, & graviorum in iis occurrentium controversiarum & difficultatum luculentas explanationes, non minorem in divinis Libris evolvendis operam impenderent, quam Scholasticis, Historicis, aliisque id genus studiis hactenus navaverant, ne inposterum οἱ ἐξ ἐναντίας haberent, unde Romano Catholicis neglectum adeo Bibliorum studium objicerent, seque solos in divinis Scripturis versatissimos gloriarentur. Ut igitur (quos hujc perutili negotio totos præ cæteris allaborasse scribit) Patribus Viennensibus & Tridentinis, ut aliis, hoc studium suis seminariis excolendum inprimis commendantibus, Ecclesiæ Præsulibus qualescunque suppetias ferret, in hoc Disquisitionum suarum Biblicarum priori Volumine quatuor Libris comprehenso, necessaria veluti præludia ad S. Bibliorum

intelligentiam necessaria Autor subministrare voluit, alias hujusce divini Libri cœlestes divitias & opes atque divina mysteria in sequuturo Volumine altero nondum edito reseraturus. Elenchus Capitulorum in Libris prioris Voluminis hic est. Liber *Primus* exponit varia nomina Cap. I. originem & antiquitatem Scripturæ, Cap. II. quonam tempore Moses floruerit, Cap. III. a quibus literas & scribendi artem sapientes Ethnici hauserint, Cap. IV. quod Sapientiæ Græcæ pars maxima a Mosis & Prophetarum Libris profluxerit, Cap. V. quod Moses revera Pentateuchum scripserit, Cap. VI. quonam sermone quave lingua ille S. Scripturam auspicatus, quonam charactere, qua forte, quove scribendi modo usus fuerit Cap. VII. IIX. & IX. utrum Moses ficut Scripturæ Hebraicæ, sic & Vocalium punctorum autor sit, Cap. X. *Secundus* in variis Scripturæ S. Editionibus & Versionibus occupatus de Editione Hebraica hodierna Cap. I. de Commentariis & Interpretationibus Hebraicæ Editionis, maxime vero Legis Mosaicæ; Cap. II. de Versione Græca LXX Interpretum, Cap. III. de reliquis Editionibus Græcis, Cap. IV. de cæteris Orientalibus Scripturæ Versionibus, Cap. V. de Editione Vulgata Cap. VI. de præcipuis vulgatæ Latinæ Editionis Textibus, qui ab Hebræis dissentire videntur Cap. VII. de aliis posterioribus editionibus Latinis ex Hebraico Textu Cap. IIX, de Vernaculis Bibliorum Editionibus, & inter hos Germanica Lutheri Cap. IX. agit. *Tertius* de V. & N. Testamenti Librorum Canonibus cum antiquis tum recentioribus: Eorundem Librorum distributione, integritate, obscuritate, & variis sensibus Cap. I. II. III. IV. Et de cujusque Inscriptione, Autore, Scopo, Divisione, & Controversiis, Cap. V. & VI. sub octo & quinquaginta Titulis tractat. Tandem in Libro *Quarto* præcipui Textus Biblici specietenus pugnantes conciliantur, nullamque in Libris Sacris dissonantiam esse probatur.

LES INSTITUTES DU DROIT CONSULaire, ou la Jurisprudence des Marchands, par JEAN TOUBEAU.

Institutiones Juris Consularis, sive Jurisprudentia Mercatorum, Auctore Johanne Toubæo.

Parisiis, 1681 in 4.

Auctor

Auctor est Typographus & Bibliopola Avarici Biturigum, in qua civitate aliquoties functus est annuo Mercatorum Præfecti & Consulis officio. Consulum enim nomine in Gallia Judices Mercatorum appellantur, quos primum induxit publice proposito edicto Rex Carolus IX. anno superioris seculi sexagesimo quarto. Tubæus Typographus & Bibliopola doctus, laudem Manutiorum, Stephanorum, Morellorum, Frobeniorum, Turneborum & similium suæ professionis hominū æmulatus, non solum in alienis scriptis excudendis & divulgandis occupari voluit, sed etiam ipse litteris aliquid mandare, dignum, quod typis exscriberetur, ac in publicum prodiret. Scilicet cum in functione sua Consulari animadverteret, quam difficile, ac periculosum foret eam sine aliqua Juris, quo commercia reguntur, scientia obire, neque tamen systema illius Juris, unde ejus notitia hauriri posset, saltem apud Gallos prostaret, consilium suscepit, Jus, quod ad Jurisdictionem Consularem pertinet, in artem redigere, ut Mercatores in patria sua, cum adepti essent a Jacobo Savario artem negotiandi traditam in libro, quem sub Titulo Præfecti Mercatoris edidit, item ab aliis Collectiones Edictorum, Declarationum, & Rerum Judicatarum de rebus & negotiis suis, haberent etiam a se præcepta Juris, quo utuntur, eaque non adeo magno volumine compositа. Non enim ut in Præfatione ait, Digesta scribere intendit, sed tantummodo Instituta seu Institutiones Juris Consularis, quibus non integra Edicta, Declarationes, Res Judicatas referret, verum summam eorum, nec non ea, quæ ex diversis Juris Auctoribus tum Gentis suæ, tum exteris excerpsit, breviter, hoc est, elementa Juris, diligenter tamen & eleganti ordine complecteretur. Totum autem opus in duos libros partitus est. Priori nihil aliud propemodum agit, quam ut justo commentario illustret Edictum supra memoratum Caroli Regis, ita ut insinuet, quicquid de ipso officio Consulum sive de ipsa consulari Jurisdictione dici debuit, nempe de origine Consulum, & cur placuerit Mercatorum litibus dirimendis singulares Magistratus dare; de Consulum Electione, Munere, Juramento, Duratione, Titulis, Honoribus, Prærogativa, Privilegiis & Immunitatibus; de requisitis, ut aliquis ad Consulatum aspirare possit; quibus moribus, quave scientia eum instructum esse oporteat; quomodo se gerere debeat in administranda justitia & in reddendo jure; de numero Consulum judicantium; quousque jurisdictio eorum se

extendat, num etiam ad loca extra civitates suas sita porrigatur; de modo procedendi in hoc judicio, tum quem ipsi Judices, tum quem litigantes servare debent; maxime ut litigantes in primo statim termino compareant, & nullo adhibito advocato vel procuratore ipsi agant, & se defendant. Id quod ut optimum inventum abbreviandæ litis laudatur, etsi prius, ut in primo statim termino se sistant, usu pariter, & novo Rescripto mitigatum sit. Porro Personas, quibus; & Res, de quibus Consules jus dicunt, fuse tradit, item an, & quando, & quatenus Appellatio concedatur a Consulum sententiis; nempe non aliter, quam si reus in majorem 500 libris summam condemnatus fuerit, sed tamen ut nec tum quidem executio sententiæ suspendatur, præstita ab adversario cautione. Pergit de executione sententiarum, de judicii personis accessoriis, non minus tamen necessariis, veluti de Actuario, & Apparitoribus, denique de locis & ædificiis, ubi Mercatores & Consules convenire solent, disserere. Posteriori libro res illas Auctor persequitur, super quibus in exercenda Mercatura litigatur, id est, objectum; circa quod Jurisdictio Consulum occupata est. Quo pertinent pacta & epistolæ Mercatorum, Probationes quæ ab iis exiguntur, Jus prioritatis in venditis mercibus, Cautiones Mercatorum, Correi, Fidejussores, Cessiones, Exceptio non numeratæ pecuniæ, Libri Mercatorum, Societates, Mandata, Factores, Proxenetæ, Cambia & Recambia, Literæ Cambiales, nec non schedulæ istæ, quibus mercatores cavent, pecuniam, quam ex mutuo vel alio quam cambii contractu debent, se soluturos esse, neque tamen causam debiti exprimunt, cæterum nomen literarum cambialium indut; a quibus schedulas illas maxime differre docet usitatas etiam inter non-Mercatores, sed tunc ad Consularem Jurisdictionem non pertinentes. Addit deinde commercia maritima, (quorum cognitio tamen novissima Regis constitutione Consulibus ademta est, & Præfectis rei navalis seu classicæ demandata), Communionem bonorum inter vivum Mercatorem & ejus fœminam, vi cujus uxor nullam prærogativam ante creditores mariti habet, nisi separationem bonorum impetraverit, quæ tamen ex certis tantummodo causis, certoque modo permittitur. Sequuntur induciæ moratoriæ, Cessiones bonorum, & denique tractatu de Fallitis & Decoctoribus librum finit. ubi optimum institutum Regum suorum refert, quod fraudulentos Decoctores, eorumque Receptatores & Adjutores severissimis pœnis persequantur.

PETRI

PETRI FRANCII POEMATA ad Celsissimum Principem FERDINANDUM Paderbornensem ac Monasterienſem Episcopum.

Amstelodami Anno M DC LXXXII, in 12.

POstquam superiori anno mortalium rebus exemtus esset, elegantiorum literarum summo cum detrimento, omni doctrinæ genere clarissimus & carminum gloria nulli secundus NICOLAUS HEINSIUS, istius funere extincta simul videbatur poeticæ facundiæ in Belgio vis, & deleta omnis, quæ a Scaligero, Grotio, Baudio ac patre Daniele in Nicolaum filium derivata fuerat carminis venustas & dignitas, oppressaque poetici spiritus majestas, quæ tot auctoribus omni eruditionis ac studiorum genere excultæ isti genti olim constabat. Neque enim in Criticis saltem studiis, omnium recte æstimantium judicio principatum apud Belgas tenuerat exactissimi judicii Vir, cujus præclara in hoc literarum genere extant monumenta, quæ cum usu publico communicavit, nec minora censenda ea, quæ intra Vestæ penetralia liberali asservabat custodia: sed ab ipso etiam condita Poemata captu seculi nostri superiora sunt & ad eruditissimæ antiquitatis gloriam adspirant, quodque argumentum est absolutissimæ scriptionis, Reverendissimo & Celsissimo Paderbornensium ac Monasterienſium Episcopo FERDINANDO L. B. DE FURSTENBERG principi studiorum ac omnis eruditionis sine controversia, præ omnibus aliis recentium Poetarum scriptis se probarunt. Cumque nihil omnino mortalium per orbem literarum famæ commendatorum, aut præstantis eruditionis ac cumprimis poeticæ facundiæ laude florentium inveniatur usquam, quod ad hujus summi Principis, ceu veri Apollinis ac tutelaris studiorum Numinis, favorem non decurrat: ac in Gallia paucos intra annos præstantissimi ex ordine Societatis Jesu Poetæ, Joannes Commirius, Carolus Ruæus, Albertus Daugieres aliique qui ex Heliconis unda caput extulerunt, in Mæcenatis hujus sinum confugerint: eidem communi Musarum Patrono suas quoque sistere, & carmina consecrare voluit cultissimus inter Batavos hodie Poeta PETRUS FRANCIUS. Nam qui antea scripto ad Heroem hunc in literis maximum Panegyrico, facilem eum ac munificum esset expertus (quod is suos alumnos non Caballino solum fonte velut Apollo proluit, sed e perenni beneficentiæ scaturigine inun-

inundat, quoties aureo imbre instar Jovis ad hos descendit;) principali munere ab Eo donatus egregium etiam Eucharisticum carmen condidisset, idque summo favore exceptum intellexisset; id sumsit consilii, ut in fascem collecta præstantissima sua Poemata Maximo Principi inscriberet & consecraret: quo egregio libello eximium documentum superstitis poeticæ in Batavis facundiæ dedit. Complexus enim est isto Carmina, quæ diversis temporibus vario genere in laudes obitusque clarorum Virorum confecerat, quæ item de argumentis aliis ad præstantes Viros scripserat, eo sermonis nitore cultuque dictionis condita, ut ad dignitatem Majorum suorum, eruditissimorum cum aliis omnibus tum eo præsertim eruditionis genere quæ sermonem in numeros apte disponit, proxime eum accedere quivis hujus artis peritus agnoscat. In *Heroico* carmine δεινότητα ac majestatem servat argumento convenientem: nam in Panegyrico & Eucharistico Principem omni laude majorem eruditionisque gloria omnibus aliis superiorem decantat; In Epicedio Belgarum Archithalassum Ruiterum fortiter in Siculo mari adversus Gallos pugnantem inque ipsa victoria occumbentem describit, vere ἀνδαλίαν πεζάξιν propositam sibi habens & ἠρωικῆς τύχης ἀβλεψιαν, quam graviter & ad Veterum poetarum leges numerosque (quos in pronunciatione etiam, quoties poema in conventibus doctorum Virorum recitat, eum exacte & decenter servare ajunt) exactam absolvit. In *Elegiis* facilitatem venustatemque mireris, tam iis quas in sacris rebus de nativitate, passione, morte, & resurrectione Servatoris, ac Spiritus Sancti missione occupari voluit, quam istis quas de aliis argumentis ad eruditissimos viros Nic. Heinsium, Jo. Georg. Graevium, Jac. Gronovium, Jac. Wallium, Renatum Rapinum, Jan. Broeckhusium scripsit; quæ e Castalio promanare videntur fonte, nec fuco aut lenociniis, sed inaffectato cultu & naturali pulchritudine assurgunt. *Eclogarum* venusta simplicitas, & *Epigrammatum* non longe quæsitæ sed ex ipsa re petitæ, elegantes argutiæ & innocentes lusus Lectoris mentem demulcent: cumprimis autem ista, quæ e veteribus Græcis epigrammatibus, collectis in Volumen, Nectareum illud Apollinis, Musarum, Venerum, Gratiarumque mellificium, sub *Anthologiæ* nomine proditum, Latinis versibus expressit, horum studiorum amatorem ad se rapiunt: rotunditatem enim venustatemque Atticam Romano lepore feliciter æmulatus est, exemplo Erasmi, Scaligeri, Casauboni, Grotii, Hein-

Heinſii, Vulcanii, majorum ſuorum, quos adeo æquis paſſibus ſecutus eſt, ut Jo. Georgio Graevio, in Græcis, ut aliis omnibus, eruditiſſimo viro & ſtudiorum horum exactiſſimo cenſori, ſuum iſthoc ſtudium valde approbaverit. Cujus doctiſſimi Viri judicium, ſi nil aliud eſſet, vel ſolum ſummam Auctori laudem conciliaret: nos ſane movet, ut quod Richardus Thomſonus olim de Paulo Stephano, cum ex Epigrammatum Græcorum volumine, omnis Græcanicæ pariter ſapientiæ & feſtivitatis theſauro, quædam in Latinum ſermonem vertiſſet, prædicavit, ad Francium transferamus:

Cum tua compono Græcis epigrammata, Petre,
Diſpeream nite ſurripuiſſe putem
Et genium ingeniumque illis, laudemque rotundi
Oris, & hanc penitus, quæ placuit, Venerem.
Scilicet hoc quod Roma ſibi nec Bilbilis illi
Docta dedit, tu das: Græcia victa jacet.

Chriſtian Weiſens Reiffe Gedancken/ das iſt/ allerhand Ehren-Luſt-Trauer-und Lehr-Gedichte/zur Verbeſſerung der überflüſſigen Gedancken heraus gegeben.
Leipzig 1682 in 8.

CHRISTIANI VVEISII *Meditationes poeticæ maturiores*, id eſt, varia gratulatoria, feſtiva, funebria & moralia carmina Germanica, ad diluendas *ſuperfluas Meditationes*, ſub quo titulo antehac jocoſa Poemata prodierant, editæ.
Lipſiæ 1682 in 8.

ELegantiarum quas aliæ linguæ proprias habere vulgo creduntur, Germanicam minime expertem eſſe, ſed ab horrore priſco ad cultum, quo hodie gaudet, evectam, Græcam rotunditatem, Romanam majeſtatem, Hiſpanicam gravitatem, Gallicam venuſtatem, Hetruſcas veneres, Anglicam volubilitatem, & Belgicam dignitatem referre, multis inſignibus argumentis hoc ſeculo comprobarunt quicunque peculiares

de linguæ hujus præstantia & nobilitate commentarios scripserunt; & documenta haud contemnenda dederunt, qui vel in soluta numeris vel iisdem alligata oratione scripta posteritati reliquerunt, quæ cæterarum gentium Scriptoribus Germanos sua lingua utentes nullo in genere inferiores esse ostendunt. Inter hos verum ac nativum Germanicæ linguæ decus & usum in utroque scribendi genere

vorsis seu prosis solveret ora modis

præstantissimis etiam documentis asseruit *Christianus Weisius*; cujus dictio pura, tersa, nec affectata, aut anxie quæsita longeque accersita est, sed verbis propriis, ac eorum structuris perspicuis, sententiis item apertis & per universam Germaniam receptis composita, cuivis linguæ hujus vel modice perito facilem ac obvium sensum præbet. Non disjectæ sunt, non novæ adhibitæ, non inusitatæ & ex præpostera æmulatione aliarum linguarum dura compositione contortæ voces, non ex peregrinis linguis transsumtæ phrases, non obscuræ sententiæ longe accersitis allegoriis involutæ fabulisve implicitæ, sed æquor illud castigatum leniterque decurrens per numeros limpidi ac sponte nati obviique sermonis, facilitatem ac perspicuitatem, elegantiam ac rotunditatem linguæ hujus aliis nil concedere ostendit: adeo ut Germanicæ linguæ ignarus faciliori longe negotio & leviori opera ejus usum ex auctoris hujus monumentis sibi comparare queat, quam ex aliorum libris, qui eam in artem redegerunt. Cumque is plures hactenus ediderit libros, in quibus exquisitis potius exemplis quam solicite & ambitiose conquisitis præceptis, linguæ hujus oratione soluta non magis quam ligata decurrentis verum & genuinum usum, in civili potissimum doctrina & communi vita quem obtineat, tradidit; quemadmodum *Oratorem politicum* Germanicum, & utiles *Meditationes Juventuti necessarias* hoc sine antea emisit in publicum: jam sub elogio *Meditationum maturiorum* eos exhibuit a felici ingenio (quod natura ad poesim & elegantiores artes finxisse videtur) natos, & longa exercitatione adultos fœtus, quos maturior ætas exclusit; cum priores, quos publico dederat, felicissimi cultissimique ingenii fructus, juvenilem magis ætatem decere censeat. Omne autem studium eo confert, ut juvenum sermones formet, ac inventionum fontes demonstret, eloquendique artem doceat, propositis exemplis clarissimis ad quosvis humanæ vitæ actus conducentibus. Votiva enim carmina, & sermones gratulatorios variis co-

occasionibus convenientes, epicedia & epithalamia in diversæ sortis homines, varios ad casus deducta, epitaphia quoque nonnulla, moralia autem plurima poemata exhibet, orationesque hujus generis soluto sermone scriptas complures admiscet, ea verborum elegantia ac facilitate, stili venustate, argumenti varietate, & doctrinæ non affectatæ copia adhibita, ut exempla præclara quibusvis in quosvis vitæ humanæ casus suppeditare possint, ac ostendere, qua ratione eos sermone commodo prosequi & orationem in varios habitus fingere apteque componere deceat. Cujus artis uberiorem & absolutam tractationem, viginti annorum studio collectam, & crebris confirmatam experimentis, se aliquando editurum esse, pag. 539. pollicetur.

Sub finem libri appendicis loco festivum *Drama satyricum* adjecit, ejusdem ferme argumenti cum alio ludo scenico, quem hoc ipso anno sub titulo *Absurdorum Comicorum* dedit; isti similem, qui Gryphii Poematibus innexus Petri Squentii nomine insignis canticorum, quos vocant, magistros eorumq; inconditam poesim perstringit, ac Danielem Swenterum autorem habere fertur. Nam ut in isto ineptam & absurdâ condendorum Dramatum scenicorum rationem facetis eludit jocis: sic in hoc turbam infelicium poetastrorum, Germanicæ linguæ restauratorum, quos se jactant, exagitat: qui ineptas novas literarum mutationes, ac monstrosas vocum, phrasium & constructionum in Germanica lingua rationes commenti, in cœtum coeuntes magnifica se de lingua Teutonum Heroica conferre consilia, laborantique Germaniæ subvenire stulta persuasione credunt, si exititis e quibusdam vocabulis longo usu receptis literis alias inserant, novaque nec audita antea afferant vocabula, & in syllabis litteras, syllabas in vocibus corrumpant, ac exturbatis omnibus vocibus, quæ alienigenæ sunt & externæ, aut accersitarum ex alia lingua speciem saltem præ se ferunt, licet longo usu firmam acquisiverint possessionem, hac tamen eas ejiciant, & horridas incompositasque substituant, orbique obtrudere gestiant: nulla interim dignitatis ac venustatis in carmine, cujus gloriam sola laurea ostentant, habita ratione, quod misere & invitis ac nolentibus Musis consuunt. Hanc scabiem facetis jocis defricat, & vesaniæ horum fungorum lepide illudit in hoc dramate festivus Autor: qui in gravioribus argumentis artem condendorum ludorum scenicorum, qua non minus ac in aliis præstat, hactenus exercuit. De *Jacobi* enim *Patriarchæ biga-*

mia, Abrahami fide, quæ in mactandum obsequiose filium unicum valuit, Jephtæ voto & ex eo secuta filiæ immolatione, Marchionis Ancræi ruina, & insigni isto Neapolitano rebelli Pseudo-Regulo Masaniello, ac *rusticano Macchiavello*, aliaque, quæ vel in theatrum produxit, vel typis exscripta in publicam lucem emisit dramata, ea affectuum vi, morumque convenientium apta dispositione, partium connexione, rerum varietate, ac dictionis venustate condita sunt, & ad leges dramaticas exacta, ut Germani ad veterum Græcorum & Romanorum, hodiernorumque Gallorum, Italorum & Anglorum gloriam & perfectionem hac quoque in arte accedere intelligantur.

INVENTA NOVA, EXHIBITA PARISIIS Societati Regiæ Scientiarum a D. T.

OMnibus jam notum est, reflexionem radiorum Solis in corpore concavo punctum efficere, quod *focus* appellatur, quia in eo ipso radii uniuntur & comburuntur. In hunc autem usque diem solum hoc punctum unice ab omnibus consideratum fuit; hic Autor verò longius multo progreditur his suis speculationibus. Monstrat enim, qua ratione non solum hoc ipsum punctum foci considerandum sit; sed etiam qua ratione integra aliqua Curva debeat concipi, qualis scilicet formatur per intersectiones radiorum reflexorum.

Ut conceptus ejus magis exprimatur, per radios MW, NW, OW, PW, &c. repræsentat radios Solis incidentes in corpus aliquod concavum. (Vid. Fig. I:) NB, OC, PD, QE, RF &c. exhibent radios reflexos; qui efficiunt infinitas intersectiones in punctis A, B, C, D, E, F &c. adeo ut hinc formetur Polygonum constans ex lineolis AB, BC, CD, DE &c. Tab. XIX.

Verum si distantiæ illæ MN, NO, OP, PQ &c. concipiantur infinite exiguæ, polygonum A, B, C, D, E, F &c. exhibebit lineam curvam, cujus Tangentes erunt radii reflexi; & punctum A erit focus in quo radii reflexi in corpore concavo comburuntur.

Interim quia non sufficit, si quis observaverit saltem hinc lineas curvas sic formari, nisi & scientifice determinetur, cujus sint naturæ: Methodum exhibet Generalem, ope cujus curvæ tales formatæ ex intersectionibus radiorum reflexorum Geometrice possint determina-

TAB. XIX.

Fig. I.



Fig. II.

ad a. 1682
pag. 364.



Fig. III.



Digitized by Google

Digitized by Google

minari; & ut exemplum exhibeat Methodi hujus Generalis, in specie ostendit descriptionem Curvæ illius, quæ formatur a radiis solaribus in speculo ordinario sphærico, hac ratione:

Sit data quarta pars Quadrantis CDE (.Fig. 2:) describatur Semicirculus AGE; hoc facto, ducatur linea quæcunque, veluti FD, parallela ad AC: tunc pars DG, intercepta intra quadrantem CDE & semicirculum AGE, secetur bifariam in puncto H; & sic prætendit Autor quod punctum hoc H sit aliquod ex infinitis, quæ constituunt curvam BHE a radiis reflexis formatam; ex quo sequitur quod focus B debeat esse in loco medio radii AC.

Hisce adjungit aliud quid non minus curiosum: Methodum nimirum mensurandi infinitas numero curvas; reducendo eas ad rectas ipsis æquales; id quod efficit sequenti Theoremate:

Si radius DF & similes quicunque incidant in curvam quamcunque (Fig.3.) AFE (sive sit Geometrica, prout eas Dn. Des Cartes sic vocat; sive sit Mechanica, veluti est Cyclois, Quadrattix &c. sive quoque libera manu sit formata: *modò semper convexa ad easdem partes existat*;) & ea ratione ut radii reflexi per intersectiones suas, prout supra explicatum, hinc forment curvam aliquam BGE; dicit Autor, quod radius incidens DF & reflexus GF simul sumti semper sint æquales portioni curvæ GE, quæ intercipitur intra punctum Tangentis GF in G & punctum E, ubi fit contactus duarum curvarum *AFE & BGE*; hinc quoque sequitur quod CA & AB, ubi radius incidens & reflexus coincidunt, debeant esse æquales integræ curvæ BGE. Præterea Regulam quoque exhibet, ope cujus Tangentes, curvarum non solum Geometricarum, sed etiam infinitarum ex Mechanicis determinantur, verum tanta facilitate ac generalitate, ut existimet, hactenus similem non exhibitam quæ ad eandem accedat.

Tandem monstrat Methodum universalem, auferendi omnes terminos intermedios ex data æquatione, id quod hactenus adhuc desideratum fuit in arte Analytica.

CONJUNCTIO MAGNA JOVIS ET SATURNI, d 14. Octobr. st. vet. Anno 1682 Lipsiæ observata.

QUantis, cum inter se, tum a cœlo dissidiis, Cōjunctiones Magnas Tabulæ signēt Astronomicæ, illustri exemplo ea quæ superiori mense

Octob. contigit, testatum fecit. Hanc enim *Argoli Ephemerides* & *Tabulæ Riccioli* Octobris die 20; *Bullialdica* 21; *Winghii* 22; *Rudolfinæ* 24; & *Lansbergiana* 29 futuram voluerunt: 14to vero contigisse; Observationibus tum temporis institutis palam fuit. Juncti autem sunt ambo Planetæ prope stellam Leonis, in *Ununometria Bayeri* Lit. ♄ notatam, cui Rudolfinæ 19 gr. 4. min. Leonis Longitudinem, cum Latitudine 16 min. Borea assignant: ita ut Hora tertia matutina, Jupiter rectam a Saturno ad Fixam ♄ productam pauxillo supergressus videretur, Saturnusque 14 min. Jove borealior existeret. Constituebat tum Jupiter cum Satellitibus rectam, ad quam perpendicularis e centro Jovis educta orientalem Saturni marginem tangebat. Quod si ergo Saturni, Jovis & Fixæ ♄ conjunctio simul incidisse statuatur, supposita ex *Rudolfinis* Fixæ Longitudine & Latitudine suprascripta, Rudolfinæ Ricciolique Tabulæ ad observationem, juxta appositam Tabellam, ita se habent:

	Observata	Rudolfin.	Differ.	Riccioli,	Differ.
	0. /	0 /	/	0 /	/
♄	Long. 19. 4 ♌.	19. 30. ♌.	26. ♆	19. 23 ♌	19 ♆
	Lat. 0 51. B.	0. 52. B.	1. ♆	1. 0. B.	9. ♆
♃	Long. 19. 4 ♌.	18. 56. ♌.	8. —	19. 3. ♌.	1. —
	Lat. 0. 37. B.	0. 42. B.	5. ♆	0 43. B.	6. ♆

CONRADI SINCERI, Civis Germani, de Germanicarum Legum Veterum, ac Romani Juris in Republica nostra origine, autoritateque præsenti Dissertatio Epistolica.

Prostat Lipsiæ apud Maurit. Georg. Weidmannum. A. 1682. in 12.

TRes sunt sententiæ de hoc argumento; *Vulgaris* & scholasticorum Juris Civilis interpretum, Legistarumve, uti vocantur, est: Jus solum civile sive Romanum in foro Germanico esse receptum, sive jam tum a Lotharii Imp. temporibus, sive jussu saltem Maximiliani I. *Altera* sententia est huic e diametro contraria, quam Sincerus propugnat: Jus Romanum nec solum, nec principaliter esse receptum, sed veteres leges Germanicas adhuc in vigore esse, & fundatam allegantibus dare intentionem, Jus vero Civile secundario duntaxat & velut instrumentum adhiberi, nec suppeditare intentionem fundatam allegantibus, nisi probent, peculiari constitutione, consuetudine, ac re judicata hac in parte receptum id esse. *Tertia* & media sententia denique est: præter Jus pa-

patrium & veteres Leges Germanicas Francorum, Saxonum, Alemannorum, receptum superioribus seculis fuisse etiam Jus Romanum, non peculiari constitutione, sed usu & consuetudine fori, ita ut fundatam intentionem habeat allegans legem Romanam Juris Justinianei, nec oporteat observantiam ejus probare, sed reo incumbat probare, illam propter contrarium Jus Germanicum non potuisse recipi. Hanc sententiam inprimis defendit celeberrimus Jureconsultus *Jo. Schilterus in Commentariis ad Pandectas in Juris Praxi Rom. in foro Germanico*, per totum, præsertim vero in *epistola dedicatoria* ad Illustrem Seckendorffium, & *Exerc. I §. 11 sq.* atque in responso *Exerc. XXX. §. 138.* Prior sententia cum ex abusu Doctorum Italicorum, Juris Germanici imperitorum, fuerit orta, suo merito explodituar a Sincero, & contra eam Juris Germanici vigor erudite solideque demonstratur, atque ad contrarias rationes respondetur. Quod ad mediam illam attinet, quam a pag. 101 sqq. sibi impugnandam suscepit Sincerus, doctissimus Auctor, cum quo illi est negotium, hæc nobis communicavit:

SEcernenda est in hac tractatione ante omnia Llatoria prudentia ejusque ratio, qua disputatur aut suadetur, ut esse quid debeat aut possit, a prudentia Judiciaria, ejusq; docendi ratione, qua traditur, id quod est, & ex certa hypothesi aliter pro re nata esse vix possit. Sinceri scopus prior est; posterior ejus, contra quem disputat: unde hic inconsultum merito arbitratus, ulcus illud tangere, quod ad Llatoriam potestatem pertinebat, cujusq; hic tractatio totam rem invidiosam odiosamque pragmaticis hominibus feciſſet, auctoremq; omnispe optimæ intentionis suæ penitus fraudasset. Prudenter enim atque per gradus Augiæ istud stabulum purgandum est nobis, impetu non admittimur. Porro quum usus fori Germanici semel receperit hoc principium: Jure Civili fundatam intentionem haberi; *certe privata auctoritate fieri nonpotest, ut hoc ex animis pragmaticorum eximatur, & ex foro eliminetur. Ut veriom tamen principia illis ipsis eo facilius insinuentur, cautius agi videtur, si, prout res est, jungantur compatibilia, quatenus talia sunt, ac doceatur:* Utroque & Romano & Germanico jure fundari intentionem in foro posse, quatenus hoc illi non contrariatur. *De Romano jure res certe dubio caret, quia usus fori hic magister est, arguens intentionem Llatoriæ potestatis hæc admittentis, nec fori tantum, hoc est, judicum & causidicorum vulgarium, sed & summorum tribunalium & Scabinatuum Collegiorumq; Juridi-*

ridicorum consensus, qui utique hactenus jus facit. Longe alia itaque est ratio allegandi leges civiles in foro, quam loca Poetarum & Oratorum, aut Juris Attici vel alterius in foro nostro nunquam recepti, quorum allegatio vim obligandi non habet; Juris Civilis habet, ex usu & fori observantia, de qua disputare Legislatoris, non Judiciaria prudentia est. Quare etsi nulla expressa constitutione vis obligandi Juri Romano concessa sit, consuetudine tamen atque observantia tacitoque populi consensu eam obtinuisse, in aperto est omnibus qui in foro versati. Prudens vero interpres & hic attemperat peregrini juris introductionem, ut segregenda ea doceat, quæ principiis juris patrii, moribus populi, & statui publico, aut expressis sanctionibus adversantur. Neque certos designare interpretes opus hic fuit, omnibus enim hac provincia ipso jure demandata est, at plerique omnes de Jure Romano in eo consentiunt, quod fundatam præbeat intentionem; igitur hac prudentum interpretatio a summa potestate Llatoria, qua provinciam interpretandi concedit, confirmata censetur, ipsaque Llatoria potestas voluisse intelligitur, ut Jus Romanum non tantum lex fiat, sed etiam ut sit in foro Germanico. Et fallitur omnino, quisquis putat, sola expressa promulgatione jus fieri, & non etiam tacita receptione longoque usu, forique observantia; quæ cum in legibus Gracanicis in leges XII. Tabularum non relatis, haud appareat, frustra illa huc trahuntur. Plane illud incommodi utique habet hæc res, quod duplici jure communi in foro utimur, ut, quæ lex Romana non sit recepta, aut quæ principiis juris patrii repugnet, non satis conveniat interpretibus, adeoque Sagum jus aliquo modo habere nos in foro nostro, inficias ire vix queamus. Unde & factum, quod superiori seculo plurimi Status jura Provincialia atque Ordinationes certas sibi fieri fecerint; idque præcipue ad normam Juris Romani. Ex actis Comitiorum Moguntinorum Anni 1441. hoc recte arguitur: Si Ordines voluerunt, ut totum jus Justinianeum abrogaretur per Imperium, exceptis legibus jam tum usu expresse receptis; igitur præter has totum, si non usu aut actu secundo, saltem intentione & actu primo fuisse receptum intelligitur, alias non opus fuisset, ut abrogatio desideraretur. Tale quid autem, ut jam antea dictum, nequa de jure Attico, neque alio dici potest, quod usus fori non ut Ius Romanum agnovit. Ex his itaque satis apparet, Ius Romanum usu fori nostri receptum esse, idque magis adhuc speciatim constat in iis Iuris partibus, de quibus Ius patrium vetus nihil sanxit; veluti res testamentaria est, qua semel recepta in forum nostrum, non potest esse dubium, quin qui allegat textum, illius juris, fundatam habeat intentionem, etsi observantiam non habeat probare. Similiter certa actionum genera a Prudentibus Romanorum adinventa & inter se discreta, quin in foro nostro admissa sint, dubitare non potest, nisi qui usum & stylum ejus ignorat. Cæterum cum multa sint & in Romano & in Patrio jure, ut nihil de Canonico dicam, qua usus fori respuit, optandum esset utique cum Sincero, ut Iuris Germanici prudentia a summa Llatoria potestate rectius constitueretur. Interea quo minus Sagii jus doceamo, utrinsq; juris principia ac fundamenta penitius sunt eruenda & solidius ponenda, mores utriusq; populi & status diversa Reipublicæ ritu discernendi, & qua secundum has normas receptibilia sint, accuratius dijudicandum; cujus rei gratiam in Commentariis ad ff. fregisse sufficit, gloria persiciendi felicioribus ingeniis merito relinquitur.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris, Anno M DC LXXXII.

EPISTOLARUM INNOCENTII III Romani Pontificis Libri XI, collecti à Stephano Baluzio.

Parisiis apud Franciscum Muguet, An. 1682. fol.

INnocentius III. Pontifex Romanus pro more antecessorum suorum, Epistolas tùm suas tùm ad se scriptas, ac præterea graviora negotia qvæ suâ auctoritate passim gerebantur, colligendo in Regesta retulit. Qvæ si integra & imperturbata ad nos pervenissent, longè plura gesti per XIIX annos Pontificatûs monumenta haberemus. Enimverò qvi illos libros collegerunt Scribæ diversi nullum ferè ordinem in eo opere digerendo servaverunt, plerasqve majoris momenti epistolas omiserunt, unam eandemqve bis in eodem libro reposuerunt, sæpe neglexerunt annotare diem & locum datarum epistolarum; de qvibus defectibus doctissimus Baluzius Præfationis initio conqveritur. Nec exemplaria regestorum vetera uno eodemqve omnia extant loco. Priores novem libri asservantur Romæ in armariis Pontificum; tres seqventes habuit Franciscus Bosqvetus Episcopus Monspelienſis; qvatuor qvi deinceps seqvuntur, diu conservavit bibliotheca Collegii Fuxensis; tres ultimi aut perierunt, aut adhuc latent in angulis Bibliothecarum. Prima Epistolarum Innocentii editio, duos tantùm priores libros complexa, prodiit Romæ anno 1543. operâ Gulielmi Sirleti tum Bibliothecarii Vaticani, postea Cardinalis. Secundam editionem emisit Maternus Cholinus typographus Colonienſis anno 1575. Tertiam triennio pòst Societas typographorum Venetorum. Bosqvetus cum libros qvatuor antea ineditos reperisset Tolosæ in Bibliothecâ Collegii Fuxensis, eosdem edidit anno 1635. Baluzius animadvertens qvantam personam sustineret hic Innocentius in libris Decretalium, qvàmqve jucun-

dum foret epistolas ejus dari integras, qvæ in Decretalium libris tantùm habentur per partes, statuit secum novâ editione donare sex libros à Sirleto & Bosqveto publicatos, tum cæteros qvoqve conqvirere. Sæpius ergo Romam scripsit, ut tertium & cæteros hinc habere posset. Sed id totum frustra fuit. Partem tamen libri qvinti, qvi hactenus desiderabatur, habuit beneficio Jacobi Augusti Chevanci Advocati Divionensis. Tertii defectum supplevit ope vetustæ collectionis, qvam ex tribus primis Epistolarum Innocentii libris confecit Rainerius Diaconus & Monachus Pomposianus, reperit autem Baluzius in Bibliothecâ monasterii Sancti Theodorici Remensis. Præter libros igitur dictos, edidit etiam decimum, undecimum, & duodecimum nunqvam antea editos, qvos ipsi subministravit ante laudatus Franciscus Bosqvetus. Addidit etiam regestum de negotio imperii acceptum è Codice Bibliothecæ Vaticanæ, eo ipso qvo usi sunt Scriptores annalium ecclesiasticorum, Abrahamus Bzovius & Odoricus Raynaldus. Qvod tamen non habuit ex Codice Vaticano, sed ex Bibliothecâ Reverendissimi & Celsissimi Principis, Ferdinandi Furstenbergii Episcopi Paderbornensis & Monasteriensis, qvi cum ex literis Hermanni Conringii intellexisset, incumbere Baluzium novæ editioni epistolarum Innocentii III, ac valdè optare eos libros, qvi extabant in Bibliothecâ Vaticanâ, regestum illud, qvod Romæ degens in usum suum describi fecerat, ad eum misit. Ne qvid verò novæ editioni deesset, adjecit Baluzius Gesta Innocentii III. scripta ab auctore illorum temporum, eadem qvæ Bosqvetus olim ediderat ex Codice MSS. Collegii Fuxensis, sed ex collatis antiqvis exemplaribus multò emendatiora. Præterea in gratiam studiosorum Juris Canonici adnotavit in margine epistolas, qvæ sunt in Corpore Juris, & ut faciliùs inveniri qvæqve possit, earum elenchum alphabeticum posuit post Præfationem. Constituerat olim Notas edere ad loca qvædam epistolarum illustriora aut difficiliora, sed penuriâ otii mutavit consilium. In fine præfationis Editor veniam tarditatis deprecatur, qvòd opus ante qvindecim annos inceptum tam serò exierit in lucem. Multa sæpè revocasse impedimenta à labore hoc, præcipuè diutinam exspectationem exemplaria librorum Bibliothecæ Vaticanæ nanciscendi.

In ipso Epistolarum Opere qvamplurima occurrunt & qvæ lucem afferunt historiæ illorum temporum, & qvæ Jus Canonicum non parum

parum illustrant, integrant & perficiunt. Pauca indicasse hîc sufficit. Constantinopolitanũ Imperatorem Alexium exhortatur, ut studeat & efficiat Græcorum Ecclesiam reducere ad Sedis Apostolicæ unitatem tanqvam filiam ad matrem *lib. I. ep. 353.* Romanam Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum, à qvâ Græci nullo jure discedere possint, *ep. 354.* Patriarchæ Constantinopolitano persvadere nititur. Conf. *lib. XV. ep. 156.* Eidem primatum & prærogativam illam impugnanti *lib. II. ep. 208.* prolixâ epistolâ seqventi respondet. Confitenti autem & se submittenti Catholico Armeniorum *ibid. ep. 217. & lib. V. ep. 44.* literas duas statim subnexas amoris favorisqve plenissimas reddit. Homobonum vitâ & miraculis clarum prædicat & catalogo Sanctorum adscribit *lib. I. ep. 530.* Episcopis ad aliam Ecclesiam transire invicio Papâ non licere, qvòd spirituale inter Episcopum & Ecclesiam conjugium nemo nisi DEUS & Vicarius Jesu Christi solvere possit *l. I. ep. 326.* adeoqve, tam eos qvi Episcopos in aliam Ecclesiam transtulerant, qvàm qvi se transferri passi fuerant, ab officio suspendit & cedere nolentes anathemate ejicit, *lib. I. ep. 50. 51. 117 335. 447. 490. 574. lib. II. ep. 54. 201. 204. 278. &c.* Prussis ac Livonis nuper conversis de Pastoribus prospicit *l. XIII. ep. 128. l. XVI. ep. 120. 124. 126. 127.* Clerici majorum ordinum uxores dimittere commissumqve peccatum debitè expiare jubentur, nisi velint reditibus ecclesiasticis spoliari, *lib. I. ep. 469.* Conf. *lib. X. ep. 147.* Eosdem aliqvos vagos, scortatores, adulteros, dilapidatores bonorum ecclesiasticorum, in torneamentis freqventes, aliisqve flagitiis infames coërcet *l. I. ep. 202. 209. 255. l. V. pag. 666. lib. XII. ep. 63. lib. XI. ep. 291. l. X. ep. 89. l. XIV. pag. 591. lib. XVI. ep. 6. &c.* Qvare necesse ducebat monere Laicos, ne iniqvitate Sacerdotis virtutem Sacramenti non evacuari, sicut infirmitas medici vim medicinæ non impedit, *lib. X. ep. 54.* Plenâ tam in temporalibus qvàm in spiritualibus potestate Ecclesiæ Romanæ matri Ecclesiarum omnium & magistræ, opus esse, ut tantò fortiùs subjectos suæ temporali Jurisdictioni populos ab ecclesiarum & ecclesiasticorum injuriis cohibere possit, *l. I. ep. 27.* Se divinâ providentiâ inter Principes, imò supra Principes sedere, & de Principibus judicare, dicit *lib. II. ep. 197.* Sacerdotium majus esse regno, pluribus argumentis adstruit *in Registro de negotio Imperii, Epist. 18. & in primâ Collectione Decretalium Raineri Tit. 2.* Clericos à Jurisdictione Magistratûs civili passim eximit *l. I. ep. 150. l. II. ep. 162. & 178.* Per potentiam Laicalem con-

ſtitutos à dignitatibus eccleſiaſticis removet *l.I. ep.16. 18. 31.* Sanctium Regem regnumqve Portugallenſe cenſuale Romanæ Eccleſiæ, in Petri & ſuam protectionem recipit *l.I.ep. 441.* cui ſe commendant Rex Dalmatiæ & Magnus Jupanus Serviæ *l.II.ep.176.ſeq.* Siciliæ Regnum ut feudum Romanæ Eccleſiæ concedit Conſtantiæ Imperatrici & Filio ejus minorenni Friderico, cenſumq; annuum imperat in *l.I.ep.410.* defunctâ Conſtantiâ ſe tutorem Friderici gerit *l.I.ep.136.* Exarchatum Ravennæ, Marchiam & Tuſciam, Ducatum Spoletanum patrimonio Petri vendicat *l.I.ep.27.356.l.II.ep.4.* Qvibus in damnum Imperio Germanorum factis ſe opponentem Marcovardum Marchionem Anconenſem, Ducem Ravennenſem, Procuratorem Regni Siciliæ, Imperialis aulæ Seneſcalcum iterum iterumqve excommunicat, ſubditos à ſacramento ipſi dato abſolvit, perhibens fidelitatem, qvam aliqvi Chriſtiano Principi juraverunt, non ſervandam, DEO ejusqve Sanctis adverſanti & eorum præcepta calcanti; inſuper adverſus eundem Comites, Barones, Nobiles, Civitates Italiæ, Siciliæqve excitat pecuniâ datâ & remiſſione peccatorum largiſſimè oblatâ *l.I. ep.557. & ſeqventibus*; imò & Saracenos ab ejus partibus, ipſorum fidem erga dominos ſuos laudando, avocat, *l.II.ep.226.* Regiſtrũ ſuper negotio imperii CXCIV epiſtolas complectitur partim ab Innocentio, partim ab aliis ad ipſum ſcriptas, cum alii Proceres Philippum Svevum, alii Ottonem Saxonem ſibi Regem Romanorum elegiſſent & coronaſſent. Pontifex compoſitionem ſchiſmatis ad ſe pertinere dictitans, Philippum utpote excommunicatum rejicit, Ottonem confirmat. Proceres qvidem Philippo faventes tùm Eccleſiaſtici tùm ſeculares turbationem iſtam liberrimi Juris eligendi, qvod haberent, eſſe conqverendo, exprobrant Papæ & Cardinalibus *ep.61.* ſed nihilominus Innocentius Ottonem tuetur, ab eo alienos ad obſeqvium & ſubjectionem cenſurâ eccleſiaſticâ compellit, eundem modis omnibus juvat & ornat, juramento, qvod *ep.77.* extat, ſibi & Romanæ Eccleſiæ devincit. Enimverò cum poſtea Otto Mathildis principatum Imperii bonum repeteret, Imperator excommunicatus & maledictus *l.XIII.ep.159.* reprobus, ingratus, promiſſionum ſuarum oblitus *ep.210.* Deo hominibusqve exoſus *l.V.ep.189.* tyrannus *l.XIV.ep.20. & 126.* non jam nominandus Imperator, ſed impius perſecutor *l XV. ep. 31.* pronunciatur. Johannem Regem Angliæ bona monachis & libertatem permittere, vaſallum Papæ ſe fateri, annuumqve cenſum mille

marcas

marcas promittere cogit *l.X.ep.219.l.XI.ep.87. 211.l. XV. ep. 234. 236. seq.lib.XVI.ep.76.seqventibus,ep.130.& deinceps.* Divortiũ Regis Franciæ Philippi, qvi Ingeburge Reginâ, maleficium obtendens propter qvod debitum conjugale sibi mutuò præstare non posset, repudiatâ Agnetem filiam Ducis Meraniæ superinduxerat, *pluribus epistolis* improbat admodum, adhibitoqve rigore ecclesiastico, Regem, ad recipiendum dimissam conjugem urget; obtinet etiam, ut defunctâ Agnete prior conjux rursum admitteretur, susceptos nihilominus ex superinductâ liberos legitimos facit. Ad bellum sacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ tàm Clericos qvàm Laicos cruce signatos milites excitat, promittendo plenam remissionem peccatorum, recipiendo in protectionem B. Petri bona in Terrâ sanctâ militaturorum, eademqve ab exactionibus usuriariorum liberando, pecunias etiam grandes tàm ex suis qvàm monachorum reditibus collectas ad alendum exercitum transmittendo. Concilium generale indicit ad deliberandum de Terræ sanctæ recuperatione & reformatione universalis Ecclesiæ *l.XVI. ep. 30. & seqventibus.* Manichæos & Valdenses, qvos communi *hæreticorum* nomine comprehendit, pari pœna damnat, ad nullas dignitates civiles admittendos, bonis omnibus privandos, necandos. Eosdem igitur dogmatibus longè diversos, habitationibus tamen cumprimis in Comitatu Tolosano permixtos, per milites cruce signatos provinciales convocato magno numero trucidat, cæteros expellit, *l.I. ep.81. 94. 165. 298. l.II.ep.1.l.X. ep.54. l.XII. ep.86.seqq. ep. 108.& pluribus eodem libro aliis.* Judæos in protectionem suam exemplo prædecessorum recipit *l.II.ep. 302.* Meretricem è lupanari extrahere & in uxorem ducere, pium & meritorium statuit *l.I.ep.112.* Cælestinum antecessorem suum sententiam aliqvam veritate cognitâ revocasse scribit *l. I.ep.50.* ejus indulgentiam in præjudicium alterius Ecclesiæ concessam irritam declarat *ep. 61.* Literas Apostolicas subreptitiè impetratas qvamplures cognoscit & nullas pronunciat *l.I.ep.219.224.245.l.II.ep.23.40.* Processisse se in decretis sicut divinitus sibi fuit revelatum, scribit *lib.I.ep.435.* &c.

LYCEUM PATAVINUM: sive ICONES & Vitæ Professorum Patavii Anno MDC LXXXII, publicè docentium. Pars prior *Theologos, Philosophos & Medicos complectens, per CAROLUM PATINUM, Equitem Divi Marci, Doctorem Medicum Parisiensem, & Primarium Chirurgiæ Professorem Patavinum,*

Patavii 1682. in 4.

PErvetustus mos est imaginum, qvas majores olim bene meritis ac sapientibus hominibus tàm publicè in theatris & porticibus, qvàm in atriis domi & privatim, ut simulacra essent virtutis & monumenta gloriæ ad omnem posteritatem, posuerunt. Qvæ ambitio, Plinio humanissima dicta, eò valuit, ut dispositis per armaria his imaginibus memoria clarorum Virorum prorogetur, qvam sicut alia omnia vetustas obrueret, atqve ab oblivione vindicati ii colantur perpetuò, qvasi in vivis essent, qvorum vultus expressi posterorum oculis animisqve subjiciuntur, qvi avitæ gloriæ ac virtutum æmuli in has vitas & imagines tanqvam in speculum possint inspicere atqve ex iis sumere exemplum sibi. Studium hoc propagandæ clarorum Virorum per imagines memoriæ multò autem magis suscipiendum ob eos, qvi dum mortalem hanc vitam incolunt, qvum sapientiâ atqve doctrinâ cæteros præstent, sive inertiâ tamen qvòd scribendi laborem effugiunt, sive animi demissione ac modestiâ, qvòd sui apud posteritatem curam non magnam habent, nihil omnino scribunt; vel si maximè ad consignanda literis præclara ingenii monumenta se contulerunt, ea relicta post ipsorum mortem pulvere situqve marcescunt & blattis ac muribus cibum præbent. Bene igitur atqve præclarè apud posteros merentur, qvi & egregia hominum ingenia, qvæ suâ ætate floruerunt, descriptione eorum, omnium seculorum posteritati commendant; & corporum ab egregiis animis habitatorum simulacra velut spirantia oculis posterorum intuenda relinqvunt. Qvâ in re suæ genti præ aliis consulere studuerunt Itali: inter qvos jampridem *Paulus Jovius* elogiis scriptis & iconibus adjectis effecit, ut, dicente Bonaventurâ Vulcanio, Doctorum æternùm vultusqve animusqve supersint: postea *Jo. Imperialis* in Musæo Historico, Anno 1640. Venetiis evulgato,

&

& hunc secutus doctissimus Æmonensis Episcopus *Jac. Phil. Tomasinus* duobus libris Anno 1630 & 1644 editis clarorum Italiæ Virorum imagines, ut alios jam taceamus, aptè disposuerunt & elogia Vitasqve descripserunt. Jamqve omnium elegantiarum promuscondus *Carolus Patinus*, scriptorum præstantissimorum gloriâ inclytus, è Galliâ ad Euganeos delatus, idem urget propositum, eorum qvi hodie literis clari in Academiâ Patavinâ, eruditionis cultu longè celeberrimâ, vivunt Professorum Vitas, Elogia, & edita ab ipsis præclara ingenii monumenta exponens; ubi ea affert, qvæ à probatis viris testibusqve fide dignis suppeditata, vel ab ipsis, qvos repræsentat, communicata accepit; icones etiam præcipuâ curâ ad veritatem vultûs compositas adjicit. *Primam* jam dedit *Partem*, in qvâ eos sistit, qvi *Artistarum* nomine veniunt, *Legistis* in alteram Partem sepositis; Professores nimirum oculis exponens, qvi Theologica studia jam in Patavinâ Academiâ tractant, & Philosophiam docent, cumprimis autem qvi Medicam artem faciunt, & ad eam qvæ pertinent studia exercent: eo servato ordine, qvem tempus designat, qvo qvisqve à Serenissimâ Venetorum Republicâ in numerum Professorum cooptatus est. Is autem hac serie eos collocat:

	Natus.	Professor.
Hieronymus Frigimelica, *Medicus.*	1611	1633
Octavius Ferrarius, *Polyhistor. Eloqventiæ & Politicæ, Græcaqve Linguæ Professor*; vivis excessit hoc ipso, qvo *Lycæum* hoc *Patavinum* prodit, M DC LXXXII. anno Nonis Mart. ingenti cum jacturâ bonarum literarum elegantiorumq; studiorum.	1607	1634
Angelus Montagnana, *Medicus.*	1606	1635
Sebastianus Scarabicius, *Medicus.*	1609	1644
Jo. Pompilius Scotus, *Medicus.*	1620	1644
Georgius à Turre, *Medicus.*	1607	1649
Hadrianus à S. Juliana, *Ord. Præd. Philosophus.*	1626	1650
Hilarius Spinellus, *Medicus.*	1626	1654
Alexander Borromeus, *Medicus.*	1625	1656
Hermenegildus Pera, *Medicus.*	1608	1657
Dominicus de Marchetis, *Medicus.*	1626	1662
Stephanus de Angelis, *Mathematicus.*	1623	1662

Albanius

	Natus.	Professor.
Albanius Albanesius, *Philosophus.*	1640	1664
Felix Rotundus à Monte Leone, *Ord. Minor. Theologus.*	1630	1665
Carolus Renaldinus, *Philosophus.*	1615	1665
Joannes Cigala, *Philosophus.*	1623	1666
Antonius de Marchetis, *Medicus.*	1640	1670
Antonius Maria de Blanchis, *Ord. Minor. Philosophus.*	1630	1672
Jordanus Jordani, *Ord. Minor. Philosophus.*	1644	1674
Jacobus Pighius, *Medicus.*	1647	1675
Carolus Patinus, *Polybistor. Medicus.*	1633	1676
Jo. Hieronymus Textorius, *Ord. Bened. Theolog.*	1629	1677
Nicolaus Calliachius, *Philosophus.*	1645	1677
Geminianus Montanarius, *Mathematicus.*	1633	1678
Octavius Saviolus, *Medicus.*	1653	1678
Vitalis Terra Rubea, *Ord. Bened. Philosophus.*	1623	1678
Nicolaus Arnu, *Ord. Præd. Philosophus.*	1629	1679
Georgius Calafatti, *Medicus.*	1652	1679
Seraphinus Piccinardus, *Ord. Præd. Theologus.*	1634	1681
Josephus Carlottus, *Philosophus.*	1634	1681
Michael Angelus Molinettus, *Medicus.*	1652	1681
Ludovicus de Saxonia, *Medicus.*	1657	1682
Augustinus Pivati, *Medicus.*	1644	1682

LYSIÆ ORATIONES XXXIV. antehac à Jodoco Vanderheidio græcè & latinè simul editæ, nunc recusæ.

Marpurgi Cattorum Anno 1682. in 8.

ETsi Orationes forenses in Græciâ & Romæ olim usitatæ, nostri fori usu jamdudum exulent; earum tamen usus longè maximus est, ad Antiqvitates non solùm veteris fori cognoscendas, sed ad copiam apparatumqve dicendi instruendum, causarum ambigua hodienum occurrentia fata dirimenda, inqve civili vitâ actiones instituendas. Qvapropter de studiis non solùm humanioribus sed & civilibus

Digitized by Google

bus præclarè merentur, qvi veterum Græciæ Oratorum eloqventiæ qvæ ſuperſunt monumenta ab interitu conſervare & commodo ſtudioſæ Juventutis in publicum edere ſtudent. Ac Demoſthenis, Iſocratis, Æſchinis, Libanii, Dionis Chryſoſtomi, Themiſtii & qvorundam aliorum Orationes peculiaribus Voluminibus à Dion. Lambino, Joach. Perionio, Hieronymo Wolfio, Gulielmo & Federico Morellis, ac Dion. Petavio extant editæ, in latinum etiam ſermonem eorundem doctorum virorum ſtudio converſæ: ut verò reliqvorum, qvæ ſupererant, Græciæ Oratorum reliqviæ ſervarentur ac latinè legerentur, poſt *Henricum Stephanum*, qvi anno 1575 *Oratorum veterum Orationes græcas* cum nonnullarum interpretatione latinâ typis ſuis excudit, cumprimis *Andreas Schottus* ſtuduit: excitato *Alphonſo Miniato*, qvi ſeptuagenario major Antiphontis, Andocidis, & iſæi Orationes ex græcis latinas fecit Antverpiæ 1618: auctor etiam extitit, ut *Janus Gruterus* Dinarchi, Lycurgi, Lesbonactis, Herodis & Demadis politicas orationes è græcis latinas anno ſeqventi daret: *Jodocum Vanderheidium* qvoqve exſtimulavit, ut Orationes XXXIV, de LYSIÆ amplius qvadringentis ſuperſtites, in Latinam lingvam converteret; qvod vadum ante ipſum tentaverat nemo. Nam etſi illæ, qvas *pro cæde Eratoſthenis*; item *in Eratoſthenem tyrannum*; nec non *in Alcibiadem*; & *negotiatores frumentarios*; *funebris* etiam qvam *in laudem eorum, qvi in acie perierunt dum Athenienſes Corinthiis auxilium tulerunt*, ſcripſerat (paucas enim habuiſſe & recitaſſe Lyſiam, plerasq; aliis recitandas reliqviſſe, autor eſt M. Tullius) converſæ in Latinum ſermonem jam extitiſſent: majori tamen diligentiâ & accuratiori ſtudio has æqvè ac omnes reliqvas Lyſiæ Orationes Vanderheidio interprete latinâ civitate donatas, è conjecturâ etiam aliqvando in textu qvædam ingeniosè mutata eſſe, deprehendet qvi ejus ſtudium cum aliorum induſtriâ, qvam Oratori huic impendére contulerit. Eum igitur in habitum compoſitum Græcum Oratorem, qvem Cicero Latini eloqvii parens tanti habuit, ut venuſtiſſimum eum & politiſſimum egregieqve ſubtilem Scriptorem ac elegantem prædicaret, imitandumqve ejus ſubmiſſum, ſed purum dicendi genus proponeret, qvod ſe ipſum conſultò ad minutarum genera cauſarum limaverit; Fabio etiam optimo dicendi magiſtro adeò laudatum, ut nihil eò perfectius qværi poſſe cenſeat, ut ampliſſimum Dionyſii Halicarnaſſenſis & Plutarchi gravi-

simorum Autorum de eo judicium taceamus: præ cæteris idoneum existimavit Lud. Bourgeatius Moguntinensis Academiæ bibliopola, qvem studiosæ juventutis bono recuderet: rem admodum gratam græcæ eloqventiæ cultoribus se facturum sperans, si Orationes has à Vanderheidio latinâ interpretatione & politicis Notis adornatas in tabernis vix obtinendas amplius, publico usui redderet. Qvod institutum in Præfatione Jo. Burchardo Maji laudatum qvivis literarum Græcarum studiosus sibi utile deprehendet; qvum ex hoc auctore istius linguæ usus omnium rectissimè & facillimè comparari possit, qvem propterea Dionysius Halicarnasseus καθαρὸν τὴν ἑρμηνείαν πάνυ, καὶ τῆς Ἀττικῆς γλώττης ἄριστον κανόνα pronunciat, & ob puritatem sermonis, τοῖς καθαρῶς γράφειν ἢ καὶ λέγειν βουλομένοις, ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα ποιεῖσθαι παράδειγμα ταύτης τῆς ἕξεως jubet.

THEOLOGIA POSITIVA, per definitiones, causas, affectiones & distinctiones, Locos Theologicos universos succinctè justoqve ordine proponens: ceu Compendium Systematis Theologici. Operâ D. Abrahami Calovii, P. P. Primarii, Facult. Theol. & Consist. Ecclesiast. Senioris, Pastoris & Superintend. Circul. Electoral. Doctorum Theol. intra & extra Rom. imper. Presbyteri,

Wittebergæ, Anno M DC LXXXII. in 8.

Præterqvam, qvod titulus hujus libri optimâ fide agit, sacrasqve, qvas continet, doctrinas modumqve, qvò pertractatæ sunt universæ, designat apertè ac perspicuè, Auctor etiam, Doctorum ille Nostratium ætate atqve meritis Maximus, tantæ est celebritatis, ut nos, qvod absqve nausea Lectoris adjiciamus, habeamus prorsus nihil. Gratias potiùs ipsi agimus decentes, qvòd, postqvam tot exegeticis, tot didacticis & polemicis scriptis Theologiam ad vivum expressit omnem, eandem ὡς ἐν τύπῳ hoc in libello exhibeat nobis, tam exqvisitè ac plenè, *ut*, qvod ipse haud frustra pollicetur in præfatione, *si qvis hancce Theologiam Positivam, qvà thesin & dicta probantia, sibi familiarem reddiderit, solidum fundamentum jacturus sit universæ Theologiæ.*

DIS-

DISSERTATIO ECCLESIASTICA

Apologetica & Anticritica adversus F. Claudium Frassen.

Seu

Dissertationis Alexandrinæ de Vulgata Scripturæ Sacræ Versione Vindiciæ.

Parisiis, Anno M DC LXXXII. in 8.

QVadriennium circiter elapsum est, cum *Natalis Alexander*, Theologus Parisiensis & in Majori Conventu & Collegio Ord. FF. Prædicatorum Regens, unà cum aliis duabus dissertationibus ecclesiasticis, dissertationem de Vulgatâ S. Scripturæ Versione in lucem publicam emisit, cujus sexta & ultima qvæstio circa *Psalmatæ* occupatur, *qvæ*, ut verba ejus habent, *in Vulgatâ Versione Bibliorum jussu Clementis VIII. emendatâ etiamnum supersunt, & Ecclesiæ autoritate corrigi possent.*

Hanc dissertationem pro inveteratâ Ordinis suî erga Dominicanos & Thomistas æmulatione haud ita pridem impugnavit *Claudius Frassenius* itidem Theologus Parisiensis & Conventus atqve Collegii F.F. Minorum Gvardianus. Is enim in Disqvisitionum suarum Biblicarum hoc ipso anno editarum & in Actis nostris Mense Novembri p. 354. recensitarum cap. 6. qvod de Editione Vulgatâ Latinâ inscriptum est, Natalem Alexandrum tanqvam hodiernum Historiæ Ecclesiasticæ compilatorem & Hæreticorum plagiarium suggillat, eaqve Scripturæ loca, qvæ prædictus Alexander post *Lucam Brugensem* & alios eruditos corrigenda monuit, nullis omnino mendis laborare maximopere contendit.

Exinde ergo nata est hæc disqvisitio apologetica & anticritica, in qva Natalis Alexander dissertationis suæ de Vulgatâ Versione vindicias adornat. Ac primùm qvidem Historiam suam Ecclesiasticam in Actis nostris Mens. Jul. p. 209. memoratam, in qva *Blondelli pro Hieronymi sententiâ Apologiam*, & pleraqve *Johannis Dallæi* opera primus confutaverit, & disceptatas ab aliis qvæstiones novo ordine expenderit, aut novis argumentis illustraverit, ex aliorum scriptis direptam & compilatam esse negat. Deinde haud minùs inficiatus, se dissertationem suam de Vulgatâ Versione ex *Grotio*, *Waltono* & aliis Hæreticis

exscripsisse, objectum plagii crimen in Frassenium retorqvet, qvippe qvi disqvisitiones suas biblicas ex *Waltono, Morino, Buxtorfio, Huetio* & aliis, æqvè ac olim Ordinis sui Frater *Galatinus* Arcana sua ex *Raymundi* Dominicani pugione, corraserit & compilârit. Tum ad ipsam Vulgatam Versionem accedit, & se *Tridentinæ Synodi* decretum sanctè revereri protestatur, qvæ Vulgatam Versionem ut authenticam recipi decernat, non qvòd eam Hebraicis & Græcis Fontibus, sed tantùm reliqvis Versionibus Latinis antereferendam arbitretur, qvàm sententiam Tridentinæ Synodi decretis consentaneam esse *Alphonsi Salmeronis*, qvi Tridentino Concilio interfuit, nec non *Andreæ Vega* & aliorum Theologorum testimoniis confirmare nititur; eorum Zelum, qvi post *Sixti V.* & *Clementis VIII.* emendationes Vulgatam Versionem alicujus mendi arguere nefas existimant, intempestivum asserens, cùm *Innocentio XI.* post *Clementem VIII.* idem liceat, qvod post *Sixtum V. Clemens VIII.* licere sibi statuit. Addit etiam, qvàm falsum & ridiculum sit Frassenii principium, Fontes Hebraicos & Græcos tàm corruptos, & Versionem Vulgatam tàm correctam pronunciantis, ut Fontes potius ex Versione qvàm hanc ex Fontibus emendari debere censeat. Porrò his generalibus præmissis ad specialem singulorum locorum, qvæ in dissertatione suâ mendosa & correctionis indiga animadverterat enumerationem progreditur, & observationes suas contra censoriam Frassenii virgulam tueri satagit. Postremò etiam doctissimi Abbatis *Petri Danielis Huetii*, passim in Frasseniahis disqvisitionibus traductæ causam agit, & simul ad ea, qvæ in fine disqvisitionis de Vulgata Versione contrà ejusdem Censores durius dicta sunt breviter respondet.

CARNIOLA ANTIQVA & NOVA, sive inclyti Ducatus Carniolæ Annales Sacro-prophani, ab orbe condito ad nostrum usque ætatem, per annorum seriem Chronographicè digesti in duos tomos, Autore Joanne Ludovico Schönleben, Carniolo Labacensi, ss. Theolog. Doctore, Protonotario Apostolico.

Labaci Anno MDCLXXXI. in fol.

DE patriâ suâ bene mereri, qvi illius famam temporum injuriâ obscuratam illustrare satagunt, suo exemplo nuper docere voluit

Dn.

Dn. D. Joannes Ludovicus Schœnleben. Etenim videns ipse nullam ferè in cultiori Europa regionem inveniri, qvæ non suum nacta scriptorem, nominis aliqvam celebritatem consecuta sit, animum appulit ad CARNIOLÆ, patriæ suæ historiam hactenus orbi fere ignotam, è tenebris eruendam; itaqve evolutis & collatis IX. MSC. Chronicis & plus centum scriptoribus aliis in margine operis allegatis, passimqve notatis Megiseri, Aventini & aliorum erroribus, qvi partem historiæ hujus attigerant, eandem componere aggressus est. Præmissis Carniolæ antiqvæ, sive partis Norici & Carniæ, Japudiæ & Histriæ antiqvæ tabulis Chorographicis, totum *opus* in *tres partes* divisit. In PRIMA Carniolæ antiqvæ statum delineat, inqvirens in varia ejus nomina, incolas, limites, situm, urbes, oppida, vicos, colonias, montes, fluvios & lacus. Inter urbes antiqvitate eminet *Æmona*, qvæ hodie Labacum dicitur & Carniolæ metropolis. Dum montes *Cap. IV.* attingit, Alpium varia nomina & divisiones exponit, notans *Cluverium* qvi Carusadium & Carvancam, imò & Ocram, unum eundemqve Alpium tractum esse statuerat, erasse. Inde pergens, singulare naturæ miraculum describit, *Lacum Circknicensem* puta, veteribus *Lugea palus* dictum, in qvo qvotannis, & qvidem eodem in loco, agricola fœnum & messem expectat, venator lepores indagat & capit, piscator pisces extrahit varios, inprimis lucios sæpè duos & ultrà cubitos longos, librarum qvindecim, viginti & amplius; non vano argumento lacus subterranei, extremo autumni tempore & subinde etiam veris initio erumpentis ac vallem hanc inundantis. Non procul ab lacu *Lugea specus* observatur, qvam inter montis cavernas existentem, si qvis subierit, murmur illico fluvii ingentis audit, & qvod magis mirère, ultra milliare Germanicum eam protendi, juxtaqve fluvium, qvi navigabilis esse dicitur, latam satis viam patere scribit, qvâ cum stupore tandem emensa, ad saxa prærupta perveniatur, qvæ gradum sistere, longius progredi volentem jubeant. *Autor* historiæ hujus, tellurem terræ motu concussam, montesqve duos fluvium ambientes concidisse, ac admirandam hanc effecisse speculum existimat. In *V. Cap.* antiqva nomina locorum Carniolæ vicinorum recenset, qvæ veteris Geographiæ partē illustrant. Hinc *Cap. VI.* de antiqvæ Carniolæ populis, inqvilinis & eorum migratione agit: ut sunt Aborigines, Japides, Hyperborei, Celtæ, Pannones, Taurisci, Norici, Romani, Vandali, Gothi, Longobardi, Slavi, Avares,

Hunni & deniqve Franci. *Cap. VII.* antiqvas Inscriptiones Latinas, tùm qvæ Labaci, qvàm qvæ extra urbem in locis vicinis leguntur, annotat. *Lazius* qvidem antè jam aliqvot earum descripserat: verum *Autor* hic non solùm qvædam in illis perperam descriptis notavit; sed & novas ipsi communicatas adjecit.

PARS II. continet rerum inde ab orbe condito usqve ad nativitatem Christi gestarum compendium, in morem Chronici vulgaris digestum, adscriptis in margine autoribus, qvorum testimoniis uti voluit.

PARS III. annexa, qvæ à nato mundi Salvatore, per mille annos ad Ottonis III. Imperatoris ætatem acciderunt, in compendio memorat, adspersis qvæ ad Carniolæ & vicinarum gentium historiam faciunt.

MEMOIRES DU CHEVALIER DE TERLON pour rendre conte au Roy de ses Negotiations, depuis l'année 1656. jusqv'en 1661.

A Paris, A. M DC LXXXI. in 12.

Eqvitis Terlonii Commentarii, qvibus rationem Regi negotiationum suarum ab anno 1656 ad annum usqve 1661 reddit. Parisiis, 1681.

QVantam id generis Commentarii, qvibus legationis à se administratæ narrationem complecti Oratores consveverunt, utilitatem & illis afferant, qvi ad Civilem prudentiam aspirantes, negotiorum publicorum rationem ac momenta, ipsarumqve Rerumpublicarum statum præsentem, nôsse intimiùs desiderant: & iis etiam, qvi justos Annales componere, ac rerum gestarum Historiam non ex vulgi sermonibus, sed authenticis fideqve dignissimis monumentis posteritati tradere moliuntur, ignorat nemo. Nec qvisqvam inficiabitur, in ejusmodi Legatorum de rebus à se in curando munere gestis Relationibus, qvæ apud plerasqve gentes publico usui subductæ in scrinii s inter secretissima recondi solent, pubici juris faciendis, Gallos inprimis faciles esse: ut, qvemadmodum consulta sua ac destinationes clausis tenent summoqve studio occultant, ita rerum jam peractarum exactam notitiam invidere nemini velle videantur. Utiqve non Acta tantùm

tantùm publicæ fuæ in volumina diligenti studio collecta, ut usui esse justam Historiam conditurо possint, (*Recueils de diverses pieces pour servir à l' Histoire*) sed & Oratorum Regis Galliæ Commentarii Historiam peractæ legationis continentes magno in Gallia numero prostant; ut tot subsidiis publicè jam paratis, quæ alibi ex archivis magno labore conquirenda sunt, & ægrè admodum è latebris extrahuntur, nullius gentis Historiam, quàm Gallicæ, sinceriùs, exactiùs, & faciliori negotio componi posse palam sit. Aliorum itaque exemplum secutus *Eques Terlonius*, cùm Nuntii primùm Extraordinarii, pòst Legati Ordinarii ad Daniæ, Sveciæ, Poloniæ Reges munere, ab a. 1656 ad a. 1661, eo nempe tempore, quo Septentrio atrocissimis bellis flagravit, functus esset, ac non hostilium tantùm actionum spectator ac observator industrius fuisset, sed & in pace inter belligerantes componendâ præcipuas partes egisset, Commentarios hosce edendi consilium cepit, eadem operâ & Regi Christianissimo rationem redditurus gesti muneris, & Historiarum civilisque prudentiæ cupidis consulturus.

Auspicatur opus hoc ab itinere in Poloniam a. 1656 à se suscepto, ut ad Carolum Gustavum Sveciæ Regem Polonico tunc bello occupatum munera à Rege suo deferret; cumque illa tempestate Sveci ac Transylvani socias adversùs Polonos vires junxerint, fœderis illius ortum ac momenta, exercitûs utriusque robur, Caroli Gustavi Sveciæ Regis & Ragozii Transylvaniæ Principis congressum, eorundemque post armorum conjunctionem gesta, Sveciæ deniqve Regis felicem eventu in Germaniam, ut novo hosti Dano maturè occurreret, Ragozii infelicissimum in Transylvaniam regressum, uberius recenset. Inde quæ in Electoris Brandenburgici Aulâ sibi obtigerint, quibusque causis impulsus Elector pacem cum Polonis, desertis Svecorum partibus, admiserit, enarrat; quæque ipse, postquam defuncto Lubecæ *Comiti d' Avaugour* in ordinarii ad Septentrionis Reges legati munere suffectus, ac paci inter partes bellantes componendæ incumbere jussus esset, in pacis promovendæ negotio dixerit, scripserit, egerit, sic commemorat, ut utriusque belli Sveco-Danici Historiam passim intertexat; adeoque auspicatissimam Sveciæ Regis in Danicas provincias irruptionem, pacem Danis tantùm non imperatam, bellum à Carolo Gustavo Sveciæ Rege adversùs Danos redintegratum, Hafniam obsessam, suppetias afflictis Danorum rebus

rebus à Cæsare, Brandenburgico Electore, Batavisqve latas, verbo, belli totius cursum ac fata describat. Redit inde ad pacis multo tandem labore stabilitæ Historiam, ac qva eam ratione in Poloniam profectus inter Svecos primùm ac Polonos eorumqve Fœderatos promoverit, insertis literis qvamplurimis eam ob causam ultro citroqve datis; qvomodo item redux in Daniam factus Tractatus pacis inter Danos ac Svecos unà cum Anglicis ac Belgicis Legatis instauraverit, ac ad felicem tandem exitum, etsi post Caroli Gustavi demum fata perduxerit, commemorat. Deniqve cùm & Regni Svecici comitiis post excessum Caroli Gustavi celebratis *Torloniis* amplissimo, ut antè, Legati Gallici munere insignis interfuerit, qvæ istis in comitiis tum de regimine, donec Rex minorennis adolesceret, constituendo, tum de Regina Christina, qvæ in Regnum nuper redierat, actitata fuerint, explicat, subjecto defuncti Regis Caroli Gustavi Elogio ac charactere: indeqve Friderici qvoqve III Daniæ Regis, Regiæqve Domus adornatâ delineatione, mutatam Regni formam, qvod ex electitio hæreditarium factum est, recenset, finemqve libro Historiâ reditus sui ex Dania in Galliam, ubi à Christianissimo Rege gratiosè exceptus est, imponit.

DISSERTATIO EPISTOLARIS, DE OBservationibus circa curationem Variolarum confluentium, nec non de Affectione Hystericâ.

Per Thom. Sydenham M.D. Londini, 1682. in 8.

EGerat jam pluribus *Autor in Observat. circa Morb. acut. Hist. & Curat.* de Variolis, qvas *Confluentes* vocant, eæqve in qvantum & essentiâ & periculo à *Discretis* differant, *c. I. s. 3. c. 2. p. 166. & s. 4. c. 6. p. 282.* docuerat: qvæ tamen novis qvibusdam observationibus illustrare, qvin & de Passione Hystericâ qvædam adjicere, *à Gvil. Cole*, M.D. per Epistolam invitatus, præsenti in dissertatione satagit.

De Variolis Confluentibus duo principaliter monet. 1. Regimen calidum ægrorum, eorumqve ante sextum morbi diem, & ante qvam variolarum examen omne in conspectum se dederit, decubitum, (nisi interdum symptomata vehementiora ad id cogant) omnino rejicit. 2. Syrupi de meconio, seu diacodii & crebriorem & copiosiorem usum sub variolarum suppuratione persvadet. Qvoad prius punctum

ctum, ſupponit materiæ Varioloſæ (ab ipſo ſic dictæ) cum ſanguine aſſimilationem, adeoqve hujus infectionem, illius multiplicationem omni ope prohibendam eſſe. Aſſimilationem verò hanc nullâ re magis promoveri, qvam ſi æger intempeſtivè, ante ſextum diem lecto ſe addicat: Siqvidem hoc modo, non ſecus ac ab ægri naturâ ſpirituoſiore, vel à medicamentis cardiacis & ſpirituoſis, fermentum plus debito exaltetur, ſanguis verò ad excipiendas profundius morbi impreſſiones diſponatur. Adeóqve curationis fundamentum à primorum dierum regimine dependere; ſi verò calidorum, & præſertim lecti uſu ſpirituoſæ particulæ acuantur, neceſſe eſſe, aſſimilandi earum facultatem hoc ipſo roborari, variolas copioſiores hinc efflorescere, & ægrum in majori vitæ periculo verſari. Qvoad poſterius punctum notat, poſt ſextum morbi diem puſtulas augeri, corpus, præſertim caput, ab iisdem calefieri, & maturando ſuppurari, & ita febrim ſecundariam tali occaſione incendi, ex qvâ ſubinde ingens ægro periculum circa xi præſertim morbi diem immineat. Cum verò qvo ſedatior ſanguis & ſpiritus, eò melius procedere omnia ſoleant, ob id remedia anodyna, & hæc inter ſyrupum de meconio ad ℥ j usqve ad ʒx ſæpius reiteratum eſſe omnium optimum, idqve inprimis ultimis & periculoſiſſimis morbi diebus. Qvæ omnia rationibus & obſervationibus, ut & objectionum reſolutionibus confirmare nititur.

Pergit poſtmodum ad *affectus Hyſtericos*, chronicorum omnium ipſi freqventiſſimos, & qvos eosdem cum affectionibus hypochondriacis marium eſſe aſſerit: in qvâ ſententiâ, cum *Fr. de le Boe Sylvio* celebri Medico, amicè conſpirat, ut paſſim ex libris hujus Practicis conſtat, & qvi ob id *ſuffocationem hypochondriacam*, qvàm *Hyſtericam*, iſtud malum complicatum appellare maluit. Præmittit affectuum dictorum Hiſtoriam, ſecundum inſignem ſymptomatum varietatem notabilem, qvæ omnia, tanqvam à cauſa proximâ, à ſpirituum animalium ataxiâ ſeu vitioſâ diſpoſitione, cujus ratione ex impetu illorum inordinato in hanc vel illam partem ſpaſmi & dolores excitentur, & organi tam illius, in qvod ſe ingerunt, qvam iſtius, à qvo abſcedunt functiones pervertantur, pendere ſtatuit, id qvod ſpeciali ſymptomatum fiendi modo, pluribus declarat. Propius accedit hîc *Willisio*, qvi pariter in *Pathol. Cerebri, & Nervoſ. generis Specim. c. X.* pathemata hyſterica ad affectus convulſivos, & in qvibus cerebrum & nervoſum ge-

nus inprimis afficiantur refert, causam verò proximam non tam spiritibus ipsis, qvam potius copulæ explosivæ heterogeneæ à sangvine suffusæ, cum spiritibus per processus nerveos derivatæ, attribuit. Præmissa istâ theoria, Curam Practicam ponit in sangvinis corroboratione, ut spiritus ex illo geniti, invigorati, correctâ eorum ataxiâ, tenorem totius corporis, & singularum partium œconomiæ competentem, denuo acqvirant. In qvem finem martialia, præsertim martem crudum, & syrupum de Marte, ceu expertissima, non neglectis cæteris hystericis & fœtidis. commendat: utut ægris qvibusdam, aliis irritis, curam lacteam, aliis diuturnorem eqvitationem proficuam observavit. Generali huic, specialem paroxysmorum atrocium, & symptomatum graviorum per opiata præsertim instituendam curam subjungit, ut & qvomodo tractandæ sint puerperæ, passionibus hystericis correptæ, ut qvod ipsis imminet, vitæ periculum effugiant.

G. G. L. MEDITATIO DE SEPARATIONE Salis & aqvæ dulcis, novoqve Separationum Chymicarum genere.

SEparatio aqvæ dulcis, salisqve in ea contenti duplicem scopum habere potest, vel enim qværimus aqvam dulcem, neglecto sale, ut navigantibus succurramus, vel contra qværimus salem neglecta aqva dulci, ut sumtus minuamus, qvi in ignem sunt impendendi, cujus vi aqva evaporat, qvod non exiguum in illis regionibus usum haberet, qvibus Sol hoc ministerium non satis præstat.

Qvod primum attinet, aqvam dulcem potuisatis aptam ex marina obtineri posse distillatione, non Linschotani tantùm, sed & aliorum multorum relatione constat. Et putem eum in usum furnos inveniri posse admodum compendiosos, & exiguæ materiæ combustilis indigos, qvales nondum adhibentur. Præcipitari salem posse scio Zinco, lapide calaminari & similibus, qvin etiam Saturnus hic aliqvid præstat. Sed simplicissimam obtinendæ aqvæ dulcis rationem esse puto percolationem. Experimentis enim constat, etiam vino & urinæ aliisqve liqvoribus repetita per simplex sabulum transmissione adimi non tantùm colorem, sed & saporem. Et cum in Galliis essem, vidi genus lapidis, qvi prima statim vice, liqvores insipidos transmittebat; credoqve adhuc vivere, qvi locum indicare possit. Et ut aqva

falsa facilius per majorem sabuli copiam percolaretur, & proinde statim prima vel ad summum altera vice purificaretur, posset adhiberi machina comprimens vel fugens. Quod si cui placeret loco simplicis sabuli adhibere Lithargyrium, vel aliam Saturni calcem, res forte adhuc meliùs succederet. Cæterum ex his occasio mihi nata est cogitandi *de novo quodam Separationis Chymicæ genere.* Ponamus liqvorem per sabulum vel commune vel peculiare, aliudve corpus sæpe transmitti, donec vim amiserit: dubium nullum est, qvin sabulum aliqvo sale, si ita dicere licet, essentiali, ipsius liqvoris futurum sit imprægnatum. Eliciatur Sal iste rursum ex sabulo, superfusa aqva communi, & aqvæ defusæ parte deinde evaporante, congeletur in crystallos, aliave ratione ad siccitatem revocetur. Ne verò putet aliqvis frustra aqvam sali ex sabulo eliciendo reddi, qvam percolatione prius ab eo seperavimus; sciendum est, hac ratione magnam salis copiam antea in multo liqvore dispersam, nunc concentrari in tam exiguum, qvantus ad eum solvendum sufficit; deinde multum interesse inter aqvam priorem ipsi vino vel alii liqvori ingenitam, qvæ salem hunc sibi cognatum non ita facilè dimisisset, & inter aqvam communem, nunc affusam, qvæ salem hunc essentialem ut nunc primum attraxit, ita mox libenter derelinqvit. Si qvis etiam omissa elixatione experiri volet, qvid distillando salem ex sabulo, aut sabulum vitrificando esset proditurum, multa haud dubiè nova deprehenderet, qvasdam etiam forte peculiares terras produceret. Ita ope hujus subtilis percolationis, novam multorum corporum analysin habebimus, ingentemqve materiam utilium experimentorum.

Superest ut de secundo capite dicam, separatione scilicet salis ex aqva, ipsa aqva neglecta. Hæc separatio pluribus modis reddi potest facilior, qvorum partem jam attulimus, nam illi ipsi furni compendiosi minore sumtu aqvam in vaporem vertent; deinde si percolatione sal in sabulo relictus habeatur, elixatione concentrabitur in aqvam multo priore ditiorem, adeoqve facilius incoqvendam. Sed ut nunc mittam Solis aërisqve auxilium non satis adhibitum, sufficerit dici, qvomodo aqva seqvestrari possit simplici motu, sine ullo igne. Fundamentum hujus meditationis mihi præbuere illæ salinæ, qvas vocant, LECK-WERCKE, ubi magna aqvæ sylvestris sive heterogeneæ pars, Sulciæ sive Solæ qvam vocant mixta, motu lapsuqve dissipatur.

Sed perfici operationem posse cogitavi, cum considerarem folles illos notos, qvi à vento ex aqva per lapsum generato, flatum habent. Inde enim manifestè seqvitur, si aqva salsa semel delapsa & per machinam iterum elevata, denuo decideret, deniqve omni aqva in vaporem versa, solum salem in fundo remansurum. • Has meditationes, qvas alii forte secretas haberent, ex multis aliis excerptas, publico impertiri volui, ne forte casu aliqvo intercidant.

EXCERPTA EX EPISTOLA DN. JOANNIS HEVELII, Gedano Lipsiam missâ d.17.Nov.St.n.a.1682.

I. De Variatione Acûs Magneticæ.

Confer Acta Anglicana M. Oct. Anno 1670. & Actorum horum mens.Aug.p.258.

GRatias autem omnium primò Tibi habeo, qvod inter alia etiam illam Epistolam invitatoriam ad observationes Magneticæ Variationis instituendas mihi transmittere volueris. Lætor ex animo, qvod & alii mecum statuant, plurimùm conducere & Rei Literariæ & Nauticæ, ut hocce negotium conjunctis viribus funditus perveſtigetur. Ego qvidem anteqvam hanc Epistolam accepissem, sponte tamen meâ, die sc. 20 Junii St.n. circa ipsum Solstitium æstivum, cùm intra aliqvot annos debitè declinationem magneticam haud investigassem, observationem istam rursus summâ diligentiâ instituì, non solùm illâ acu magneticâ, qvam ante qvadraginta jam annos istis observationibus adhibui, sed plurimis diversissimis. Inveni autem declinationem hoc anno esse 8 gr. 45 vel 50 min. occasum versus, qvæ anno 1670 d. 22 Junii deprehensa est 7 gr. 20 min. hîc Gedani: uti ex Epistolâ *ad Cl. Oldenburgium Ill. Reg. Societatis Secretarium*, qvæ in *Actis Anglicis* Anno 1670 m. Oct. invenitur, liqvet. Cum autem inter alia ibi profeſsus sim: *Unde mihi subolet, motum hunc annuum hoc tempore qvasi decrescere: præsertim cum ex meis observationibus annorum 42, & Anno 1670 habitis, liqvidum sit, hunc motum tantummodo nunc esse 9 min. 6 sec*: In hâc opinione nunc magis magisqve confirmor, ex hujus anni 1682 observatione, motum sc. hunc annuum plus

plusqve

Plusqve decrescere. Nam 12 annorum spatio 1 gr. 25 min. declinatio hîc Gedani tantùm diminuta nunc est. Qvousqve autem decrescet, an suo tempore futura sit circa limites planè stationaria: an verò continuo motu, & ubiqve planè uniformi sit progressura, subseqventium annorum observationes docebunt. Qvare & meo nomine omnes harum rerum obstrusarum cultores obnixè rogatos volo, ut qvilibet suo loco ad ea omnia accuratè attendat, inprimis ut limites hujus progressionis rectè ubiqve detegi possint. Nam motum hunc Magnetis suo tempore rursus orientem versus progressurum, nullum apud me est dubium.

II. De Cometâ Anno 1682 mense Augusto & Septembri viso.

Nuperus Cometa etiam à me pro viribus, qvoties temperies tantùm aëris indulsit, hîc Gedani ex novâ meâ Speculâ, Novisqve meis Organis observatus est; plurimas etiam tam distantias à plurimis Fixis, qvàm Cometæ Altitudines Meridianas notavi; qvas autem omnes hîc recensere, nimis longum foret, nec vacat eas rigidiori calculo subjicere; tota historia rejicienda erit eousqve, donec *Annum Climactericum*, atqve *appendicem Observationum mearum* post *Part. II. Mach.* meæ *cœlestis* impetratarum sum editurus. Sufficiat hâc vice dixisse, Cometam hunc Gedani die 25 August. st. n. primùm detectum, atqve à die 26 Aug. ad 17 Septembr. qvoties tantùm serenitas permisit, debitè summaqve curâ à me observatum esse, tam manè qvàm vesperi, imò etiam per aliqvot continuas noctes, cùm existeret pernox: qvâ viâ autem, qvâ velocitate, sub qvo angulo Orbitæ ac Eclipticæ progressus fuerit, ex adjectâ Tabellâ patet; qvam tamen non ex accurato calculo, sed ex Globo tantummodo laxiori modo concinnavi, cùm sublimiora studia in edendo novos Globos cœlestes meos, cum Catalogo Fixarum, & qvæ eò pertinent, id minimè permittant.

Digitized by Google

Anno 1682. Mens. D.	Hor. /.	Longitud. Cometæ. S. o. /	Latitud. Cometæ. o. /	Motus in prop. Or. o. /	Notanda.
Aug. 26.	3. 0. M.	3. 23. 30.	21. 0. B.	10. 0.fer.	Nodus Boreus in 24 gr. Tauri, & Nodus Auſtrinus in 24 gr. Scorpii; Limites verò in 24 gr. Leonis & Aqvarii extiterunt. Angulus Orbitæ & Eclipticæ fuit 26 gr. ferè. Utrum autem toto durationis tempore omninò conſtans cum Nodis extiterit, an verò & qvousqve variaverit, ut ſæpius fieri ſolet, ex calculo patebit.
27.	11. 0. V.	4. 5. 0.	23. 30.	13. 20.	
30.	3. 30. M.	4. 18. 0.	25. 20.	5. 30.	
30.	9. 0. V.	4. 22. 0.	25. 40.	2. 20.	
31.	3. 30. M.	4. 24. 30.	26. 0.	5. 45.	
Sept. 1.	3. 30. M.	5. 1. 0.	26. 0.fer.	4. 45.	
2.	9. 0. V.	5. 6. 0.f.	25. 40.	11. 30.	
3.	8. 30. V.	5. 20. 0.f.	24. 30.	15. 0.	
6.	9. 0. V.	6. 5. 0.	20. 30.	8. 0.fer.	
8.	8. 0. V.	6. 12. 0.	18. 15.	3. 30.	
9.	8. 30. V.	6. 15. 30.	17. 25.	3. 0.fer.	
10.	8. 0. V.	6. 18. 30.	15. 45.	5. 0.	
12.	8. 0 V.	6. 23. 0.	14. 0.	2. 0.	
13.	7. 30. V.	6. 25. 0.	13. 30.		

En motum diurnum aliqvanto accuratiorem ad aliqvot dies:

Mens. dies Veſp.	Mot. Com. diurnus. o. /.	Mens. dies Veſp.	Mot. Com. Diurnus. o. /.
Aug. 26.	5. 28.	Sept. 5.	5. 24.
27.	5. 35.	5.	5. 0.
28.	5. 41.	6.	4. 30
29.	5. 46.	7.	4. 0.
30.	5. 50.	8.	3. 30
31.	5. 46.	9.	3. 0.
Sept. 1.	5. 43.	10.	2. 40.
2.	5. 40.	11.	2. 20.
3.	5. 34.	12.	2. 0.
4.		13.	

Sic ut motu ſuo proprio in orbitâ ſuâ confecerit à die 26 Aug. ad 13 Sept. veſp. 83 gr. 27 min; & in Ecliptica 91 gr. 30 min. Latitudo verò Borealis creverit ad 6 gr; rurſus decreverit 12 gr. 30 min.

De

Digitized by Google

TAB. XXI. ad A. 1682. pag 329.

Fig. 1.



Fig. 2.



TAB. XX ad A. 1682. pag 391.

De Capite & Caudâ hæc referenda habeo: qvod nimirum caput toto durationis tempore lucidius, qvàm iste Anno 1681, ac aliqvanto etiam majus, è contrario multò breviorem caudam exhibuerit. In ipso capite, beneficio longioris Telescopii, non nisi unicum nucleum figuræ ovalis, & à superiori parte gibbosæ constanter notavimus; nisi qvod die præsertim 8 Sept. ex dicto nucleo clarissimus simul radius ex parte etiam incurvatus in caudam exiret; qvod ut notari meretur (cum ejus generis faciem in nullo adhuc Cometâ, qvantum memini, observaverim) sic lubens hîc faciem Capitis & Caudæ delineatam dare volui. Præterea sciendum, qvod nonnunqvam, ut d. 30. Aug. mane factum, caudam satis præcisè in oppositum Solis direxerit; sed sæpiùs etiam notabilem deviationem (prout in plurimis Cometis fieri solet) exhibuerit. Longitudinem qvoqve Comæ non semper eandem conservavit: initiò Cauda 12 ferè grad. videbatur, deinde nonnunqvam brevior, etiam interdum longior ad 15 & 16 gr. extitit; circa finem verò qvotidie diminuta est. TAB. XX.

III. De Phænomeno qvodam circa Auroram deprehenso.

Die Mercurii, 28 Oct. Horâ 9 vespertinâ, Aurora Borea Notozephyrum versus hîc Gedani apparuit, diversissimos, longissimos, fulgentissimosqve radios sursum projiciens, ac si caudæ essent trium vel qvatuor diversorum eximiorum Cometarum. An phænomenum hocce & simul alibi, uti nonnunqvam fieri solet, visum fuerit, haud abs re esset cognoscere. Nam interdum plurimis in locis simul ejusmodi phænomenum conspicitur: prout anno 1621, d. 12 Sept. obtigit. Qvod non solùm *Clariss. Petrus Gassendus* Peynerii in Provinciâ, circa Aqvas-Sextias, deprehendit; sed in totâ ferè Galliâ, tam ad Austrum, qvàm Aqvilonem, Orientem & Occidentem eo ipso tempore fuit observatum; ut legere est in Philosophiâ Epicur. p. 1137, 1138.

NOVA METHODUS TANGENTES CURvarum expeditè determinandi, per D. T.

QVantus sit Tangentium usus, iis constat, qvibus perspectum, qvod dum Tangentes curvarum determinantur, eo ipso etiam qvadraturæ spatiorum curvilineorum exhibeantur: qvapropter Methodi

thodi universales Tangentes determinandi, à Præstantissimis Mathematicis inventæ. Sed qvia utplurimum prolixum admodum reqvirunt calculum, optimè Geometriam promovent, qvi in re tanti usus singularem facilitatem suppeditant, qvod inprimis *Dn. Slusius* Generali ac admodum simplici regulâ effectum dedit.

Undè cum in Regulam, qvæ multo adhuc universalius ac simplicius, ac ulla hactenus exhibita, Tangentes determinat; inciderim, rerum harum peritis eam non denegandam esse credidi.

TAB. XXI. Fig. I. Sit *In Schemate I.* curva qvæcunqve Geometrica BDE, prout eas *Carteſius* vocat; BC abscissa, æqvalis x; ordinatim applicata CD, æqvalis y; linea determinans Tangentem AB sit æqvalis t: detur porrò hujus curvæ natura qvæ sit ex. gr. talis, ut $y^3 + x^3 + xxy$ sit æqvalis $xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$. His ita positis ordinentur termini hujus æqvationis hâc ratione, ut maxima potestas ordinatim applicatæ CD, seu y sit ab alterâ parte æqvationis: hinc jam erit $y^3 = -x^3 - xxy + xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$. Transpositâ verò y, cum signo — omnes termini ponantur æqvales nihilo, seu 0.

II. Fiat fractio, ejusqve Numerator hâc ratione. Termini, qvibus cognita qvantitas adhæret, omnes assumantur cum suis signis, & si eadem sit unius dimensionis, præfigatur illi termino unitas; si duarum, binarius; si trium, ternarius, & sic porrò: eritqve in præsenti exemplo Numerator $-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy$.

III. Denominator constituatur hâc methodo: Assumtis iis Terminis, in qvibus abscissa x occurrit, retentisqve signis, si qvantitas x sit unius dimensionis, præfigatur, ut supra, unitas; sin duarum, binarius; & erit $-3x^3 - 2xxy + xyy - aax + 2axx$: his verò singulis unicâ x diminutis denominator erit $-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax$.

Dico: hanc Fractionem æqvalem esse qvantitati AB, atqve adeò in præsenti exemplo $t = \frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax}$. Atqve sic facili & universali viâ omnium curvarum geometricarum Tangentes exhibentur.

Ulterius autem ostendam, eâdem Methodo infinitarum curvarum ex mechanicis Tangentes determinari. Sit enim, *in Schem. II*, qvæcunqvecurva BDE, ac ponatur portio ejus BD æqvalis x; DF verò sit æqva-

Fig. 2.

Digitized by Google

sit æqvalis y; formeturqve qvæcunqve curva BF, ex gr. juxta priorem æqvationem $y^3 + x^3 + xxy = xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$: ad determinandam ergo Tangentem AF, curvæ BFG sic progredior. Assumatur Fractio juxta antecedentia, eiqve addatur qvantitas x; eritqve productum hoc æqvale AD portioni Tangentis curvæ BDE, ac proinde

In præsenti casu, si ducatur AD curvam EDE tangens in D, ac assumatur æqvalis $\frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax} + x$, ducta recta AF tanget curvam BFG in puncto F. Eadem Methodo cycloidis ac infinitarum curvarum mechanicarum Tangentes admodum expeditè determinantur, viaqve adeò universali, ut ubi hactenus, per qvamcunqve Methodū analyticam, saltem unius curvæ exhiberur Tangens, hic semper unâ eademqve operâ infinitarum curvarum Tangentes determinentur: infinitæ enim curvæ loco curvæ BDE possunt supponi, ut tn. Tangens semper determinetur per $AD = \frac{-3a^3 + 2aay - 2aax + axx - ayy}{-3xx - 2xy + yy - aa + 2ax} + x$ positâ naturâ curvæ BFG tali, ut sit $y^3 + x^3 + xxy = xyy - a^3 + aay - aax + axx - ayy$; & curva BD = x; recta DF = y.

Demonstrationem horum omnium suo loco exhibebo, qvam tamen unusqvisqve vel leviter in Analyticis versatus ex hactenus exhibitis Methodis *Carteſii*, *Fermatii*, *Sluſii* &c. facilè poterit elicere.

CHYMIA EXPERIMENTALIS CURIOſa ex Principiis Mathematicis demonſtrata, Auctore Joh. Helfrico Juncken.

Francofurti apud Herm. à Sande, 1681. in 8.

CHymiam, præstantissimam ferè Medicinæ partem, Auctor hic hactenus sub densa nube delituisse observans, nulloqve autore publicè existente, (prout in Præfatione ad Lectorem edisserit) qvi ipsius desiderio satisfaceret, & qvasi nucleum nobilissimorum remediorum in compendio traderet, eo se adductum sensit, ut proprias ingenii vires excuteret, manum ipse operi admoveret, hincqve Chymiam Experimentalem adornaret. Ne autem hæc, instar gemmarum aut metallorum

intra viscera magnæ matris reconditorum, privatis saltem usibus servata, inutilis nullíusqve commodi existeret, Experimenta sibi congesta sub nomine *Chymia Experimentalis curiosæ*, in salutem Reipublicæ Chymicæ promovendam, Posteritati nuncupare voluit.

Totum scriptum *Sectionibus septem* complectitur, qvarum *Prior* Artis hujus Fundamenta, i. e. principia, instrumenta & operationes, subjectum & exin parabilia, describit ac recensct: *Altera* animalium horumqve partium, *Tertia* vegetabilium, *Qvarta* mineralium examen atqve analysin & ex his producta exponit, ita qvidem ut hujus caput ultimum de Auro, panacæarum nonnullarum præparationem subnectat. In *Sexta* Medicamentorum singularjorum, sc. Digestivorum, Purgantium, Diureticorum, Cephalicorum, Odontalgicorum, Pectoralium &c. formulas varias recensct Noster: *Septima* remedia generosiora morborum externorum, & inter hæc Chirurgicas qvasdam Operationes, v. g. Repositionem herniarum, Labii leporini sectionem, concedens, simulqve modum balsamandi cadavera cum Cosmeticis variisqve miscellaneis, Medicinam æqve ac Mechanicas artes spectantibus, it. de usu Acidularum, & observationibus Astrologico-Medicis ex Abd. Trevv, loco Appendicis adjiciens.

NEVV EXPERIMENTS AND OBSERVATIONS, made upon the icy Noctiluca, to vvich is annected a Chymical Paradox, by the Honour. Rob. Boyle.

h. e.

ROBERTI BOYLEI OBSERVATIONES & Experimenta nova, circa Noctilucam Glacialem, qvibus annectitur Paradoxon qvoddam Chymicum.

Londini 168$\frac{7}{8}$. in 8.

PRæmissâ appendice observationum nonnullarum ad Noctilucam Aeream, de qva Cal. Febr. pag. Act. 53. egimus, pertinentium, pergit Nobilissimus Autor ad Noctilucam solidam, (cujus præparatio, ut in aërea

aërea, non æqvè addita est) qvam *glacialem* vocat, idqve ex eo, qvòd subinde frustulorum ejus qvædam perspicua & sine colore, adeoqve instar tenuium glaciei fragmentorum appareant. Hujus primùm considerat *proprietates*, primariò qvidem, qvòd in aëre libero lucendo, insignem fumorum copiam spargat, qvi cum luce evanescant, simul ac aqvæ submergatur. Ne itaqve continua illius fieret jactura, sub aqva illam conservavit. Aqva hæc, ut ut vix sensibiliter à contenta Noctiluca alteretur, evaporando tamen residuum gelatinosum suggerit, qvod intensiori igni admotum, crepitando insigniter, explosiones crebras cum fulgurationibus igneis & lucidis emittit. Tentavit postmodum Noctilucæ hujus *solutiones*, observando, qvòd nec aqva simplex, nec spiritus urinosi, nec spiritus minerales acidi eam dissolvant, bene autem olea qvædam, calore cinerum adjuta, illud præstent, ut oleum therebinthinæ, sed sine lucis participatione, oleum cinamomi, cariophyllorum, cum lucis susceptione, oleum verò macis & anisi illam haud attingant. Nec spiritus vini solvere eam valet, nisi tandem admodum & calore adjutus: imprægnatur tamen insensibiliter particulis luciferis, adeò ut si ejusdem guttæ qvædam aqvæ vel frigidæ vel calidæ instillentur, mox sub contactu mutuo, coruscationes lucidæ, perqvam vividæ, ast brevi evanescentes, appareant, ut ita subitò in aqva communi lux produci qveat, ab alio qvamvis non lucido liqvore. Cujus Phænomeni occasione Autor *subtilitatem* particularum Noctilucæ scrutari conatur, dum ex S. V. ita imprægnati cum aqva simplici copiosiore mistura, & totius compositi clarâ effulgente luce, concludit gr. 1. Noctilucæ aptum natum esse ita se diffundere, ut imprægnare valeat liqvorem 100000 imò 400000 granorum, eumqve lucidum reddere. Considerat hinc Noctilucæ *inflammabilitatem*, qvatenus non solum chartæ inspersa, hujus sub incensione simul incenditur, cum fulguratione & strepitu instar nitri: sed etiam spiritui Vini commista, post hujus consumtionem & ipsa deflagrat. Agitatione in mortario vitreo sponte flammam concipit, ut & forti tritu ac agitatione cum aliis subjectis facilè inflammabilibus, charta, sulphure, pulv. pyrio &c. adeò ut literæ chartæ inscriptæ, & lucentes & ardentes simul aliqvando appareant. Phiolæ parvæ hermeticè sigillatæ inclusa, igni admota, intensam lucem & actualem flammam concipit. Qvoad Naturam deniqve hujus Noctilucæ annotat, ad *acidorum* crasin & proprietates eam ac-

cedere, siqvidem per deliqvium soluta, præter saporis testimonium, & coralia cum impetu arrodat, & cum Sale Tartari effervescat.

Paradoxon Chymicum istis annexum, jam cum Edit. 2dâ Chym. Sceptic. anno 1680, cum alio tractatu, *de Producibilitate Principiorum Chymicorum* edi debuit: sed qvia versio latina tunc temporis impedita fuit, Anglicè conscriptum annectere hîc placuit. Estqve nil aliud, qvam experimentalis confirmatio eorum, qvæ in Chymista sceptico fusius excutiuntur, ignem non esse genuinum analysatam concretorum, nec Chymicorum principia esse talia, sed ex aliis concreta & ex iisdem alias substantias diversas posse produci, qvæ in præsenti paradoxo per oleorum essentialium, primario anisi, hinc therebinthinæ, cornu cervi & succini, cohobationes illustrat, præter piceam remanentiam copiosum & phlegma & spiritum acidum ex iisdem elicendo.

EXCERPTUM EX LITERIS AVENIONE d. 12. Oct. ad Autorem Ephemeridum Gallicarum scriptis, à Dn. Gallet, Præposito Ecclesiæ S. Simphoriani Avenione, continens Ejus Theoriam Cometarum.

Translatum ex Ephemeride XXVII. d. 16 Nov. 1682.

MEam, qvam Tibi mitto, Cometarum Theoriam, duæ tresve, sive Cometæ, sive Maculæ Solaris, apparitiones comprobârunt. Contendo enim me ostensurum, ab unâ eademqve Stellâ duo differentia ista Phænomena produci, & ipsam perpetuò eandem esse, qvæ ab omnium qvas habemus, observationum, præteritorumqve etiam seculorum, tempore ut Cometa apparuit. Concepi hanc ideam, qvinqve aut sex abhinc annis, rationemqve ejus Academiæ Regiæ reddidi, post observatam Maculam Solarem, qvæ M. Aprili anno 1677. visa, aliqvot dierum lapsu Cometa fulsit. In hac sententiâ postremi annorum 1680 & 1681 Cometæ me confirmarunt, nec ego de rei hujus veritate porro ambigo.

Si per Te maturè adhuc, de observando sub initium proximi mensis Sole admoneantur Astronomi, notabilem visuri sunt Maculam.

Ea-

Eadem hæc illa Stella sit, qvæ Cometas efficit, qvæ solem eclipsabit. Constitui posthæc aliqvando Ephemerides super hac meâ Theoriâ condere: interim Tabulas dabo motuum mediorum, cum omnibus ad calculum Æqvationum necessariis proportionibus, ad legem Planetarum, qvi, perinde atqve Stella ista, super qvadam Ellipsi circa Solem moventur.

Videbitur hæc novitas mira, omniumqve maximè Scientissimo Astronomo *Dn. Kæuinæ*, qvi in *Opere super Cometam anni 1680 & 1681* impossibilia pronunciavit isthæc mea promissa; qvorum non exigua esset utilitas, etiamsi non nisi ad liberandum à terroribus publicum serviret, qvos talia Phænomena ciere mundo consveverunt.

OTTONIS PHILIPPI ZAUNSCHLIFFERI J. U. L. & Advocati Hanovici Ordinarii Judex supplens s. Discussio de Officio Judicis suppletorio.

Marpurgi 1682. in 4.

Sicuti latissimum jus dicentis officium est: ita spatiosissimum qvoqve scribendi campum nunqvam non præbuit magnis qvibusdam ingeniis, in qvo feliciter emetiendo, tanqvam in stadio virtute ac eruditione suâ digno, certatim desudarent. Ut enim alios nunc omittam, qvi in hac necessariâ perqvam & longè utilissimâ re operam atqve industriam posuerunt, vel solius excellentissimi & cum qvovis veterum comparandi JCti, *Casparis Ziegleri*, propitiâ Themide elaborata *Dicastice*, in qvâ tota Judicis conscientia excutitur, illustri ejus potest esse documento. Horum igitur vestigia laudabili conatu pressurus Auctor, per trimestre hibernum vix præstantiori studio insumere lucernæ oleum potuisset, qvàm colligendis iis, qvæ in Communi, Camerali, Feudali, Saxonico & Canonico, Juribus, aliisqve variorum locorum Statutis ac selectissimis Auctoribus circa officium Judicis *Suppletorium* sparsim tradita sunt; ita ut hic ipse liber jure meritoqve eruditi Commentarii vicem *in L. unic. C. Ut, qvæ desunt Advocat. partium judex suppleat*, subire possit. Scinditur autem hic Tractatus in duas, *Generalem & specialem*, partes. IN GENERALI Auctor, præmissis qvibusdam *concluss. 1. 2. & 3.* de necessitate Judiciorum, horum personis principali-

bus pariter & accessoriis, earundemqve officio, *concl. 4.* principem Thesin, cujus accuratiori evolutioni totus deinde liber consecratus est, proponit, *Judicem* nempe *omissa partium litigantium, earumqve Advocati vel Procuratoris supplere debere ac posse.* Ubi, remotis primò *Concluss. 5.* iis, qvæ cum hac thesi adversa videntur fronte præliari, in sequentibus docet, qvòd ea sint vel *Juris* vel *Facti.* Ratione *Juris* dicit, teneri Judicem supplere omissorum ea, qvæ (1) sint Juris Publici, *concl. 6.* qvæqve (2.) ad substantiandum, ceu vocant, judicium, justamqve procedendi viam pertineant, *concl. 7.* (3.) ea, qvæ sint Juris tam Communis, ejusqve vel Romani, vel Canonici, vel Feudalis, vel Recessuum Imperialium; qvàm Statutarii ac, Municipalis *concl. 8.* itemqi (4.) Juris non scripti, consvetudinis nempe cùm notoriæ, tum Judici bene cognitæ. *concl. 9.* Ad *Facta* officio Judicis supplenda refert exceptiones à Partibus non qvidem propositas, ex actione tamen instituta, productis instrumentis, confessione alterutrius litigantis, vel aliàs ex Actis apparentes, de qvarum veritate Judici, ut tali, constet. *concl. 10.* qvæ omnia locum habeant, sive præjudicium Partibus inde fiat, sive non, *concl. 11.* Tandem *concl. 12.* affirmat, esse qvædam, qvæ qvidem Judex supplere possit, non tamen præcisè teneatur, itemqve alia, qvæ Partes agere neqveant, hincqve à Judice sint supplenda, qvorum exempla in subjectis §§. non parcâ manu spargit. In SPECIALI parte examinatur, qvid Judex supplendo possit in singulis partibus Processus, & qvidem (1.) circa supplicationem pro impetrando Processu, *concl. 1.* (2.) in citatione, *concluss. 2.* (3.) in Advocatis, ac (4) Procuratoribus ut & Curatoribus cùm dandis, tum repellendis, ac puniendis, *concl. 3. & 4.* (5) in transactione inter Partes tentanda, *concl. 5.* (6.) in formando Processu *concl. 6.* (7) libellis actionum, *concl. 7.* (8) satisdationibus *concl. 8.* (9) Reconventione contra Actorem à Reo instituenda *concl. 9.* (10) Contestatione litis & positionibus, juramentò respondendorum dandorumqve dandis, *concl. 10.* (11) Exceptionibus dilatoriis æqve ac peremptoriis, *concl. 11.* (12) Probationibus, *concl. 12.* (13) in Conclusione causæ & Actorum transmissione, *concl. 13.* (14) Sententia, *concl. 14.* ac denique (15) in hujus executione, *concl. 15.* Postremo *Concluss. 16.* officium Judicis Suppletorium circa varia in qvavis Judicii parte emergentia considerat, adductisqve iis, qvæ in actibus voluntariæ Jurisdictionis hisqve similibus isti qvoqve subjacent, ultimam manum cum

co-

coronide duplicis Concluſionum & materiarum indicis opuſculo imponit.

VINCENTII PLACCII J.U.L. ET PROFESſoris Hamburgenſis Juſtiniani Imperatoris Inſtitutiones reconcinnatæ.

Francofurti 1682. in 8.

DE methodo & ordine Juris Romani, qvod qvidem Juſtiniani juſſu compoſitum in qvatuor volumina ſuccrevit, diverſa diverſorum circumferuntur judicia. Sunt, qvi Cujacium ſecuti, omnia arte mirabili in eo cohærere, nec tam ingenio Triboniani, qvàm Juliani & Hermogeniani aliorumqve veterum Juris Sacerdotum, qvorum veſtigia ille ſecutus ſit, digeſtum contendunt. Sunt è contrario alii, *ἀυτοδιδάκτον* librorum Juris, titulorumqve inter ſe connexionem non ſatis accuratam apertè accuſantes, inter qvos præ cæteris eſt non infimi ſubſellii JCtus, *Antonius Matthæi*, qvi ſæpius concinnatori Elementorum Jurisprudentiæ Romanæ *ἀτάξιας* nævos exprobrat, qvos tamen abſtergere conatur CL. Argentoratenſium JCtus *Joh. Otto Tabor in Partitionibus Jurisprudentiæ Methodicæ elementariis*, ſatius eſſe dicens (*vid. cit. libelli dedicatio prior & concluſio*) ad levigandas difficultates, tectis & excuſatis, ſi qvi vel maximè ſubeſſent, erroribus, reverentiam potius ac amorem erga Juſtiniani methodum, qvàm tædium ac veternum cupidæ legum juventuti inſtillari. In hac ergo poſteriorum claſſe ſuum qvoqve videtur profiteri nomen Auctor præſentis libri, qvi ſe, non modò ob compaginem partium confuſam, ſed etiam obſcuritatem rerum, defectumqve bonarum definitionum, multarum deinde ac præcipuarum Juris materiarum qvarum nec nomina qvidem hæc Juſtiniani Elementa nota faciant, præteritionem, ac deniqve abrogata, qvæ ibi contineantur, qvamplurima, ad reconcinnandas has Conſtitutiones Imperiales, novamqve iis faciem adaptandam, compulſum aſſerit. Sex v. potiſſimùm recenſet, qvæ in hoc enchiridio præſtiterit. (I) Paucaſſe ac perbreves ſenſuum declarationes paſſim textibus interſeruiſſe. (II) Sola illa, qvæ ad Compendii Juris neceſſariam Inſtitutionem requirantur, à ſuperfluis, aut repetitis potius, ſecreviſſe. (III) Definitiones rerum planè omiſſas ſuppleviſſe, vel etiam in textu occurrentes interpo-

terpolatione levisimâ accurratiores effeciſſe. (IV) retinuiſſe qvidem partium ſeriem & connexionem, Imperatoris auctoritate comprobatam, nec omnino peſſimam, qvandoqve tamen titulum alteri aut ejus parti præmittendum, qvi poſtpoſitus erat, notâſſe, vel ubi ejus paragraphus aut ejus membrum intempeſtivius anticipatum eſſet, monuiſſe. (V) ea, qvæ certò aut legibus recentioribus aut uſu indubitato Imperii abrogata conſtet, typorum varietate ab adhuc vigentibus diſtinxiſſe; ac (VI) deniqve varia ſupplementa ad perfectum Juris privati compendium adjeciſſe, omiſis tamen iis, qvæ ex Philoſophiâ Practicâ cuivis antè, qvàm Jurisprudentiæ limina ſalutet, addiſcenda ſint, aliisqveſpinoſis qvæſtionibus & diſtinctionibus ſubtilioribus, non tam à Legibus, qvàm Interpretibus ſæpenumero excogitatis; & qvidem hæc omnia eò ſtudiò, ut non putet, hujus breviarii aliud breviarium denuo reqviri, niſi apud eos, qvi ætatis aut præcognoſcendæ Philoſophiæ maturitate deſtituti, præpoſtera feſtinatione ad altiora hæc ſtudia impares adhuc nimis animos attollant.

MISCELLANEA HISTORICA REGNI Bohemiæ. Decadis I. Liber IV. Hagiographicus, ſeu BOHEMIA SANCTA, continens Sanctos & Beatos Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæ &c. Autore Bohuslao Balbino, è S. J.

Pragæ, 1682. in fol.

QVorum memoriæ hunc librum deſtinavit Autor, qvatuor illi potiſsimùm, imò coronidem operis ſi addas, qvinqve claſsibus deprehenduntur diſtincti. In *prima* etenim collocavit, qvos è Bohemis in Divorum ſuorum numerum Romana Sedes retulit: qvin & alios, pro Sanctis & Beatis inter ſuos qvidem cultos, ſed nudâ fortè Sedis illius permiſsione. *Altera* eos commemorat, qvi tametſi nullâ Sedis autoritate in Sanctorum unqvam cenſum venerint, pro Sanctis tamen Beatisqve habeantur ab immemorabili tempore, ornatiq; iſtis titulis apud alios Scriptores inveniantur. *Tertia* eorum vitas complectitur, qvi, licet nec Sancti ſint à Pontifice declarati, nec uſpiam Sanctorum vice culti, religionis Romanæ tamen cauſâ fuerint interemti. Qvò Edmun-

mundum etiam Campianum, Natione qvidem & loco mortis Anglum, vitæ tamen institutione & doctrinâ Bohemum, refert. A cujus institutione postea se, doctrinamqve suam rectâ qvasi lineâ descendere inde probat, qvod Edmundus hic Rhetorices Professor Pragæ, Jacobum Pontanum: Pontanus, Mattheum Raderum in Bavaria: Raderus, ibidem Jacobum Bidermannum: Bidermannus Johannem Lupium, & hic, Balbinum inter alios Pragæ Brunæqve suæ habuerit alumnum disciplinæ. *Qvartam* classem, ex secunda libri parte, faciunt, qvi in Bohemia, Moravia, Silesia, & Lusatia cum publicâ sanctimoniæ vixerunt famâ, vitæqve innocentiâ in antiqvitate claruerunt; aut à Scriptoribus idoneis virtutum & sanctimoniæ merito, in isto religionis genere commendantur. Qvorum Catalogo & res gestæ Caroli IV, ac Ferdinandi II. Imperatorum Augustorum, Bohemiæqve Regum inseruntur. *Postremam* classem, & totius Libri coronidem illis Societatis suæ Patribus tribuit atqve Fratribus, qvi integri fere abhinc seculi decursu, cùm ultro Peste conflictantium obseqviis sese devovissent, eodem illo contagiosæ luis torrente sunt abrepti.

CASTELLUS RENOVATUS, hoc est, LEXICON MEDICUM curâ & studio Jacobi Pancratii Brunonis Ph. & Med. D. & P. P.

Norimbergæ 1682. in 4.

Diuturnum sanè est exilium, qvod Medicina vel ab incunabulis suis, per plures incerto admodum gressu oberrans gentes, perpessa est. In Ægypto enim post Cataclysmum renata, Græciam petiit, & Asclepiorum familiæ (ex qva & *Hippocrates*) imprimis adhæsit: deinde ab Arabibus, Mauris & Saracenis, per 500 fere annos, undiqve qvasi captiva circumducta, tandem ab Europæ cultioribus populis, svaviori amplexu susceptа fuit. Sub his migrationibus, non potuit non, propter gentium lingvarumqve diversitatem, vocabulorum multiplicium & terminorum technicorum, origine nunc græcorum, nunc Arabicorum, nunc planè barbarorum, varietas insignis succrescere; ut taceam ista, qvæ Chymicorum turba, ad *Paracelsi* potissimum imitationem, adjecit pariter & inseruit. Ast horum denegata cognitio

Tyroni Medico maximas difficultates, ne dicam impedimenta, ſub ipſis artis addiſcendæ auſpiciis neceſſariò adfert: qvibus ut occurratur maturè, plures jam olim eruditi Dogmatici æqve ac Spagyrici deſudarunt Medici, Lexica, Dictionaria, Onomaſtica Medico-Chymica conſcribendo. Inter Dogmaticos qvidem, *Anutius Fœſius*, & *Guil. Gorreus*, Pariſ. *Bartolomæus Caſtellus Meſſanenſ.* cujus Lexicon Medicum Græco Latinum jam anno 1657 *Adrianus Ravenſteinius* auctius edidit; *Stephan. Blanckardus*, *Med. D.* edito anno 1679 Lexico Medico Græco-Latino, inſigni vocabulorum penu referto, eminent. Ex Spagyricis vero *Leon. Thurneiſerus*, *Gerh. Dorneus*, *Joh. Garlandius*, *Mart. Rulandus*, *Mich. Toxites*, *Guil. Johnſonus*, hoc in negotio præ aliis occupati fuerunt. Sed cum horum conatus, utut laudandi, imperfecti nonnihil eſſent, nec una ex causâ ſubinde defectuoſi, neceſſarium hunc laborem in ſe ſuſcepit Autor, ut omnia vocabula, qvæcunqve in arte Medicâ occurrunt, cujuscunqve idiotiſmi fuerint, ſive Dogmatica ſ. Hermetica in ſchola nata, in unum perfectum Lexicon Medicum, ſub nomine *Caſtelli Renovati*, (qvia ab hoc inchoatum) congereret, clarè & perſpicuè eadem explicaret, Scriptorum probatorum allegationibus illuſtraret, & qvod à pluribus tentatum, Tyronum in gratiam ita magis perficeret. Qvo in conatu Autorem, & anteceſſoribus ſuis palmam præripuiſſe, & de Re Medicâ optimè meritum eſſe, omnino fatendum eſt.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.

I. *Theologica & ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſpectantia.*

Andreas Acoluthus *de aqvis amaris Num. V. v. 11.* p. 104
Valentini Alberti *Intereſſe Religionum Chriſtianarum* 47
Natalis Alexandri *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita* 209
Diſſertationis Alexandrinæ de vulgatâ Script. S. verſione vindiciæ 379

Petri

Digitized by Google

Petri Allingæ *Fax dissidii extincta* 160
Via veritati illata repulsa 313
Anonymi Prodromus Corporis Theologiæ 312
Anonymi Media certa pro conversione hæreticorum 310
Balt. Bebelii *Anti-Wangnereccius* 249
Bedæ *Presbyteri Historia Ecclesiastica gentis Anglorum* 329
Jac. Boileau *Disquisitio de sanguine Corporis Christi post resurrectionem* 33
Thomæ Burneti *Telluris Theoria sacra* 70
Abrah. Calovii *Theologia Positiva* 378
Christoph. Cellarii *Excerpta V. & N. Testam. Syriaca* 206
Joh. Bapt. Cotelerii *Ecclesiæ Græcæ Monumenta* 135
Epiphanii *Opera Græco-Latina* 93
Claudii Frassenii *Disquisitiones Biblicæ* 354
Fulgentii Fossei (*rectius fortasse Henr. de Noris*) *Somnia quinquaginta Fr. Macedo* 86
Sam. Gardineri *Responsio valedictoria ad 2dam Sandii Epistolam* 280
Wolfgangi Gundlingii *Delineatio Ecclesiæ Orientalis Græcæ* 6
Caroli Libertini *Gennadius de Prædestinatione Gr. Lat.* 184
Petri de Marca *Opuscula à Steph. Baluzio edita* 327
Joh. Olearii *Annotationes ad Scripturam S.* 47
Joh. Ad. Osiandri *Theologia Casualis* 282
Joh. Christoph. Rumetsch *de Conjecturis ultimi temporis* 168
Eman. à Schelstraten *sacrum Antiochenum Concilium* 4
Joh. Ad. Scherzeri *Anti-Bellarminus* 19
Richardi Simonis *Historia Critica Vet. Testamenti* 94
Frid. Spanhemii *Strictura ad libellum Episcopi Condomiensis* 119
Balth. Stolbergius *de Solœcismis & Barbarismis Novo Test. falsò tributis* 69
Joh. Casp. Sviceri *Thesaurus Ecclesiasticus* 171
Francisci Turretini *Institutiones Theologiæ Elenchticæ* 207
Joh. Christoph. Wagenseilii *Tela ignea Satanæ* 61
Herm. Witsii *Exercit. sacra in Symbolum Apostol.* 199
Christoph. Wittichii *Exercitationes Theologicæ* 247
Joh. Wulferi *Theriaca Judaica ad Examen revocata* 205
Matthias Zimmermann *de Presbyterii sis Veteris Ecclesiæ* 176

II. *Juridica.*

Joh. Brunnemannus *de Jure Ecclesiastico* 254
Joh. Deckeri *Relationes, Vota, & Decisiones Judicii Cameralis* 300
Christoph. Langii *Isagoge ad Processum Juris Civilis & Saxonici* 253
Fr. de Launay *de jure venandi* 9
Vinc. Placcii *Institutiones Justiniani reconcinnatæ* 399
Sam. Rachelii *Institutiones jurisprudentiæ* 123
Franc. de Roye *Canonici juris institutiones* 156
Sebast. Schelckens *Elementa jurisprudentiæ* 50
Joh. Schilteri *Institutiones Juris Canonici* 158
Justi Sin. Schützens *Colleg. publicum de Statu Rei Romanæ cum notis Car. Scharschmidii* 299
Conr. Sincerus *de Juris Romani in Republ. Germ. origine* 368
Georg. Adam. Struvius *de Invocatione Nominis Divini* 299
Gabr. Svederi *Jus Publicum Imperii Rom. Germ.* 255
Joh. Toubæi *Institutiones juris consularis* 356
O. F. Zaunschliffer *de officio judicis suppletorio* 397
Casp. Zieglerus *de Juribus Majestatis* 42

III. *Medica & Physica.*

Anonymi observationes de calculo in Equo quodam reperto 344
Observatio Medica in cadavere Epileptici 287
De nutritione infantum sine ministerio nutricis 197
Lud. Mariæ Barberii *Spiritus nitro-aërei operationes in microcosmo* 304
Dan. Bartolus *de glacie & congulatione* 347
Gerh. Blasii *Anatome animalium* 11
Nic. de Blegny *Zodiacus Medico-Gallicus* 220
Joh. Bohnii *Observationes Anatomicæ de motu bilis* 20
Observ. circa proportionem partis purpureæ ac substantiæ seroso-gelatinosæ sanguinis 126
Th. Boneti *Mercurius compitalitius, seu Index Medico-Practicus* 217
Joh. Alph. Borellus *de motu animalium* 351
Olaus Borrichius *de somno & somniferis* 153
Roberti Boyle *Noctiluca aërea* 53
glacialis 394
Novum genus lampadis 192

Jac.

Digitized by Google

Jac. Pancratii Brunonis *Caſtellus renovatus* 485
Dni. de Catelan *Obſervationes de oculis inſectorum* 165
Andreæ Cleyeri *Specimen Medicinæ Sinicæ* 301
D. Crone *hypotheſis de ſtructura muſculi* 194
Arn. Bachimii Denſtonii *Pan-Sophia Enchiretica* 315
Mich. Etmülleri *Obſervatio Medica de Crinonibus ſeu Comedonibus infantium* 316
De Sironibus 317
Petri Givrii *Arcanum Acidularum* 303
Joh. Georg. Greiſelius *de cura lactis in arthritide* 81
Nehemiæ Grevv *Muſeum Regalis Societatis* 133
Anatome ventriculorum & inteſtinorum animalium 57
Herm. Nic. Grim *compendium Medico-Chymicum* 38
Ehrenfried Hagedorns *Cynosbatologia* 81
Joh. Jac. Harderi *& J.C. Peyeri Exercitationes Anatomicæ & Medicæ* 218
Joh. Helfr. Juncken *Chymia Experimentalis curioſa* 393
Sigismundi König *Hiſtoria monſtroſi cujusdam morbi* 338
Guilh. Lamy *de principiis rerum* 154
G. G. Leibnutzii *meditatio de ſeparatione ſalis & aquæ dulcis, novoque ſeparationum Chymicarum genere* 386
Ant. Levvenhoek *Obſerv. Microſc. de particulis liquorum globoſis, & animalibus in ſemine inſectorum maſculino* 323
Moutaffer *Elen Muhammed el Haſſeni Pharmacopœa Perſica* 181
Chriſtiani Menzelii *Index nominum plantarum univerſalis* 124
Abrah. Muntingii *de herba Britannicâ* 15
Dion. Papini *novus Digeſtor pro emolliendis oſſibus* 105. 306
Joh. Conr. Peyeri *Parerga Anatomica & Medica* 218
& J. Harderi Exercitationes Anatomicæ & Medicæ 218
A. M. Rivini *Diſſert. de Lipſienſi peſte anni 1680.* 260
D. Schreyeri *Deſcriptio monſtri vitulino-humani* 261
Wolf. Sengverdi *Philoſophia naturalis* 83
Frid. Slare *Experimenta Phoſphori liquidi ac ſolidi* 282. 285
Joh. Chriſtoph. Sturmii *Epiſtola inviziatoria ad obſervationes Magneticæ variationis inſtituendas* 258
Thomæ Sydenham *de morbis Epidemicis & Lue venereâ* 79
de curatione variolorum confluentium 384

Edwardi Tyson *Anatome Phocænæ* 9
Burcherus de Volder *de rerum naturalium principiis* 147
Georg. Hieron. Welschii *Curationes propriæ & Consilia Medica* 151

IV. *Mathematica.*

Anonymi *Duplatio Ttianguli Isogoni* 23
Dissertatio de Cometis calamitatis nullius prænunciis 318
Eclipsis Lunæ an. 1681. 25. Aug. st. n. observata Parisiis in Observatorio Regio 262
Eclipsis Lunæ an. 1682 d. 21. & 22 Febr. st. n. observata Lipsiæ 169
Novus Cometa Lipsiæ d. 16. Aug. st. v. A. 1682. videri cœptus 295
Conjunctio magna Jovis & Saturni Lipsiæ d. 14 Oct. st. v. an. 1682 observata 365
Jac. Bernoulli *conamen novi systematis Cometarum* 178
Dn. Cassini *Observationes Cometæ a. 1680 & 1681* 288
Dn. de Catelan *Nova constructio Æquationum completarum* 86
Petri Cavinæ *in Cometum an. 1680 & 1681. Astronomici conatus* 163
Joh. Flamstedii *Loca Cometæ a. 1680 & 81 deducta* 167
Observatio Ecclipseos Lunaris 1681. 29. Aug. st. n. 263
1682. 11 Febr. 277
Dominicus Gulielminus *de Cometarum naturâ & ortu* 292
Joh. Hevelii *Eclipsis Lunæ a. 1681. d. 29. Aug. st. n. observata* 28
Ecclipsis Lunæ a. 1682. d. 21 & 22 Febr. observata 108
Occultatio Palilicii a. 1681 d. 1. Jan. observata 191
Observatio phænomeni cujusdam aërei 262
De variatione acus Magneticæ 388
De Cometa a. 1682 mense Aug. & Sept. viso 389
Gottfr. Kirchii *Occultatio Palilicii 1681. 1. Jan. st. n. observata* 192
Adami Adamandi Kochanskii *solutio Problematum pag. Actorum 28. propositorum* 230
Guilh. Launaji *Cosmographia facilis* 56
Godfr. Gvilh. Leibnützii *vera proportio circuli ad Quadratum* 41
Unicum Optica, Catoptrica, & Dioptrica principium 185
Petri Megerlini *Systema mundi Copernicanum* 257
Dn. Gallet *Theoria Cometarum* 396

Dn.

Digitized by Google

Dn. Montrei *Falſitas Syſtematis Cometarum Bernoulliani demonſtrata* 238
Jonæ Moore *Novum Syſtema Mathematicum* 145
Joh. Chriſtoph. Sturmii *Cometarum natura, ortus & origo* 116
D. T. Inventa nova exhibita Pariſiis Societati Regiæ Scientiarum 364
Nova methodus Tangentes curvarum expeditè determinandi 391

V. *Hiſtorica & Geographica.*

Ambroſii *Abbatis Camaldulenſis Hodœporicon* 159
Andreas *Abbas Bambergenſis, de vitâ S. Ottonis* 279
Bohuslai Balbini *Miſcellanea Hiſtorica Regni Bohemiæ* 240. 265. 400.
Mich. Ant. Baudrand *Geographia* 223
Jac. Benigni Boſſuet *Diſſertationes ſuper Hiſtoriâ univerſali* 214
Petri Franc. Chifletii *concordia Bedæ & Fredegarii ad Dagoberti definiendam Monarchiæ periodum.* 329
Greloti *Itinerarium Conſtantinopolitanum.* 17
Jac. Gronovii *Exercitationes in Fragmentum* Stephani *de Dodone* 224
Huguetani *Itinerarium Italiæ* 85
Jobi Ludolphi *Hiſtoria Æthiopica* 64
Ludov. Maji *peregrinator prudens* 7
Ammiani Marcellinus, *cum Notis Henr.* Valeſii 13
Ludovici Moreri *Magnum Dictionarium Hiſtoricum* 68
Thomæ Munckeri *Mythographi Latini* 52
Ulr. Obrechti *Rerum Alſaticarum prodromus* 140
Caroli Patini *Lyceum Patavinum* 374
Ben. Paulini *Petrocorii de vita S. Martini carmina curante Chr. Danmio* 127
Samuelis Pufendorfii *Hiſtoria Rerumpublicarum Europæ* 336
Joh. Ludov. Schönleben *Carniola vetus & nova* 380
Stephani *Fragmentum de Dodone cum notis I.* Gronovii 224
Terlonii *Eqvitis Commentarii de Negotiationibus ſuis ab an. 1656. ad 1661.* 382
I. Foy Vailantii *Seleucidarum Imperium ad fidem Numiſmatum* 121
Marci Velſeri *opera, curante Chriſtoph. Arnoldi* 169
Joh. Georg. Wilckii *Nepos Saxonicus* 84

VI. *Phi-*

Digitized by Google

VI. *Philosophica & Philologica Miscellanea.*

Olai Borrichii *Analecta de lingva latina* 256

Andreæ Dacerii *Sextus Pompejus Festus & M. V. Flaccus de verborum significatione* 174

Ioach. Felleri *notæ in Eclogam Petri Lotichii Secundi* 55

Petri Francii *Poëmata ad Ferdinandum Episc. Paderb. & Mon.* 359

Lud. Henr. Hilleri *mysterium Artis Steganographicæ* 314

Innocentii III. *Epistolæ à Steph.* Baluzio *editæ* 369

Rud. Godfr. Knichen *Opus Politicum.* 252

Caspari Knittel *Via Regia ad omnes scientias.* 331

Ioh. Lomeier *de veterum gentilium lustrationibus* 253

Lysiæ *Orationes* XXXIV. 376

Ægidii Menagii *Poëmata* 159

Menestrerius *de Dramatibus Musicis veterum & hodiernis* 226

Ioh. Pici Mirandulæ *Epistolæ editæ à Christoph. Cellario* 184

Ioh. Mabillonii *de Re Diplomatica libri* 129

CL. Molineti *Isidis simulacrum Parisiis repertum* 308

Dan. Georg. Morhof *de Germanorum lingva & Poësi* 271

Petri Petiti *Observationes Miscellaneæ* 297

Thomæ Reinesii *Syntagma Inscriptionum Romæ veteris* 89

Car. Renaldini *Philosophia Rationalis* 172

G. A. de la Roque *de origine nominum & cognominum* 85

R. Schabtai *ben Joseph liber inscriptus* Labia dormientium 201

Iac. Thomasii *Prælationes sub auspicia Disputationum recitatæ* 51

Adalberti Tylkovvsky *Philosophia curiosa* 148

Henr. Valesii *notæ in Harpocrationem.* 250

Ammianus Marcellinus 13

Christiani Weisii *Meditationes Poëticæ maturiores* 361

Joh. Rud. Wettstein *de genuina Græcæ Lingvæ pronunciatione* 139

Bern. Zechii *Evolutio Insignium Ducis Saxoniæ Friderici* 200

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google